







1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE
A 666758



1817
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE




1817
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE
A 666758

M. T. CICERONIS



EPISTOLAE

AD ATTICUM
AD QUINTUM FRATREM
ET QUAE VULGO
AD FAMILIARES
DICUNTUR
TEMPORIS ORDINE
DISPOSITAE

RECENSUIT
SELECTISQUE SUPERIORUM INTERPRETUM
SUISQUE ANNOTATIONIBUS
ILLUSTRAVIT
CHRISTIANUS GODOFR. SCHÜTZ

TOMUS V.

HALAE
IN LIBRARIA HEMMERDEANA
CIↃ IↃ CCCXI.



M. T. CICERONIS
EPISTOLAE

A. U. C. DCCVII.

SED INCERTIS MENSIBUS

SCRIPTAE.

EPISTOLA CCCCLXXXI. (ad Div. XIII. 11.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Commendat Bruto vectigalia, quae Arpinates in Gallia habebant, et legatos, qui ad ea exigenda proficiſcebantur.

M. T. CICERO BRUTO, S. P. D.

Quia ſemper animadverti, ſtudioſe te operam dare, ut ne quid meorum tibi eſſet ignotum: propterea non dubito, quin ſcias, non ſolum cuius municipii ſim, ſed etiam, quam diligenter ſoleam meos municipes, Arpinates, tueri. Quorum quidem omnia commoda, omnesque facultates, quibus et ſacra conficere, et ſarta tecta aedium ſacrarum, locorumque communium tueri poſſint, conſiſtunt in his vectigalibus, quae habent in provincia Gallia. Ad ea viſenda, pecuniasque, quae a colonis debentur, exigendas, totamque rem et cognoſcendam et adminiſtrandam legatos equites Romanos miſimus, Q. Fufidium, Q. F., M. Faucium, M. F., Q. Mamercum, Q. F. Peto a te in maiorem modum, pro noſtra neceſſitudine, ut tibi ea res curae ſit, operamque des, ut per te quam commodiſſime negotium municipii adminiſtretur, quamprimumque conficiatur: ipſosque, quorum nomina ſcripſi, ut quam honorificentiſſime, pro tua natura, et quam liberaliſſime tractes. Bonos viros ad tuam neceſſitudinem adiunxeris, municipiumque gratiſſimum beneficio tuo devinxeris; mihi vero etiam gra-

Epiſt. CCCCLXXXI. *Sarta tecta — communium*] quae quum et conſervanda maxime ſint, nec ſine vectigalibus conſervari queant, ſummo ſtudio providendum eſt, ne qua res aut impediat agrorum vectigalium fructus, aut imminuat. *Manut.*

tius feceris, quod quum semper tueri municipes meos consuevi, tum hic annus praecipue ad meam curam officiumque pertinet. Nam constituendi municipii caussa, hoc anno aedilem filium meum fieri volui, et fratris filium, et M. Caesium, hominem mihi maxime necessarium; is enim magistratus in nostro municipio, nec alius ullus creari solet; quos cohonestaris, in primisque me, si res publica municipii, tuo studio, diligentia bene administrata erit. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA CCCCLXXXII. (ad Div. XIII. 12.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Q. Fufidium, Arpinatis municipii legatum, qui tribunus militum in Cilicia fuerat, diligenter commendat.

M. T. CICERO BRUTO, S. P. D.

Alia epistola communiter commendavi tibi legatos Arpinatium, ut potui diligentissime: hac separatim Q. Fufidium, quocum mihi omnes necessitudines sunt, diligentius commendo; non ut aliquid de illa commendatione deminuam, sed ut hanc addam. Nam et privignus est M. Caesii, mei maxime et familiaris et necessarii, et fuit in Cilicia mecum tribunus militum:

---

nec ullus alius] In aliis enim municipiis vel dictator creari solebat, ut Lanuvii (orat. pr. Milone c. 10.) vel consul, ut Tusculi; vel duumvir ut Corfinii (Caesar lib. I. de B. C.) vel quatuorvir ut Neapoli et Cumis (ad Att. X. 11. h. ed. 577. et in Cluentiana c. 8.) vel quaestor ut Sidicini et Ferenti Gell. lib. X. c. 3. *Manut.*

res publica] pecuniae publicae vectigaliorum. *Ernesti.*

Epist. CCCCLXXXII. *alia epistola*] proxime superiore.

deminuam] Aliquot MSS. et edd. *comminuam.* Al. *dimin.*

sed ut hanc addam] Recte sic Manut. et Graev. codd. Maffei et Amst. Vulgo *sed ut ad hanc addam.*

in Cilicia] quum Ciliciam proconsul administrabam.

quo in munere ita se tractavit, ut accepisse ab eo beneficium viderer, non dedisse. Est praeterea (quod apud te valet plurimum) a nostris studiis non abhorrens. Quare velim eum quam liberalissime complectare: operamque des, ut in ea legatione, quam suscepit contra suum commodum, secutus auctoritatem meam, quam maxime eius excellat industria. Vult enim, id quod optimo cuique natura tributum est, quam maximam laudem, quum a nobis, qui eum impulimus, tum a municipio consequi; quod ei continget, si hac mea commendatione tuum erga se studium erit consecutus.

EPISTOLA CCCCLXXXIII. (ad Div. XIII. 13.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

L. Castronium, Lucensem municipem, commendat.

M. T. CICERO BRUTO, S. P. D.

L. Castronius Paetus, longe princeps municipii Lucensis, est honestus, gravis, plenus officii, bonus plane vir, et quum virtutibus, tum etiam fortuna, si quid hoc ad rem pertinet, ornatus; meus autem est familiarissimus, sic prorsus, ut nostri ordinis observet neminem diligentius. Quare ut et meum amicum, et

---

auctoritatem meam] Auctor enim ei fui, ut eam legationem susciperet. Sequitur proxime: *qui eum impulimus*.

Ep. CCCCLXXXIII. *Lucensis*] Luca primum Gallione Cisalpinae oppidum. *Graev.*

honestus, gravis, plenus officii] nihil redundat; singula enim singulis aliquid addunt. *Honestus* autem refertur ad genus et familiam, quod honesto loco natus; *gravis* ad aetatem et mores; *plenus officii* ad probitatem et consuetudinem vel bene merendi, vel remunerandi. *Manut.*

nostri ordinis] *senatorii. Manut.*

tua dignum amicitia, tibi commendo. Cui, quibuscumque rebus commodaveris, tibi profecto iucundum, mihi certe erit gratum. Vale.

EPISTOLA CCCCLXXXIV. (ad Div. XIII. 14.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Petit ut exactionem eius pecuniae, quam L. Straboni P. Cornelius debet, suo studio et diligentia curet.

M. T. CICERO BRUTO, S. P. D.

L. Titio Strabone, equite Romano, in primis honesto, et ornato, familiarissime utor. Omnia mihi cum eo intercedunt iura summae necessitudinis. Huic in tua provincia pecuniam debet P. Cornelius. Ea res a Volcatio, qui Romae ius dicit, reiecta in Galliam est. Peto a te hoc diligentius, quam si mea res esset, quo est honestius de amicorum pecunia laborare, quam de sua, ut negotium conficiendum cures, ipse suscipias, transigas, operamque des, quoad tibi aequum et rectum videbitur, ut quam commodissima conditione libertus Strabonis, qui eius rei causa missus est, negotium conficiat, ad nummosque perveniat. Id et mihi gratissimum erit; et tu ipse L. Titium cognosces amicitia tua dignissimum. Quod ut tibi curae sit, ut omnia solent esse, quae me velle scis, te vehementer etiam atque etiam rogo.

Epist. CCCCLXXXIV. *reiecta in Galliam*] noluit Volcatius praetor ipse Romae hanc rem diiudicare, sed causam reiecit ad Brutum, Galliae hoc tempore praefectum, utpote qui commodius de ea re decernere posset.

EPISTOLA CCCCLXXXV. (ad Div. XIII. 17.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Manium Curium Servio Sulpicio, Achaiae praesidi, commendat.

M. T. CICERO SER. SULPICIO, S. P. D.

M' Curius, qui Patris negotiatur, multis, et magnis de caussis a me diligitur. Nam et amicitia pervetus mihi cum eo est, ut primum in forum venit, instituta: et Patris quum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello domus eius tota mihi patuit; qua, si opus fuisset, tam essem usus, quam mea. Maximum autem mihi vinculum cum eo est quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis, quod est Attici nostri familiarissimus, eumque unum praeter ceteros observat ac diligit. Quem si tu iam forte cognosti, puto me hoc, quod facio, facere serius. Ea est enim humanitate et observantia, ut eum tibi iam ipsum per se commendatum putem. Quod tamen si ita est, magnopere a te quaeso, ut ad eam voluntatem, si quam in

---

Epist. CCCCLXXXV. *M' Curius*] Is est ad quem est. epist. 28. 30. 31. lib. VII. et ipsius etiam una ad Ciceronem. Nominatur praeterea XIII. 50. XVI. 4. 5. 9. (h. ed. 288. 289. 292.). et ad Att. VII. 2: 3. (h. ed. 293. 294.) et ad eund. VIII. 5. 6. (h. ed. 328. 329.)

in forum venit] *Venit* e MSS. cum Manutio et Graevio dedi pro vulg. *veni.*

aliquoties antea] ut quum in Ciliciam iret, vel rediret ex provincia.

hoc miserrimo bello] ante et post pugnam Pharsalicam.

patuit] hospitium nempe Curius Ciceroni obtulerat, si Patras veniret, ubi ipse negotiari solebat.

si quis fuisset] Significat sibi usu non venisse, ut hospitio Curii uteretur; quamquam e Cilicia decedens Patras venerat.

ipsum per se] Ita Benedictus e codd. quinque Dresdd. Torgav. Asc. I. melius, quam vulg. *per se ipsum.*

illum ante has meas literas contulisti, quam maximus possit mea commendatione cumulus accedat. Sin autem propter verecundiam suam minus se tibi obtulit, aut nondum eum satis habes cognitum, aut quae causa est, cur maioris commendationis indigeat: sic tibi eum commendo, ut neque maiore studio quemquam, neque iustioribus de causis commendare possim. Faciamque id, quod debent facere ii, qui religiose, et sine ambitione commendant. Spondebo enim tibi, vel potius spondeo, in meque recipio, eos esse M'Curii mores, eamque tum probitatem, tum etiam humanitatem, ut eum et amicitia tua, et tam accurata commendatione, si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus. Mihi certe gratissimum feceris, si intellexero, has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse.

EPISTOLA CCCCLXXXVI. (ad Div. XIII. 18.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Gratias agit, quod optima in Atticum voluntate sit, quem dum commendari dicit necesse non esse, eo ipso valde commendat, quo Servius Sulpicius ei neque in Epiroticis, neque in aliis rebus desit.

CICERO SERVIO, S.

Non concedam, ut Attico nostro, quem elatum laetitia vidi, iucundiores tuae suavissime ad eum, et humanissime scriptae literae, fuerint, quam mihi. Nam etsi utrique nostrum prope aeque gratae erant:

---

possit mea] Vulg. *postea*. Manut. emendabat *potest mea*. Lambin. et Graev. *post mea*. Ernestio placebat *mea* vel *hac mea*, Benedictus dedit *post ea*. Mihi Manutii ratio potior visa est, nisi quod coniunctivum malui; *ut quam maximus possit cumulus accedat*...

tamen ego admirabar magis, te, quasi rogatus, aut certe admonitus, liberaliter Attico respondisses, (quod tamen dubium nobis, quin ita futurum fuerit, non erat) ultro ad eum scripsisse, eique nec opinanti voluntatem tuam tantam per literas detulisse. De quo non modo rogare te, ut eo studiosius mea quoque causa facias, non debeo, (nihil enim cumulatius fieri potest, quam polliceris,) sed ne gratias quidem agere, quod tu et ipsius causa, et tua sponte feceris. Illud tamen dicam, mihi id, quod fecisti, esse gratissimum. Tale enim tuum iudicium de homine eo, quem unice diligo, non potest mihi non summe esse iucundum. Quod quum ita sit, esse gratum necesse est. Sed tamen, quum mihi, pro coniunctione nostra, vel peccare apud te in scribendo licet: utrumque eorum, quae negavi mihi facienda esse, faciam. Nam et ad id, quod Attici causa te ostendisti esse facturum, tantum velim addas, quantum ex nostro amore accessionis fieri potest: et, quod modo verebar tibi gratias agere, nunc plane ago, teque ita existimare volo, quibuscumque officiis in Epiroticis reliquisque rebus Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore.

Ep. CCCCLXXXVI. *quasi—respondisses*] Impeditior est horum verborum iunctura; quod iam Ernestius sensit. Equidem credo verborum ordinem a librariis turbatum sic restituendum esse: *te, quasi rogatus aut certe admonitus Attico respondisses, tam liberaliter (quod — — non erat) ultro ad eum scripsisse.*

in Epiroticis] in negotiis quae habet in Epiro. *Ernesti.*

EPISTOLA CCCCLXXXVII. (ad Div. XIII. 19.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Rogat, ut Lysonem, quem antea commendaverat, in fidem et necessitudinem recipiat.

M. T. CICERO SER. SULPICIO, S. P. D.

Cum Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium vetus; quam ego necessitudinem sancte colendam puto; sed ea causa etiam cum aliis compluribus, familiaritas tanta nullo cum hospite; et ea quum officiis eius multis, tum etiam consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra coniunctius. Is quum Romae annum prope ita fuisset, ut mecum viveret, etsi eramus in magna spe, te meis literis, commendationeque diligentissime facturum, id quod fecisti, ut eius rem, et fortunas absentis tuerere: tamen quod in unius potestate erant omnia, et quod Lyso fuerat in nostra causa, nostrisque praesidiis, quotidie aliquid timebamus. Effectum tamen est et ipsius splendore, et nostro reliquorumque hospitum studio, ut omnia, quae vellemus, a Caesare impetrarentur: quod intelliges ex iis literis, quas Caesar ad te dedit. Nunc non modo non remittimus tibi aliquid ex nostra commendatione, quasi adepti iam omnia: sed eo vehementius a te contendimus, ut Lysonem in fidem ne-

---

Ep. CCCCLXXXVII. *cum Lysone*] is saepius nominatur in epistolis ad Tironem Patris aegrotantem h. ed. 288. 289.

sed ea causa etiam cum] Legendum puto vel: *sed ea causa communis cum aliis compl.* vel delendum *causa:* ut sit: *sed ea* (scil. *necessitudo*) *etiam cum aliis compluribus*,

in unius] Caesaris.

in nostra causa] sc. Pompeianorum.

quas Caesar — dedit] vel quum Romae adhuc esset, vel quum iam profectus esset in Hispaniam anno 707. exeunte.

cessitudinemque tuam recipias. Cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, verentes, ne quid accideret eiusmodi, ut ne tu quidem mederi posses: explorata vero eius incolumitate, omnia a te summo studio summaque cura peto. Quae ne singula enumerem, totam tibi domum commendo. In his adolescentem filium eius, quem C. Memmius Gemellus, cliens meus, quum in calamitate exsilii sui Patrensis civis factus esset, Patrensium legibus adoptavit; ut eius ipsius hereditatis ius causamque tueare. Caput illud est, ut Lysonem, quem ego virum optimum gratissimumque cognovi, recipias in necessitudinem tuam. Quod si feceris, non dubito, quin in eo diligendo, ceterisque postea commendando, idem, quod ego, sis iudicii et voluntatis habiturus. Quod quum fieri vehementer studeo, tum etiam illud vereor, ne si minus cumulate videbere fecisse aliquid eius causa, me illo negligenter scripsisse putet, non te oblitum mei. Quanti tamen me faceres, quum ex sermonibus quotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potuit cognoscere.

---

omnia a te summo studio summaque cura peto] Sic Asc. I. cum nonnullis Corradi libris. Vulgo *omnia a te studia summa cura peto.* At Dresd. 1. 2. 3. 4. Torg. cum Stewech. Pal. I. Amst. *a te studio summo cura peto.* Hittorp. Pal. 6. *a te summo studio et cura peto.* Dr. 5. *a te studio summo curaque peto.* Mentel. et Graev. *a te summo studio curaque peto.* Optima est illa, quam recepimus, lectio, quam Benedictus quoque probavit; *summa cura* quomodo a *summo studio* differat, intelligitur ex his quae sequuntur, Ciceronis verbis: *quod quum fieri vehementer studeo, tum etiam illud vereor.*

quem C. Memmius Gemellus] Quidam libri, ut meus, ut ed. Grut. *C. Maenius*; male. Indicat cognomen *Gemellus* esse Memmium eum, ad quem est epistola prima lib. XIII. *Ernesti.* Nempe nostrae editionis epist. 197. At ille Memmius ibi non vocatur *Gemellus*, ut certe hoc ar-

EPISTOLA CCCCLXXXVIII. (ad Div. XIII. 20.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Asclaponem medicum commendat.

CICERO SERVIO, S.

Asclapone Patrensi, medico, utor valde familiariter, eiusque quum consuetudo mihi iucunda fuit, tum ars etiam, quam sum expertus in valitudine meorum. In qua mihi quum ipsa scientia, tum etiam fidelitate, benivolentiaque satisfecit. Hunc igitur tibi commendo, et a te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me scripsisse de sese, meamque commendationem usui magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementer gratum.

EPISTOLA CCCCLXXXIX. (ad Div. XIII. 21.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

M. Aemilii rem familiarem, et in primis libertum eius Hammonium commendat.

M. T. CICERO SER. SULPICIO, S. P. D.

M. Aemilius Avianus ab ineunte adolescentia me observavit, semperque dilexit, vir tum bonus, tum perhumanus, et in omni genere officii diligens.

---

gumento nihil efficiatur, hunc Memmium Gemellum esse eundem ad quem illa epistola 197. scripta est. Idem Benedictus vidit.

Epist. CCCCLXXXVIII. *meorum*] Tironis, quem ex Cilicia decedens aegrum Patris reliquit. *Manut.* cf. epist. 292.

Epist. CCCCLXXXIX. *diligens*] Ita Manutius e coniectura, quam Graevius et I. F. Gronovius probaverunt. Vulgo *omni genere officii diligendus.* Sed praeter alia loca in quibus Cicero utitur hac locutione: *in omni officio diligentissimus*, hoc maxime Manutii emendatio-

Quem si arbitrarer esse Sicyone, et nisi auditem ibi eum etiam nunc, ubi ego reliqui, Cibyrae commorari, nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere. Perficeret enim ipse profecto suis moribus, suaque humanitate, ut sine cuiusquam commendatione diligeretur abs te non minus, quam et a me, et a ceteris suis familiaribus. Sed quum illum abesse putem, commendo tibi in maiorem modum domum eius, quae est Sicyone, remque familiarem, maxime Caium Avianum Hammonium, libertum eius: quem quidem tibi etiam suo nomine commendo. Nam quum propterea mihi est probatus, quod est in patronum suum officio, et fide singulari, tum etiam in me ipsum magna officia contulit, mihique molestissimis temporibus ita fideliter, benivoleque praesto fuit, ut si a me manumissus esset. Itaque peto a te, ut eum Hammonium, et in patroni eius negotio sic tueare, ut eius procuratorem, quem tibi commendo, et ipsum suo nomine diligas, habeasque in numero tuorum. Hominem pudentem, et officiosum cognosces, et dignum, qui a te diligatur.

EPISTOLA CCCCXC. (ad Div. XIII. 22.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

T. Manlium suo et Varronis Murenae nomine commendat.

CICERO SERVIO. S.

T. Manlium, qui negotiatur Thespiis, vehementer diligo. Nam et semper me coluit, diligentissimeque observavit, et a studiis nostris non abhorret.

---

nem confirmat, quod Cicero hoc loco ipsas virtutes Aviani enumerat: *diligendum eum esse vel sine cuiusquam commendatione possea dicit.* Ernestio magis placebat *diligentissimus.*

Accedit eo, quod Varro Murena magnopere eius caussa vult omnia: qui tamen existimavit, etsi suis literis quibus tibi Manlium commendabat, valde confideret, tamen mea commendatione aliquid accessionis fore. Me quidem quum Manlii familiaritas, tum Varronis studium commovit, ut ad te quam accuratissime scriberem. Gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meae tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum: id est, si T. Manlium, quam maxime, quibuscumque rebus honeste, ac pro tua dignitate poteris, iuveris, atque ornaveris. Ex ipsiusque praeterea gratissimis et humanissimis moribus confirmo tibi, te eum, quem soles, fructum a bonorum virorum officiis exspectare, esse capturum.

EPISTOLA CCCCXCI. (ad Div. XIII. 23.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Cossinium Anchialum libertum commendat.

CICERO SERVIO, S.

L. Cossinio, amico, et tribuli tuo, valde familiariter utor. Nam et inter nosmetipsos vetus usus

---

Epist. CCCCXC. *Varro Murena*] Varro Terentiae gentis, Murena Liciniae cognomen. Hic igitur, vel ex Terentia in Liciniam, vel, quod magis arbitror, ex Licinia in Terentiam adoptatus, novum cognomen accepit, vetere conservato: ut Pompeii Magni socer Scipio Metellus, adoptatus a Q. Caecilio Metello Pio, quum esset antea Corneliae gentis; ut Varro Lucullus, qui A. U. 680. Consul fuit, accepto Terentiae gentis cognomine, Liciniae retento. Hunc ego Varronem Murenam facile crediderim eius Varronis Murenae patrem fuisse, qui cum Augusto A. U. 730. consulatum gessit. *Muraena* vero scribendum esse non *Murena*, quum a μύραινα pisce deducatur, ut alia Romanarum

intercedit: et Atticus noster maiorem etiam mihi cum Cossinio consuetudinem fecit. Itaque tota Cossinii domus me diligit, in primisque libertus eius, L. Cossinius Anchialus, homo et patrono, et patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. Hunc tibi ita commendo, ut, si meus libertus esset, eodemque apud me loco esset, quo est apud patronum suum, maiore studio commendare non possem. Quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis, atque eum, quod sine molestia tua fiat, si qua in re opus ei fuerit, iuveris. Id et mihi vehementer gratum erit, et tibi postea iucundum. Hominem enim summa probitate, humanitate, observantiaque cognosces.

EPISTOLA CCCCXCII. (ad Div. XIII. 24.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Gratias agit Sulpicio, quod Lysonem sibi falso suspectum, quum eum sibi a Cicerone commendari vidisset, deposita suspicionis offensione complexus sit, eumque denuo commendat.

CICERO SERVIO, S.

Quum antea capiebam ex officio meo voluptatem, quod memineram, quam tibi diligenter Lyso-

---

gentium cognomina licet adversante lapidum antiquorum auctoritate, libenter existimaverim. *Manut.*

Epist. CCCCXCI. *quo est apud patronum suum*] Vulgo: *quo et est a. p. s.* Sed recte Benedictus copulam omisit, quae abest Torg. Dresd. 4. Palat. 1. 6.

Epist. CCCCXCII. *memineram*] Sic latinitas postulat, non *meminerim*, quod est in vulgatis, et sic dudum correxeram, quum idem reperi in ed. Mediol. Rom. et MS. Guelf. 1. 2. *Ernesti.* Frustra falsam lectionem aliorum codd. auctoritate tuetur Benedictus.

nem, hospitem et familiarem meum, commendassem; tum vero postea quam ex literis eius cognovi, tibi eum falso suspectum fuisse, vehementissime laetatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adiumento fuisse, quod ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romae de te loqui solitum esse. De quo, etsi pro tua facilitate et humanitate purgatum se tibi scribit esse: tamen primum, ut debeo, tibi gratias ago, quum tantum literae meae potuerunt, ut, his lectis, omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres: deinde credas mihi affirmanti velim, me hoc non pro Lysone magis, quam pro omnibus scribere, hominem esse neminem, qui umquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. Lyso vero quum mecum prope quotidie esset, unaque viveret, non solum quia me libenter audire arbitrabatur, sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua et facta et dicta laudabat. Quapropter etsi a te ita tractatur, ut iam non desideret commendationem meam, unisque se literis meis omnia consecutum putet: tamen a te peto in maiorem modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir esset, ut superioribus literis feceram, nisi eum iam per se ipsum tibi satis esse notum arbitrarer.

---

commendassem] epist. 487.

audire arbitrabatur] scil. laudes tuas. *Ernesti.*

tuis officiis, liberalitate] Benedictus coni. *tuis officiis liberaliter*; non male. Asc. I. *tuis officiis et liberalitate*, quod facile praetulerim; etsi alia sunt omissae copulae inter duo vocabula exempla, quae Manutius ad h. l. collegit.

EPISTOLA CCCCXCIII. (ad Div. XIII. 25.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Hegesaratum breviter sed accurate commendat.

CICERO SERVIO, S.

Hegesaratus Larissaeus, magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor et gratus fuit: meque postea diligentissime coluit. Eum tibi magnopere commendo, ut et hospitem meum et familiarem, et gratum hominem, et virum bonum, et principem civitatis suae, et tua necessitudine dignissimum. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat, hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse.

EPISTOLA CCCCXCIV. (ad Div. XIII. 26.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Mescinii Rufi Achaica negotia commendat.

CICERO SERVIO, S.

L. Mescinius eo mecum necessitudine coniunctus est, quod mihi quaestor fuit. Sed hanc causam, quam ego, ut a maioribus accepi, semper gravem duxi, fecit virtute et humanitate sua iustiorem. Itaque eo sic utor, ut nec familiarius ullo, nec libentius. Is quamquam confidere videbatur, te sua causa, quae ho-

---

Epist. CCCCXCIII. *Hegesaratus*] Sic nomen hoc scribi iussit Ursinus, quum sit graecum ἡγησαράτος. Vulgo *Hagesaretus*.

Epist. CCCCXCIV. *eo mecum necessitudine*] Vulgo *ea mecum n.* Ernestius autem recte censuit corrigendum esse *eo*, i. q. *propterea*. Sequitur enim *sed hanc causam*.

quaestor fuit] in Cilicia cf. lib. V. ep. 20. 21. (h. ed. 302. 438.) *Munut.*

neste posses, libenter esse facturum, magnum esse tamen speravit apud te meas quoque literas. Id quum ipse ita iudicabat, tum pro familiari consuetudine saepe ex me audierat, quam suavis esset inter nos, et quanta coniunctio. Peto igitur a te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario, et tam familiari: ut eius negotia, quae sunt in Achaia, ex eo, quod heres est M. Mindio, fratri suo, qui Eli negotiatus est, explices, et expedias quum iure et potestate, quam habes, tum etiam auctoritate et consilio tuo. Sic enim praescripsimus iis, quibus ea negotia mandavimus, ut omnibus in rebus, quae in aliquam controversiam vocarentur, te arbitro, et, quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur. Id ut honoris mei caussa suscipias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Illud praeterea, si non alienum tua dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum: si qui difficiliores erunt, ut rem sine controversia confici nolint, si eos quando cum senatore res est, Romam reieceris. Quod quo minore dubitatione facere possis, literas ad te a M. Lepido consule, non quae te aliquid iuberent, (neque enim id tuae dignitatis esse arbitramur,) sed quodam

---

M. Mindio] vid. ep. 302. *disceptatore*] rei, quae in controversiam vocatur, moderatore. In Partitionibus hoc verbum Cicero ipse interpretatur: *Aut auscultator est modo, qui audit, aut disceptator, id est, rei sententiaeque moderator.* Eo usus est Asinius, cuius haec recitat Quintil. IX. ult. *Si, Caesar, ab omnibus mortalibus, qui sint ac fuerint, posset huic caussae disceptator legi, non quisquam te potius, optandus nobis fuit.* — Man. *quando cum senatore*] Sic Ms. meus Guelf. 2. et edd. pr. non ut vulgo nunc, *quum cum senatore*, quod et male sonat. Gu. I. *quoniam* — Ern. *a M. Lepido cos.*] M. Aemilio Lepido, qui hoc anno cum Caesare III. cos. consulatum gerebat.

possis — arbitramur] Hic

modo quasi commendaticias sumpsimus. Scriberem, quam id beneficium bene apud Mescinium positurus esses, nisi et te scire confiderem, et mihi peterem: Sic enim velim existimes, non minus me de illius re laborare, quam ipsum de sua. Sed quum illum studeo quam facillime ad suum pervenire: tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione se consecutum arbitretur.

EPISTOLA CCCCXCV. (ad Div. XIII. 27.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Gratias agit, quod Avianum commendatione sua liberaliter tractasset: eumque commendat iterum.

CICERO SERVIO, S.

Licet eodem exemplo saepius tibi huius generis literas mittam, quum gratias agam, quod meas commendationes tam diligenter observes; quod feci in aliis, et faciam, ut video, saepius: sed tamen non parcam operae, et ut vos soletis in formulis, sic ego in epistolis de eadem re alio modo. C. Avianus igitur Hammonius incredibiles mihi gratias per literas egit, et suo, et Aemilii Aviani, patroni sui, nomine, nec liberalius, nec honorificentius potuisse tractari nec se praesentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. Id mihi quum iucundum est eorum caussa, quos tibi ego summa necessitudine et summa coniunctione adductus commendaveram, quod M. Aemilius unus est ex meis familiarissimis atque intimis, maxime necessarius homo, et magnis meis beneficiis devinctus, et

---

necesse non est cum Ernestio posses — Arbitrabamur corrigere.

Epist. CCCCXCV. *ut vos soletis in formulis*] ut vos Iurisconsulti soletis eandem rem aliis atque aliis verbis et formulis exprimere.

prope omnium, qui mihi debere aliquid videntur, gratissimus: tum multo iucundius, te esse in me tali voluntate, ut plus prosis amicis meis, quam ego praesens fortasse prodessem: credo, quod magis ego dubitarem, quid illorum causa facerem, quam tu, quid mea. Sed hoc non dubito, quin existimes mihi esse gratum. Illud te rogo, ut illos quoque gratos homines esse putes: quod ita esse tibi promitto atque confirmo. Quare velim, quidquid habent negotii, des operam, quod commodo tuo fiat, ut, te obtinente Achaiam, conficiant. Ego cum tuo Servio iucundissimo coniunctissime vivo: magnamque quum ex ingenio eius singularique studio, tum ex virtute et probitate voluptatem capio.

EPISTOLA CCCCXCVI. (ad Div. XIII. 28.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Agit gratias quod Mescinio commendatio sua profuerit, rogatque ut pergat ei bene facere.

CICERO SERVIO, S.

Etsi libenter petere a te soleo, si quid opus est meorum cuipiam: tamen multo libentius gratias tibi ago, quum fecisti aliquid commendatione mea; quod semper facis. Incredibile est enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter a me tibi commendati; quae mihi omnia grata; sed de L. Mescinio gratissimum. Sic enim est mecum locutus, te, ut meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia: multo vero plura, et maiora fecisse. Id igitur (puto enim etiam atque etiam mihi dicendum

---

tuo Servio] Ser. Sulpicii filio, quem et alibi laudat; ep. 461.

Ep. CCCCXCVI. *ut meas literas legeris*] epistolam 494.

esse) velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. Quod quidem hoc vehementius laetor, quod ex ipso Mescinio te video magnam capturum voluptatem. Est enim in eo quum virtus, et probitas, et summum officium, summaque observantia: tum studia illa nostra, quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus. Quod reliquum est, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quae te erunt dignae. Sed duo quidem te nominatim rogo: Primum, ut, si quid satisdandum erit, AMPLIUS EO NOMINE NON PETI, cures, ut satisdetur fide mea. Deinde, quum fere consistat hereditas in iis rebus, quas avertit Oppia, quae uxor Mindii fuit, adiuves, ineasque rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. Quod si putarit illa fore, ut opinio nostra est, negotium conficiemus. Hoc ut assequamur, te vehementer etiam atque etiam rogo. Illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo in meque recipio, te ea, quae fecisti Mescinii causa, quaeque feceris, ita bene collocaturum, ut ipse iudices, homini te gratissimo, iucundissimo benigne fecisse. Volo enim, ad id, quod mea causa fecisti, hoc etiam accedere.

---

sed duo quidem te] *quidem* habent Ms. meus, Gu. 1. 2. Gorl. edd. pr. et Graevius, pro quo in edd. quibusdam, ut Gruteri male *quae* — *Ernesti*.

negotium conficiemus] si Oppia putarit sibi timendum esse, ne tuo iussu Romam perducatur, facile adducetur, ut illa, quae avertit ex hereditate Mindii restituat.

volo hoc — etiam accedere] volo enim, ut intelligas te iis, quae Mescinio commodasti, non mihi solum gratissimum fecisse, sed ex ipso Mescinio etiam hanc voluptatem capturum esse, ut sentias homini te gratissimo et iucundissimo benigne fecisse.

EPISTOLA CCCCXCVII. (ad Div. XIII. 28. pars extrema.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Lacedaemonios Sulpicio commendat.

CICERO SERVIO, S.

Nec Lacedaemonios dubitare arbitror, quin ipsi sua, maiorumque suorum auctoritate satis commendati sint fidei, et iustitiae tuae: et ego, qui te optime novissem, non dubitavi, quin tibi notissima et iura, et merita populorum essent. Itaque quum a me peteret Philippus Lacedaemonius, ut tibi civitatem commendarem: etsi memineram, me ei civitati omnia debere, tamen respondi, commendatione Lacedaemonios apud te non egere. Itaque sic velim existimes, me omnes Achaiae civitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices, quod his tu praesis: eundemque me ita iudicare, te, quod unus optime nosses, non nostra solum, sed etiam Graeciae monumenta omnia, tua sponte amicum Lacedaemoniis et esse, et fore. Quare tantum a te peto, ut, quum ea facies Lacedaemoniorum causa, quae tua fides, amplitudo, iustitia postulat: ut his, si tibi videbitur, significes, te non moleste ferre, quod intelligas, ea quae facias, mihi quoque grata esse. Pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curae mihi suas res esse. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

Epist. CCCCXCVII. *Nec Lacedaemonios*] Novae hic epistolae initium esse Manutius acute sensit. Nemo tamen adhuc ei obsecutus est, ut hanc epistolam a superiore, quacum librariorum vitio cohaeserat, separaret.

etsi memineram — debere] sc. officia; nempe propter eius antiquitatem et claritatem, quae apud eruditos homines solet valere. Hinc

EPISTOLA CCCCXCVIII. (ad Div. XIII. 30.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

L. Manlium in fraterna hereditate commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

L. Manlius est Sosis. Is fuit Catinensis: sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioque Neapoli. Erat enim ascriptus in id municipium ante civitatem sociis et Latinis datam. Eius

---

infra commemorat monumenta Graeciae. *Ernesti.* Fortasse tamen etiam Lacedaemonii alio nomine de ipso Cicerone bene meriti erant, aut certe se in eius clientelam dederant.

Epist. CCCCXCVIII. *L. Manlius — Sosis*] duo Romana nomina, tertium Siculum. Qui enim peregrini Romanam civitatem assequebantur, eorum assumebant praenomina et nomina, quorum opera et beneficio cives Romani facti erant, vetere nomine conservato. Exemplum exstat illud ep. 36. (h. ed. 594.) *Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est, familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Caesare impetravit; qua in re ego interfui: itaque nunc P. Cornelius vocatur.* Et in Verr. lib. IV. c. 17. *Tu maximam et pulcherrimam mensam citream a Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio a L. Sulla civis Romanus factus est, abstulisti.* — *Manut.*

is fuit Catinensis] Esse desiit, posteaquam in municipium Neapolitanum ascriptus est. Civis enim duarum civitatum esse nemo potest. Nepos in Attici vita. Catina in Sicilia: oppidum locuples, honestum, copiosum Cicero appellat lib. IV. in Verr. c. 23. *Manut.*

decurio] decuriones in municipiis erant, ut senatores Romae. *Manut.*

erat enim — sociis et Latinis datam] Rationem affert, quo modo, Catinensis quum fuerit, cives Romanus factus sit. Quo tempore, inquit, sociis et Latinis data civitas est (datam esse lege Iulia, ostendit Cicero in orat. pro Balbo c. 8.) ascriptus iam erat

frater Catinae nuper mortuus est. Nullam omnino arbitramur de ea hereditate controversiam eum habiturum; et est hodie in bonis. Sed, quum habet prae-

---

Manutius in municipium Neapolitanum. Lex cum reliquis Neapolitanis civitatem est adeptus. Haec verba Ciceronis factum esse civem Romanum Manlium beneficio legis Iuliae videntur ostendere, non eius legis, quae a tribunis pl. Silvano et Carbone postea lata est; cuius haec sententia fuit, ut ascriptis in foederatos populos civitas daretur, ita, si tum, quum lex ferebatur in Italia domicilium haberent, et si sexaginta diebus apud praetorem essent professi. Nam si ad hanc Silvani et Carbonis legem Cicero respexisset, non hoc argumento usus esset, quod in id municipium esset ascriptus ante civitatem sociis et Latinis datam, sed hoc potius, quod in Italia domicilium habuisset, quum eam legem Silvanus et Carbo tulerunt. Non negaverim eam legem ad peregrinos attinuisse, et peregrinorum in numero Catinenses fuisse; verum ea lege non est usus Manlius, qui aliquanto ante civis Romanus legis Iuliae beneficio factus esset. Quid igitur spectavit, aut quorsum lata est Silvani lex et Carbonis? si quidem ascripta foederatas in civitates iura civium Romanorum lege Iulia adepti iam erant? Primum confirmabat eis legis Iuliae beneficium, sed ita, si tum, quum haec posterior lex ferebatur, in Italia domicilium haberent; et si sexaginta dies apud praetorem professi essent; alioqui datam antea civitatem eripiebat; deinde, ne certatim in posterum peregrini homines foederatis civitatibus ascribi vellent, ut ea mox ratione in civitatis Romanae censum irreperent, ademit eis hanc spem, dato iis tantum civitatis iure, qui tum quum lex ferebatur, in Italia domicilium haberent; nam si post latam legem, nihil proderat. *Manut.*

sociis et Latinis] Cum Latio Italici omnes designantur. Italiam appello, non quam Alpibus natura terminavit, sed quae iure civili duobus municipiis Arimino a supero mari, Luca ab infero a Gallia cisalpina disiungitur. Et quamquam pars Italiae Latium fuerit, et ius Latii differat a iure Italico; quod argumentum

terea negotia vetera in Sicilia sua: et hanc hereditatem fraternam, et omnia eius tibi commendo, in primisque ipsum virum optimum, mihique familiarissimum, his studiis literarum doctrinaeque praeditum, quibus ego maxime delector. Peto igitur abs te, ut eum, sive aderit, sive non venerit in Siciliam, in meis intimis, maximeque necessariis scias esse; itaque tractes, ut intelligat, meam commendationem sibi magno adiumento fuisse.

EPISTOLA CCCCXCIX. (ad Div. XIII. 51.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Flavium, Pisonis generi sui pernecessarium, commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

C. Flavio, honesto et ornato equite Romano, utor valde familiariter. Fuit enim generi mei, C. Pisonis, pernecessarius: meque diligentissime observat et ipse, et L. Flavius, frater eius. Quapropter velim honoris mei causa, quibus rebus honeste et pro tua dignitate poteris, quam honorificentissime et quam liberalissime C. Flavium tractes. Id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. Sed praeterea tibi affirmo, neque id ambitione adductus facio, sed quum familiaritate et necessitudine, tum etiam veritate; te ex C. Flavii officio et observantia, et praeterea

---

vir excellentis doctrinae Carolus Sigonius tribus libris plenissime tractavit; saepe tamen et Livius et alii, quum Italos omnes una cum Latio significare vellent, *socii Latini nominis* aut *socii Latini* dixere. Eius generis exemplum, ut plura non afferam est ap. Livium lib. IX. *Manut.*

sive aderit] Sic habent edd. pr. non *aberit*, quod est alienum; *aderit* est i. q. *non aberit*, et opponitur verbo *non venerit*. *Ernesti.*

Epist. CCCCXCIX. *honesto et ornato*] quum dicit

splendore, atque inter suos gratia, magnam voluptatem esse capturum.

EPISTOLA D. (ad Div. XIII. 32.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Hospites suos Archagathum et Philonem commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

In Halesina civitate, tam lauta, tamque nobili, coniunctissimos habeo et hospitio, et familiaritate M. et C. Clodios, Archagathum, et Philonem. Sed vereor, ne, quia complures tibi praecipue commendo, exaequare videar ambitione quadam commendationes meas. Quamquam a te quidem cumulate satisfit et mihi, et meis omnibus. Sed velim sic existimes, hanc familiam, et hos, mihi maxime esse coniunctos vetustate, officiis, benivolentia. Quamobrem peto a te in maiorem modum, ut his, omnibus in rebus, quantum tua fides dignitasque patietur, commodes. Id si feceris, erit mihi vehementissime gratum.

---

ornato ipsum laudat, quum *honesto*, genus. *Manut.*

Epist. D. *Archagathum et Philonem*] M. Clodium Archagathum, et C. Clodium Philonem. Horum cognomina Graeca sunt, praenomina vero et nomina Romana. Primum enim Siculi, quum essent civitatis Romanae ius adepti, simul appellationem susceperunt, vetere nomine retento, more libertorum. Sic *L. Manlius Sosis* ep. 30. (h. ed. 498.) *Manut.*

exaequare videar] Nempe, quia vix fieri posse videbatur, ut Cicero tot viros haberet familiares, quos proconsuli *praecipue*, ideoque *aeque* vehementer commendare posset, videri poterat commendationes istas, praeter veritatem, ambitione quadam exaequare.

EPISTOLA DI. (ad Div. XIII. 33.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Nasonis libertos et negotia commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

Cn. Otacilio Nasone utor familiarissime, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiarius. Nam et humanitate eius, et probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector. Nihil iam opus est exspectare te, quibus eum verbis tibi commendem, quo sic utar, ut scripsi. Habet is in provincia tua negotia, quae procurant liberti, Hilarius, Antigonus, Demostratus: quos tibi, negotiaque omnia Nasonis, non secus commendo, ac si mea essent. Gratissimum mihi feceris, si intellexero, hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse.

EPISTOLA DII. (ad Div. XIII. 34.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Lysonem filium Lilybaetanum commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

Avitum mihi hospitium est cum Lysone, Lysonis filio, Lilybaetano, valdeque ab eo observor: cognovique dignum et patre, et avo. Est enim nobilissima familia. Quapropter commendo tibi maiorem in modum rem domumque eius: magnoque opere abs te peto, cures, ut is intelligat, meam commen-

---

Epist. DI. *illius ordinis*] Manutius negat h. l. senatorium aut equestrem ordinem significari, sed omnino conditionem quandam. Non tamen est, quod dubitemus illum Nasonem equestris ordinis fuisse.

Epist. DII. *Lilybaetano*] Bengelius e Victorio edidit, *Lilybitano*, quam nuper secutus est Benedictus.

dationem maximo sibi apud te et adiumento, et ornamento fuisse. Vale.

EPISTOLA DIII. (ad Div. XIII. 35.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Philoxenum, hospitem et familiarem suum, commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

C. Avianus Philoxenus, antiquus est hospes meus, et praeter hospitium, valde etiam familiaris: quem Caesar meo beneficio in Novocomenses retulit. Nomen autem Aviani secutus est, quod homine nullo plus est usus, quam Flacco Aviano, meo, quemadmodum te scire arbitror, familiarissimo. Quae ego omnia collegi, ut intelligeres, non vulgarem esse commendationem hanc meam. Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod sine molestia tua facere possis, ei commodes, habeasque in numero tuorum: perficiasque, ut intelligat, has literas meas magno sibi usu fuisse. Erit id mihi maiorem in modum gratum.

---

domumque eius] i. e. domesticos. *Manut.*

Epist. DIII. *meo beneficio*]. me rogante. *Manut.*

in Novocomenses] In eos quos Novumcomum deductos in primo consulatu civitate donavit. Ii fuere quinque millia, et Graeci maxime illustres quingenti. Philoxenus autem Graecus, quia Siculus. Sueton. et Strabo. Postea vero dictator idem Caesar Transpadanos omnes, ut ait Dio, civitate donavit. *Manut.*

nullo plus est usus] *est usus* dixit, quia perierat Avianus Flaccus. *Manut.*

EPISTOLA DIV. (ad Div. XIII. 36.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Demetrium Megam in iure civitatis ceterisque rebus commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

Cum Demetrio Mega mihi vetustum hospitium est; familiaritas autem tanta, quanta cum Siculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo civitatem a Caesare impetravit: qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur. Quumque propter quosdam sordidos homines, qui Caesaris beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina civitate donatorum incisa essent, revelli iussisset: eidem Dolabellae, me audiente, Caesar dixit, nihil esse, quod de Mega vereretur; beneficium suum in eo manere. Hoc te scire volui, ut eum in civium Romanorum numero haberes. Ceterisque in rebus tibi eum ita commendo, ut maiore studio neminem commendarim. Gratissimum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, meam commendationem magno sibi ornamento fuisse.

Epist. DIV. *P. Cornelius*] Assumpto praenomine et nomine Dolabellae, cuius beneficio h. e. commendatione civitatem impetraverat. *Manut.*

revelli iussisset] tabulam aeneam in publico fixam revelli iussit Caesar, quoniam intellexerat, in ea incisa esse nomina multorum, quibus sordidi quidam homines, et lucro inhiantes beneficium istud civitatis a Caesare impetratum, vendidissent.

in eo manere] quamvis tabula ista iussu suo esset revulsa, non tamen Demetrio ideo civitatem eripi, sed, ut ei collata erat, manere.

magno sibi ornamento] *sibi* nescio quomodo omissum in edd. pr. Ms. Gu. I. et meus habent. Sic et Graevius dedit tacite. Abest tamen a MSS. quibusdam. *Ernesti.*

EPISTOLA DV. (ad Div. XIII. 37.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Commendat Hippiam in liberatione bonorum.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

Hippiam, Philoxeni filium, Calactinum, hospitem et necessarium meum, tibi commendo in maiorem modum. Eius bona, quemadmodum ad me delata res est, publice possidentur alieno nomine, contra leges Calactinorum. Id si ita est, etiam sine mea commendatione ab aequitate tua res ipsa impetrare debet, ut ei subvenias. Quoquo modo autem se res habet, peto a te, ut honoris mei causa, eum expedias, tantumque ei commodes et in hac re, et in ceteris, quantum tua fides, dignitasque patietur. Id mihi vehementer gratum erit.

EPISTOLA DVI. (ad Div. XIII. 38.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Bruttii rem familiarem in Sicilia procuratoresque commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

L. Bruttius, eques Romanus, adolescens omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, meque observat diligentissime: cuius cum patre magna mihi

---

Epist. DV. *Calactinum*] a Calacta Siciliae urbe. Ptolem. *Manut.*

publice possidentur] Legem apud Calactinos fuisse crediderim, quae vetaret, ne quidquam publice, nisi publico nomine possideretur. Hippiae autem bona alieno nomine puta cuiuspiam absentis vel pupilli publice possidebantur. *Manut.* Publice nimirum possidentur, quae auctoritate et iussu rei publ. possidentur.

fuit amicitia iam inde a quaestura mea Siciliensi. Omnino nunc ipse Bruttius Romae mecum est: sed tamen domum eius, et rem familiarem, et procuratores tibi sic commendo, ut maiore studio commendare non possim. Gratissimum mihi feceris, si curaris, ut intelligat Bruttius, id quod ei recepi, hanc meam commendationem sibi magno adiumento fuisse.

EPISTOLA DVII. (ad Div. XIII. 39.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Titurnium Rufum commendat.

M. T. CICERO ACILIO PROC. S. P. D.

Cum familia Titurnia necessitudo mihi intercedit vetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia atque officio est tuendus. Est igitur in tua potestate, ut ille in me satis sibi praesidii putet esse. Quapropter eum tibi commendo in maiorem modum: et abs te peto, efficias, ut is commendationem hanc intelligat sibi magno adiumento fuisse. Erit mihi vehementer gratum.

EPISTOLA DVIII. (ad Div. XIII. 66.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Caecinam in colligendis Asiaticae negotiationis reliquiis commendat.

M. T. CICERO P. SERVILIO, PROPR. S. D.

A. Caecinam, maxime proprium clientem fami-

---

a quaestura mea Siciliensi] Siculi igitur erant hi Bruttii, pater et filius.

Epist. DVII. *omni diligentia atque officio*] diligentia eo spectat, ut ne quid negligatur, quod eius intersit; *officium* ut quodcunque ei tribui possit, tribuatur.

liae vestrae, non commendarem tibi, quum scirem, qua fide in tuos, qua clementia in calamitosos soleres esse: nisi me et patris eius, quo sum familiarissime usus, memoria, et huius fortuna ita moveret, ut hominis, omnibus mecum studiis officiisque coniunctissimi, movere debebat. A te hoc omni contentione peto, sic, ut maiore cura, maiore animi labore petere non possim: ut ad ea, quae tua sponte sine cuiusquam commendatione faceres in hominem tantum, et talem, calamitosum, aliquem afferant cumulum meae literae, quo studiosius eum, quibuscumque rebus possis, iuves. Quod si Romae fuisses, etiam salutem A. Caecinae essemus (ut opinio mea fert) per te consecuti. De qua tamen magnam spem habemus, freti clementia collegae tui. Nunc, quum tuam iustitiam secutus, tutissimum sibi portum provinciam istam esse duxit: etiam atque etiam te rogo, atque oro, ut eum et in reliquiis veteris negotiationis colligendis iuves, et ceteris rebus tegas, atque tueare. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

Epist. DVIII. *si Romae fuisses*] In Asia enim fuit, quum Caesari de salute Caecinae, i. e. de reditu in urbem supplicatum est, nec impetratum. *Manut.*

collegae tui] Caesaris, Servilii ut Ciceronis in auguratu collegae cf. ep. 462. etsi etiam in consulatu Caesaris secundo Servilius eius collega fuerat.

provinciam istam] Asiam, quam Servilius h. a. pro praetore regebat.

in reliquiis — negotiationis] Asiaticae, cuius mentionem fecit ep. 476. Recte autem Benedictus lectionem *reliquiis* defendit. Ernestius dedit *reliquis*, praeeunte Graevio. Sunt autem *reliquiae negotiationis*, pecuniae quae ei debebantur, s. nomina nondum exacta ex negotiatione Asiatica.

EPISTOLA DIX. (ad Div. XIII. 67.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Commendat Andronem Laodicensem.

M. T. CICERO P. SERVILIO, PROPR. S. D.

Ex provincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις Asiaticas attributas esse, nullo sum familiarius usus, quam Androne, Artemonis filio, Laodicensi: eumque habui in ea civitate quum hospitem, tum vehementer ad meae vitae rationem et consuetudinem accommodatum. Quem quidem multo etiam pluris postea, quam decessi, facere coepi, quod multis rebus expertus sum gratum hominem, meique memorem. Itaque eum Romae libentissime vidi. Non te enim fugit, qui plurimis in ista provincia benigne fecisti, quam multi grati reperiantur. Haec propterea scripsi, ut et me non sine causa laborare intelligeres, et tu ipse eum dignum hospitio tuo iudicares. Feceris igitur mihi gratissimum, si ei declararis, quanti me facias: id est, si receperis eum in fidem tuam, et quibuscumque rebus honeste ac sine molestia tua poteris, adiuveris. Hoc mihi erit vehementer gratum: idque ut facias, te etiam atque etiam rogo.

Epist. DIX. *Ciliciensi*] *Ciliciensi* dicit, quia non Cilicia tantum, sed Asiae quoque pars ad eius imperium pertineret. Ipse τρεῖς διοικήσεις Asiaticas vocat; eae fuere Laodicea, Cibyra, Apamea, quas Appius quoque rexerat ut ex epistolis lib. III. (h. ed. epist. 222.) licet intelligere. *Manut.*

attributas esse] Sic cod. Lips. et Dr. IV. melius quam ut vulgo *attributas fuisse.*

quam multi] i. e. quam pauci. Est enim dictum cum ironia. *Manut.*

EPISTOLA DX. (ad Div. XIII. 69.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

C. Curtium, ut in fidem recipiatur, commendat.

M. T. CICERO P. SERVILIO, COLLEGAE, S. D.

C. Curtius Mithres, est ille quidem, ut scis, libertus Postumi, familiarissimi mei: sed me colit, et observat aeque atque illum ipsum patronum suum. Apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescumque fui, tamquam domi meae; multaque acciderunt, in quibus et benivolentiam eius erga me experirer et fidem. Itaque si quid aut mihi, aut meorum cuipiam in Asia opus est, ad hunc scribere consuevi; huius quum opera et fide, tum domó et re uti, tamquam mea. Haec ad te eo pluribus scripsi, ut intelligeres, me non vulgariter, nec ambitiose, sed ut pro homine intimo, ac mihi pernecessario scribere. Peto igitur a te, ut in ea controversia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, et in ceteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumque tuo commodo poteris, tantum et honoris mei causa commodes: etsi, ut eius modestiam cognovi, gravis tibi nulla in re erit. Si et mea commendatione, et sua probitate assecutus erit, uti de se bene existimes; omnia se adeptum arbitrabitur. Ut igitur eum recipias in fidem, habeasque in numero tuorum, te vehementer etiam atque etiam rogo. Ego, quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo.

Epist. DX. *non vulgariter*] Hoc cum Graevio restitui, sublato vulgato *vulgare*, quod contra bonam latinitatem est. *Vulgariter* habet ed. 1471. nec Victorius *vulgare* ausus est inferre in textum, etsi iam in ed. Rom. et Med. est, quam ille non viderat. *Ernesti.*

EPISTOLA DXI. (ad Div. XIII. 70.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Ampii Balbi libertum Menandrum commendat.

M. T. CICERO P. SERVILIO, COLLEGAE, S. P. D.

Quia non est obscura tua in me benivolentia, sic fit, ut multi per me tibi velint commendari. Ego autem tribuo nonnumquam in vulgus: sed plerumque necessariis in hoc tempore. Nam cum T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas necessitudoque est. Eius libertum, T. Ampium Menandrum, hominem frugi et modestum, et patrono et nobis vehementer probatum, tibi commendo maiorem in modum. Vehementer mihi gratum feceris, si, quibuscumque rebus sine tua molestia poteris, ei commodaris. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPISTOLA DXII. (ad Div. XIII. 71.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Commendat T. Agusium, veterem amicum.

M. T. CICERO P. SERVILIO, COLLEGAE, S. D.

Multos tibi commendem necesse est, quando omnibus nota nostra necessitudo est, tuaque erga me benivolentia. Sed tamen etsi omnium causa, quos commendo, velle debeo: tamen cum omnibus non

---

Epist. DXI. *in vulgus*] non hic ad contemptum personarum dicitur; est promiscue, sine delectu magno. *Ernesti*.

Epist. DXII. *quando omnibus*] Sic libri veteres. Recentiores *quum*, ut saepe. *Ernesti*. Benedictus retinuit *quum*, in quo cum Victorii codd. Dr. 1. 3. Torgav. consentiunt.

eadem mihi causa est. T. Agusius, et comes meus fuit illo miserrimo tempore, et omnium itinerum, navigationum, laborum, periculorum meorum socius: neque hoc tempore discessisset a me, nisi ego ei permisissem. Quare sic tibi eum commendo, ut unum de meis domesticis et maxime necessariis. Pergratum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat, hanc commendationem sibi magno usu atque adiumento fuisse.

EPISTOLA DXIII. (ad Div. XIII. 72.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Caerelliae negotia et procuratores commendat.

M. T. CICERO P. SERVILIO, COLLEGAE, S. D.

Caerelliae, necessariae meae, rem, nomina, possessiones Asiaticas commendavi tibi praesens in hortis tuis, quam potui diligentissime: tuque mihi, pro tua consuetudine, proque tuis in me perpetuis, maximisque officiis omnia te facturum liberalissime recepisti. Meminisse te id spero. Scio enim solere. Sed tamen Caerelliae procuratores scripserunt, te propter magnitudinem provinciae, multitudinemque negotiorum, etiam atque etiam esse commonefaciendum. Peto igitur, ut memineris, te omnia, quae tua fides pateretur, mihi cumulate recepisse. Equidem existimo, habere te magnam facultatem (sed hoc est tui consilii, et iudicii)

---

magno usu] Recte sic Gruterus. Alii ut et Gu. 1. 2. *usui*: illud melius iudice ipso Cicerone. *Ernesti.*

Epist. DXIII. *Caerelliae*] Haec mulier, philosophiae dedita valde Ciceronem observavit, eiusque scripta libenter legit. ad Att. XIII. 21. Dio lib. XLVI. Caleni verba recitat, lascivam ac libidinosam cum Caerellia con-

ex eo senatus consulto, quod in heredes C. Vennonii factum est, Caerelliae commodandi. Id senatus consultum tu interpretabere pro tua sapientia. Scio enim, eius ordinis auctoritatem semper apud te magni fuisse. Quod reliquum est, sic velim existimes, quibuscumque rebus Caerelliae benigne feceris, mihi te gratissimum esse facturum.

EPISTOLA DXIV. (ad Div. IV. 12.)

Scr. Romae A. U. C. 707.

Gratulatur de reditu per Caesaris amicos impetrato, ideoque cessare consolationem, re confecta. Esse tamen vel restituto aliquid ferendum, reipublicae calamitatem, in qua nullum solatium supersit nisi quod ex literarum studiis capiatur.

M. T. CICERO AMPIO, S. D.

Gratulor tibi, mi Balbe, vereque gratulor. Nec sum tam stultus, ut te usura falsi gaudii frui velim;

---

inetudinem Ciceroni exprobrantis. *Manut.* Meram hanc Caleni calumniam fuisse, hominis Ciceroni infensi, nemo dubitaverit.

ex eo SCto] Sunt et alia exempla decretorum senatus in caussis provincialium interpositorum, sive magistratibus sive partibus petentibus, ut e Verrinis, epp. ad Atticum etc. discimus. *Ernesti.*

Epist. DXIV. *Gratulor tibi*] Hanc epistolam, quam cum Hieronymo Ragazonio Anno U. C. 707. alligandam putamus Martyni-Laguna scriptum existimat A. U. C. 708. exeunte, idque colligit ex his epistolae verbis: *Scis me antea sic solitum scribere ad te, magis, ut consolarer fortem eo virum atque sapientem quam ut exploratam spem salutis ostenderem, nisi quam ex ipsa re publica, quum hic ardor restinctus esset, sperari oportere censerem.* Hunc *ardorem nondum restinctum* putat ad extrema belli civilis in Hispania gesti pertinere. Sed simili ratione

deinde frangi repente, atque ita cadere, ut nulla res ad aequitatem te animi possit postea extollere. Egi tuam causam apertius, quam mea tempora ferebant. Vincebatur enim fortuna ipsa debilitatae gratiae nostrae tui caritate, et meo perpetuo erga te amore, culto a te diligentissime. Omnia promissa, confirmata, certa, et rata sunt, quae ad reditum, et ad salutem tuam pertinent. Vidi, cognovi, interfui. Etenim omnes Caesaris familiares satis opportune habeo implicatos consuetudine et benivolentia, sic, ut, quum ab illo discesserint, me habeant proximum. Hoc Pansa, Hirtius, Balbus, Oppius, Matius, Postumius, plane ita faciunt, ut me unice diligant. Quod si mihi per me efficiendum fuisset, non me poeniteret pro ratione temporum ita esse molitum. Sed nihil est a me inservitum temporis causa. Veteres mihi necessitudines cum his omnibus intercedunt: quibuscum ego agere de te non destiti. Principem tamen habuimus Pansam, tui studiosissimum, mei cupidum: qui valeret apud illum non minus auctoritate, quam gratia.

Caecinam Cicero consolatus erat epist. 470. omninoque illa locutio *quum hic ardor restinctus esset* significat, quum perturbatio reipublicae et confusio omnium rerum ex debellatione Pompeii Magni orta cessasset, tranquilliorque certe, etiamsi non optimus reipublicae status illam tempestatem secutus esset.

quod si mihi per me] Sic mihi codd. edd. pr. idque Graevius secutus est. Alii *pro me;* Ernestio neutrum placebat; et coniecerat aliquando: *quod si mihi nunc demum;* quod sane praeferrem, si codices addicerent. Sed *nunc demum* intelligi potest, et *per me* non est reiiciendum. Sensus est; quod si mihi nunc demum per me efficiendum fuisset, ut a Pansa, Hirtio, ceterisque Caesarianis diligerer, non poeniteret me pro ratione temporum ita esse molitum. Sed nihil hic opus fuit temporis causa inservire; veteres enim mihi cum illis necessitudines intercedunt.

Cimber autem Tillius mihi plane satisfecit. Valent enim apud Caesarem non tam ambitiosae rogationes, quam necessariae: quas quia Cimber habebat, plus valuit, quam pro ullo alio valere potuisset. Diploma statim non est datum, quod mirifica est improbitas in quibusdam, qui tulissent acerbius, veniam tibi dari, quem illi appellant tubam belli civilis: multaque ita

---

valent enim] Sic Martyni-Laguna ad nexum aptius, quam ut vulgo edebatur *valent tamen*.

ambitiosae — necessariae] ambitiosae rogationes sunt, quum quis aliquid a potentiore petit non aliam ob caussam, quam ut se apud eum gratiosum esse ostendat, necessariae autem, quae fiunt pro amicis intima necessitudine coniunctis.

quas quia] Recte sic Ernestius ex ed. Rom. ut MSS. Guelf.

qui tulissent] int. si diploma statim esset datum, et repente rem confectam cognossent; alias esse deberet *tulerunt* — *Ernesti*.

quem illi appellant tubam belli civilis] Ampio Balbo praecipuas in ipsis belli civilis initiis partes fuisse, quum illa adversariorum eius criminatio belli civilis tubam eum appellantium, tum militum delectus Capuae acerrime ab illo id temporis habiti declarant. Vid. ad Att. VIII. 11. (h. ed. 334.) in Ciceronis ad Pompeium epistola, tum alius Ciceronis locus in epistola ad Coelium II. 16. (h. ed. ep. 372.) haud obscure prodit. A consulibus certe adhibitum T. Ampium fuisse ad nescio quae mandata secreta Pompeio ex Italia discedenti perferenda ex insigni Varronis de Vita Populi Romani apud Nonium fragmento ratione quidem haud improbabili collegisse nobis videmur. Est autem locus Nonii p. 525. edit. Merceri huiusmodi: „*Caecum* veteres pro improvido dixerunt. Varro de vita populi Romani lib. IV. *neque id caeci Consules fecissent, quae mandata arcana T. Ampio sedissent aut divi-di centum Gu. magnum . . .* Quae corrupta et in extremis quidem verbis sensu plane destituta esse, quis non videt? Nec sunt tamen a Iac. Gronovio, qui ad Suetonii Iul. c. 77. paulo negligentius illis usus est, vel verbo tentata. Quam-

dicunt, quasi non gaudeant id bellum incidisse. Quare visum est occultius agendum, neque ullo modo divulgandum, de te iam esse perfectum. Sed id erit perbrevi: nec dubito, quin, legente te has literas, confecta iam res futura sit. Pansa quidem mihi, gravis homo et certus, non solum confirmavit, verum etiam recepit, perceleriter se ablaturum diploma. Mihi tamen placuit, haec ad te perscribi. Minus enim te firmum sermo Eppuleiae tuae, lacrymaeque Ampiae declarabant, quam significant tuae literae: atque illae arbitrabantur, quum a te abessent ipsae, multo in graviore te cura futurum. Quare magnopere putavi, angoris et doloris tui levandi causa, pro certis ad te ea, quae essent certa, perscribi oportere. Scis, me antea sic solitum esse scribere ad te, magis ut consolarer fortem virum atque sapientem, quam ut exploratam spem salutis ostenderem, nisi quam ab ipsa re publica, quum hic ardor restinctus esset, sperari oportere censerem. Recordare tuas literas, quibus et magnum

---

vis autem in tanta loci brevitate et obscuritate certi vestigii vix aliquid supersit, videtur tamen res ad decantatam illam Gn. Pompeii ex Italia fugam pertinere, ex qua retrahere illum et retinere T. Ampius a senatu iussus fuerit, ut totus locus corrigendus sit in hanc sententiam: „neque id caeci Consules fecissent, qui mandata arcana T. Ampio dedissent, ut discedentem Gn. Magnum . . . .“ — *Martyni-Laguna.*

quasi non gaudeant — incidisse] nempe Ampio exprobrabant, quod fuisset quasi tuba belli civilis; et quamquam huius ipsius belli exitu, ipsi, utpote Caesariani, multis erant emolumentis aucti, ita tamen loquebantur, quasi non gauderent id bellum incidisse.

Eppuleiae] Ernestius etsi hoc nomen agnoscebat Romanum, tamen hic malebat Appuleiae, quod in Ms. suo repererat. *Eppuleia* coniux videtur fuisse Ampii, *Ampia* vero eius soror.

oportere] Hoc iam Lambinus addendum censuit, coniectura certissima.

animum mihi semper ostendisti, et ad omnes casus ferendos constantem, ac paratum: quod ego non mirabar, quum recordarer, te et a primis temporibus aetatis in re publica esse versatum, et tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse salutis, fortunarumque communium: et in hoc ipsum bellum esse ingressum, non solum uti victor, beatus; sed etiam si ita accidisset, victus ut sapiens esses. Deinde, quum studium tuum consumas in virorum fortium factis memoriae prodendis, considerare debes, nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum, quos laudas, te non simillimum praebeas. Sed haec oratio magis esset apta ad illa tempora, quae iam effugisti. Nunc vero tantum te para ad haec nobiscum ferenda: quibus ego si quam medicinam invenirem, tibi quoque eandem traderem. Sed est unum doctrina perfugium, ac literae, quibus semper usi sumus: quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur; nunc vero etiam salutem. Sed, ut ad initium revertar, cave dubites, quin omnia de salute ac de reditu tuo perfecta sint.

---

non solum uti victor beatus] Fortasse verius: *non solum, ut, si victor, beatus.*

sed etiam — sapiens esses] Vulgo: *sed etiam ut, si ita accidisset, victus ut sapiens esset.* Alterum *ut* delendum esse vidit Ernestius. Delevit posterius, etsi fatebatur molliorem auribus suis fore orationem deleto priori. Et mihi quidem etiam id melius visum. Martyni-Laguna tamen edidit: *sed etiam, si ita accidisset, victus et sapiens ut esses.* —

sed est unum doctrina perfugium] Sic verba concinnius ordinavit Martyni-Laguna. Vulgo *unum perfugium doctrina.*

EPISTOLA DXV. (ad Att. XII. 11.)

Scr. in villa quadam, ineunte autumno A. U. C. 707.

Seii mortem dolendam, sed humaniter ferendam, quid agat in senatu sibi quaerendum esse; denique nihil se de Pompeii filia, aliaque conditione uxoria sibi oblata cogitare scribit.

CICERO ATTICO S.

Male de Seio. Sed omnia humana tolerabilia ducenda. Ipsi enim quid sumus? aut quam diu haec curaturi sumus? ea videamus, quae ad nos magis pertinent, nec tamen multo, quid agamus de senatu. Et, ut ne quid praetermittam, Caesonius ad me literas misit, Postumiam Sulpicii domum ad se venisse.

Epist. DXV. *de Seio*] Ciceronis et Attici amico, quem Romae mortuum esse Atticus Ciceroni nuntiaverat.

quid agamus de Senatu] h. e. quod consilium capiamus de dicenda in senatu sententia (nam Romam iturus erat, ut extrema epistolae pars ostendit,) hoc vero curandum est. Nam si ad Caesaris voluntatem loquemur, boni vituperabunt; si ex utilitate rei publ. Caesar offendetur. *Manut.*

Postumiam Sulpicii] subintellige uxorem. Nam veteres sic loquebantur, Terentia Ciceronis, Postumia Sulpicii, Mucia Pompeii et huiusmodi, *uxor* subaudientes. Postumiam autem Ser. Sulpicii, iuris consultorum peritissimi coniugem fuisse, patet ex lib. IV. epistolarum ad Sulpicium. (h. ed. ep. 371.) *Manut.*

domum ad se venisse] Hoc tempore, quum Terentiam iam dimisisset, de ducenda uxore Cicero cogitabat. Huius rei causa Postumia venerat, ut cum Caesonio loqueretur. Eodem spectant ea quae sequuntur. Duxit autem postea Publiliam quandam, quam et ipsam deinde, quod Tulliolae morte laetari videretur, dimisit. Auctor Plutarchus in Cicerone. *Manut.* Terentiae nimirum Cicero media aestate A. U. C. 707. nuntium remisisse videtur, statimque novis nuptiis animum adiecisse. Publiliam vero, abiectis aliis conditionibus, ut temporum ratio constet,

De Pompeii Magni filia, tibi rescripsi, nihil me hoc tempore cogitare. Alteram vero illam, quam tu scribis, puto nosti. Nihil vidi foedius. Sed adsum. Coram igitur.

Obsignata epistola, accepi tuas. Atticae hilaritatem libenter audio: commotiunculis συμπάσχω.

EPISTOLA DXVI. (ad Div. IV. 14.)

Scr. Romae exeunte autumno A. U. C. 707.

Plancius bis Ciceroni, et de recuperata per Caesarem dignitate, et de nuptiis cum virgine, dimissa Terentia initis, gratulatus fuerat. Utrisque literis una epistola respondet Cicero: prioribus, non esse pristinam dignitatem, quam receperat: 1. alteris, quae causa fuerit novi consilii ineundi. 2. Tandem solatur Plancium Corcyrae exsulantem, eique nihil, praeter communem calamitatem, timendum esse confirmat, cui sua denique officia pollicetur. 3.

M. T. CICERO S. D. GN. PLANCIO.

Binas a te accepi literas, Corcyrae datas: quarum alteris mihi gratulabare, quod audisses, me meam pristinam dignitatem obtinere; alteris dicebas, te velle, quae egissem, bene ac feliciter evenire. Ego

---

duxisse videtur sub exitum huius anni, quum Romam e villis rediisset.

de Pompeii M. filia] a me in matrimonium ducenda.

alteram vero illam] quae fuerit illa, non constat. Sed Ciceronem, quamquam in uxore ducenda dotem praecipue spectabat, tamen etiam sexagenarium formae spectatorem fuisse ex h. l. intelligitur.

commotiunculis] hoc ad morbum illum Atticae referendum, cuius mentio fit ep. 455. Ex hoc morbo illa quidem convaluerat, sed tamen commotiunculae quaedam supererant febriles.

Epist. DXVI. *Corcyrae datas*] Hic Plancius, olim Ciceronis quaestor, exsulabat.

autem; si dignitas est, bene de re publica sentire, et bonis viris probare, quod sentias: obtineo dignitatem meam; sin autem in eo dignitas est, si quod sentias, aut re efficere possis, aut denique libera oratione defendere: ne vestigium quidem ullum est relictum nobis dignitatis; agiturque praeclare, si nosmetipsos regere possumus, ut ea, quae partim iam adsunt, partim impendent, moderate feramus; quod est difficile in eiusmodi bello, cuius exitus ex altera parte caedem ostendat, ex altera servitutem. Quo in periculo nonnihil me consolatur, quum recordor, haec me tum vidisse, quum secundas etiam res nostras, non modo adversas pertimescebam, videbamque, quanto periculo de iure publico disceptaretur armis. Quibus, si vicissent ii, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram; tamen intelligebam, et iratorum homi-

---

in eo dignitas est si] Haec sic constituta sunt bene a Graevio. Vulgo *d. e. quod sentias, aut re efficere, si possis*, nec ipsum malum, sed illud tamen melius. Edd. veterrimae fere: *quod sentias efficere posse;* ut et Ms. noster. At Gu. 2. plane sic, ut edidimus. *Ernesti.* Ego quoque ob variatam orationis structuram hanc lectionem sequor. Martyni-Laguna edidit: *Sin autem in eo dignitas est quod sentias aut re efficere posse aut — defendere* qua in lectione certe delendum erat, *in eo;* Benedictus vero: *Sin autem autem in eo dignitas est, si quod sentias, aut re efficere posse, aut — defendere*, quod minime omnium placet.

relictum] Hanc lectionem cum Martyni-Laguna praetuli. Alii *reliquum.*

eiusmodi bello] etiamsi haec epistola post reditum Caesaris e bello Africano scripta videatur, tamen civile bellum nondum erat finitum, quia instabat bellum Hispaniense adversus Pompeii filios.

et altera parte caedem] nempe ex parte Pompeianorum, qui si vicissent, crudeliores erant futuri, quam Caesariani.

secundas etiam rem nostras] Pompeianorum victoriam, si rem bene gessissent.

num, et cupidorum, et inſolentium quam eſſet crudelis futura victoria: ſin autem victi eſſent, quantus interitus eſſet futurus civium, partim ampliſſimorum, partim etiam optimorum; qui me, haec praedicentem atque optime conſulentem ſaluti ſuae, malebant nimium timidum, quam ſatis prudentem exiſtimari.

Quod autem mihi de eo, quod egerim, gratula- 2
ris; te ita velle, certo ſcio: ſed ego tam miſero tempore nihil novi conſilii cepiſſem, niſi in reditu meo nihilo meliores res domeſticas, quam rem publicam offendiſſem. Quibus enim pro meis immortalibus beneficiis cariſſima mea ſalus et meae fortunae eſſe debebant, quum propter eorum ſcelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil inſidiis vacuum viderem, novarum me neceſſitudinum fidelitate contra veterum perfidiam muniendum putavi.

Sed de noſtris rebus ſatis, etiam nimium multa. 3
De tuis velim, ut eo ſis animo, quo debes eſſe, id eſt, ut ne quid tibi praecipue timendum putes. Si enim

---

cupidorum] i. e. bonis Caeſarianorum inhiantium.

malebant] Significat maxime L. Domitium, Scipionem, Metellum, L. Lentulum conſulem et alios pugnandi cupidos. Lib. IX. ep. 6. (h. ed. 446.) Caeſ. de Bello Civ. lib. I. *Manut.*

2. *res domeſticas*] dimiſſam ab eo Terentiam ait Plutarchus, quia rem familiarem, ipſo abſente, male tractaſſet, aerisque plurimum alieni contraxiſſet, quod ut diſſolveret, virginem Publiliam, admodum divitem in tutelam ſibi traditam, ſuadentibus amicis, uxorem ſibi duxit. *Manut.*

mea ſalus et meae fortunae] In fortunis uxorem accuſat; in ſalute Quintum fratrem, fratrisque filium, qui vehementer illum poſt Pharſalicam pugnam apud Caeſarem oppugnaverat, quum ſe dicerent auctore Marco adverſus illum arma cepiſſe. *Manut.* Fieri poteſt, ut haec ſit Ciceronis ſententia; ſed tamen haud ineptum eſ-

ſtatus erit aliquis civitatis: quicumque erit, te omnium periculorum video expertem fore. Nam alteros tibi iam placatos eſſe, intelligo: alteros numquam iratos fuiſſe. De mea autem in te voluntate ſic velim iudices, me, quibuscumque rebus opus eſſe intelligam, quamquam videam, qui ſim hoc tempore, et quid poſſim, opera tamen et conſilio, ſtudio quidem certe, rei, famae, ſaluti tuae praeſto futurum. Tu velim, et quid agas, et quid acturum te putes, facias me quam diligentiſſime certiorem. Vale.

ſet, hoc de ſola Terentia intelligere; quamquam acerbius de illa, quam pro eius fortaſſe merito, loquitur. Demus enim, non nimis eam fuiſſe in re familiari tuenda diligentem; fortaſſe etiam quasdam pecunias in ſuos uſus avertiſſe; haec certe non fuit iuſta cauſa divortii, praeſertim quum magna dos ei reddenda eſſet; quo ipſo Ciceronis rationes implicatas magis quam expeditas fuiſſe videmus.

3. *alteros — placatos*] Caeſarianos.

M. T. CICERONIS

EPISTOLAE

A. U. C. DCCVIII.

SCRIPTAE.

C. IULIO CAESARE DICTATORE
SIMUL COS. IV.

M. AEMILIO LEPIDO MAG. EQUITUM
SUFFECTIS IN TRES ULTIMOS
MENSES

Q. FABIO MAXIMO C. TREBONIO
COSS.

EPISTOLA DXVII. (ad Div. VI. 1.)

Scr. Romae initio A. U. C. 708.

Aulum Torquatum, qui Pompeio victo, cuius partes secutus fuerat, Athenis exsulabat, consolatur, ut absentiam ab urbe aequo animo ferat, quia turbata sint omnia, et qui praesentes sint, multa cernant, quae nolint videre. Addit spem reditus nonnullam, hortaturque, ut virtute se sustentet et recti conscientia: etiam ex civitate, in qua exsulet, et Sulpicii consuetudine levamen petat.

M. T. CICERO S. D. A. TORQUATO.

Etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suae quemque fortunae maxime poeniteat, nemoque sit, quin ubivis, quam ibi, ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore, bono viro Romae esse miserrimum sit. Nam etsi, quocumque in loco quisque est, idem est ei sensus, et eadem acerbitas ex interitu rerum et publicarum, et suarum: tamen oculi augent dolorem; qui ea, quae ceteri au-

---

Epist. DXVII. *A. Torquato*] A. Manlius Torquatus vir optimus et Ciceronis amantissimus de Fin. II. 22. quem idem pro Plancio c. XI. gravissimum et sanctissimum atque omni laude et honore dignissimum virum vocat, Praetor fuit Pompeio tertium consule et in caussa Milonis quaesitor; post pro praetore Africam rexit. In bello civili Pompeianarum partium erat, et post pugnam Pharsalicam Athenis exsulabat, quo has literas ad eum Cicero ut tres alias, quae infra sequuntur, misit.

oculi augent dolorem] oratorie modo sensum oculorum auget, aurium imminuit, modo contra. Nam lib. VI. ep. 9. (h. ed. 468.) aurium sensu plus doloris quam oculis percipi dixit,

diunt, intueri coguntur, nec avertere a miseriis cogitationem sinunt. Quare etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est: tamen illo dolore, quo maxime te confici audio, quod Romae non sis, animum tuum libera. Etsi enim cum magna molestia tuos, tuaque desideras: tamen illa quidem, quae requiris, suum statum tenent; nec melius, si tu adesses, tenerent, nec sunt ullo in proprio periculo, nec debes tu, quum de tuis cogitas, aut praecipuam aliquam fortunam postulare, aut communem recusare. De te autem ipso, Torquate, est tuum, sic agitare animo, ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem, aut timorem. Nec enim is, qui in te adhuc iniustior, quam tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati; nec tamen is ipse, a quo salus petitur, habet explicatam aut exploratam rationem salutis suae. Quumque omnium bellorum exitus

---

quia Marcello reditum suadebat, hic, ut absentem Torquatum consoletur, oculis augeri dolorem ait. Sic ep. 4. (h. ed. 527.) *in omnibus malis*, inquit, *acerbius est videre, quam audire* et lib. IV. ep. 13. (h. ed. 463.) *nec audio solum, quod ipsum esset miserum sed etiam video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari.* — *Manut.*

cum magna molestia tuos — desideras] liberos inprimis, de quibus epist. 4. *reliquum est ut te angat quod absis a tuis tam diu. Res molesta praesertim ab iis pueris quibus nihil potest esse festivius.* — *Manut.*

qui in te adhuc iniustior — fuit] Caesarem significari manifestum est, de quo paulo initius ep. 4. (h. ed. 527.) *eius enim, qui tardior in te levando fuit, quam fore putaramus non est mihi dubia de tua salute sententia. Manut.*

nec tamen is ipse — salutis suae] Hoc non tam ad caedem ei sorte impendentem, quam ad incertam in bello Hispaniensi fortunam referendum est. Scripta enim est haec epistola anni 708. initio, quo tempore dubius etiamnum erat Hispaniensis belli eventus.

incerti sint: ab altera victoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem seiunctum sit ab omnium interitu; ab altera te ipsum numquam timuisse certo scio. Reliquum est, ut te id ipsum, quod ego quasi consolationis loco pono, maxime excruciet, commune periculum rei publicae; cuius tanti mali, quamvis docti viri multa dicant, tamen vereor, ne consolatio nulla possit vera reperiri, praeter illam, quae tanta est, quantum in cuiusque animo roboris est atque nervorum. Si enim bene sentire, recteque facere satis est ad bene beateque vivendum: vereor, ne eum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse nefas sit dicere. Nec enim nos arbitror victoriae praemiis ductos, patriam olim et liberos et fortunas reliquisse: sed quoddam nobis officium iustum et pium et debitum rei publicae nostraeque dignitati videbamur sequi: nec quum id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis esset victoria. Quare si id evenit, quod ingredientibus nobis in causam propositum fuit accidere posse: non debemus ita cadere animis, quasi aliquid evenerit, quod fieri posse numquam putarimus. Simus igitur ea mente, quam ratio et virtus praescribit, ut nihil in vita nobis praestandum, praeter culpam, putemus: eaque quum careamus, omnia humana placate et mo-

---

ab altera victoria] Caesaris.

ab omnium interitu] a totius rei publicae interitu, quum si Caesar hoc quoque bello Hispaniensi vicerit, omnium dominus futurus sit. Itaque proprium negat periculum Torquato esse, commune omnium rerum et civium concedit.

ab altera] victoria Pompeianorum.

ne consolatio nulla] Recte sic Manutius, Ernestius aliique correxerunt vulg. *ne consolatio ulla.*

nec quum id faciebamus] Ita recte Victorius multique alii. Frustra e codd. undecim Benedictus restituit *sed qui nec quum id faciebamus.*

derate feramus. Atque haec eo pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipsa virtus se sustentare posse videatur. Sed, si est spes aliqua rebus communibus, ea tu, quicumque status est futurus, carere non debes. Atque haec mihi scribenti veniebat in mentem, me eum esse, cuius tu desperationem accusare solitus esses; quemque auctoritate tua cunctantem et diffidentem excitare. Quo quidem tempore non ego causam nostram, sed consilium improbabam. Sero enim nos iis armis adversari videbam, quae multo ante confirmata per nosmetipsos erant: dolebamque, pilis et gladiis, non consiliis, neque auctoritatibus nostris de iure publico disceptari. Neque ego ea, quae facta sunt, fore quum dicebam, divinabam futura: sed, quod et fieri posse, et exitiosum fore, si evenisset, videbam, id ne accideret, timebam: praesertim quum si mihi alterutrum de eventu atque exitu rerum promittendum esset, id futurum, quod evenit, exploratius possem promittere. Iis enim rebus praestabamus, quae non prodeunt in aciem: usu autem armorum, et militum robore inferiores eramus. Sed tu illum animum nunc adhibe, quaeso, quo me tum esse oportere censebas.

2 Haec eo scripsi, quod mihi Philargyrus tuus omnia de te requirenti, fidelissimo animo (ut mihi quidem visus est) narravit, te interdum sollicitum solere esse vehementius: quod facere non debes, nec dubitare, quin aut aliqua re publica sis futurus, qui esse debes; aut perdita, non afflictiore conditione, quam ceteri. Hoc vero tempus, quo exanimati omnes,

---

veniebat] Male reposuit Benedictus e sex codd. lectionem *veniebant*. Quod scilicet bene se haberet, si hoc verbum cum *haec* construendum esset. At *haec* tantum refertur ad *scribenti*. Itaque sensus est: *Dum haec scribebam, veniebat in mentem me eum esse* etc.

et ſuſpenſi ſumus, hoc moderatiore animo ferre debes, quod et in urbe ea es, ubi nata et alta eſt ratio ac moderatio vitae; et habes Ser. Sulpicium, quem ſemper unice dilexiſti; qui te profecto et benivolentia, et ſapientia conſolatur. Cuius ſi eſſemus et auctoritatem et conſilium ſecuti: togati potius potentiam, quam armati victoriam ſubiſſemus. Sed haec longiora fortaſſe fuerunt, quam neceſſe fuit: illa, quae maiora ſunt, brevius exponam. Ego habeo, cui plus, quam tibi, debeam, neminem. Quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi huius belli caſus eripuit. Qui ſim autem hoc tempore, intelligo. Sed quia nemo eſt tam afflictus, qui, ſi nihil aliud ſtudeat, niſi id quod agit, non poſſit navare aliquid et efficere: omne meum conſilium, operam, ſtudium certe velim exiſtimes tibi, tuisque liberis eſſe debitum.

---

2. *ſuſpenſi ſumus*] exſpectatione, quem eventum ſit bellum Hiſpanienſe habiturum.

urbe ea es] Athenis.

ratio ac moderatio vitae] philoſophiam morum ſignificat, natam in ſchola Socratica, ab eiusque diſcipulis et ſucceſſoribus Platone, Ariſtotele, Stoicis altam et amplificatam. Non enim hic reſpici putem ad religionem, iura, leges, quod Manutio viſum.

Ser. Sulpicium] Graeciae praepoſitum a Caeſare. *Manut.*

auctoritatem et conſilium] Omnino cavendum civile bellum, cuius initia cernebantur, Sulpicius conſul cenſuit. Ep. 4. lib. IV. (h. ed. 469.) *abſens cognoſcebam, quae eſſet tua in hoc peſtifero bello cavendo et praedicendo ſententia — Manut.*

togati potius potentiam] Caeſaris. Simile illud ep. 6. (h. ed. 470.) *nolo hunc exiſtimare, ea me ſcripſiſſe Pompeio, quibus ille ſi paruiſſet, eſſet hic quidem clarus in toga et princeps, ſed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet.*

belli caſus eripuit] ut Gn. Pompeium et P. Lentulum, in Aegypto occiſos.

EPISTOLA DXVIII. (ad Div. XV. 18.)

Scr. Romae initio A. U. C. 708.

Epistolae brevitatem excusat: tristitiam temporum accusat: nihil ex Hispania afferri significat.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Longior epistola fuisset, nisi eo ipso tempore petita esset a me, quum iam iretur ad te. Longior etiam, si φλύαρον aliquem habuissem. Nam σπουδάζειν sine periculo vix possumus. Ridere igitur, inquis, possumus. Non mehercule facillime. Verumtamen aliam aberrationem a molestiis nullam habemus. Ubi igitur, inquies, philosophia? Tua quidem in culina, mea in palaestra est:

Epist. DXVIII. *longior etiam*] Aptior haec lectio, quam *longior autem*, quod est in Dr. 2. 3. 5. Lips. Asc. I. ed. Vict. et nuper restitutum a Benedicto.

φλύαρον *aliquem*] Hoc verum esse non potest; nec enim sensum commodum habet. Nam quid est: *epistola habet φλύαρον aliquem?* Si φλύαρον accipis in masculino int. λόγον, tamen esse debeat *habuissem*; quod et sequentia postulant. Nam si maxime *epistola habet φλύαρον aliquem* rectum esset, tamen esse h. l. deberet, *si φ. a. haberet*. Sed ego vix dubito Ciceronem scripsisse *si φλύαρον aliquid habuissem*. Compendiaria scriptura vitium pronomini intulit. De *habuissem* et Lambino ac Gebhardo in mentem venit. *Ernesti*. Φλύαρον *aliquem* bene adversus Ernestium defendit Benedictus; est enim substantivum ut apud Aristoph. Nubb. V. 365. minus bene tuetur illud *habuisset*. Manutius autem falso intp. φλύαρον *garrulum nugacem*. Immo potius φλύαρος est *iocus*. Cicero ait: Longior etiam epistola fuisset, si nugas quasdam habuissem, de quibus tecum iocari possem; nam seria tractare sine periculo vix possumus.

tua quidem in culina] iocatur in Cassium, ut Epicureum, quasi miseriam temporum non alia magis ratione levandam putet, quam voluptate epularum.

mea in palaestra est] Egre-

Pudet enim servire. Itaque facio me alias res agere, ne convicium Platonis audiam. De Hispania nihil adhuc certi, nihil omnino novi. Te abesse, mea causa moleste fero, tua gaudeo. Sed flagitat tabellarius. Valebis igitur, meque, ut a puero fecisti, amabis.

EPISTOLA DXIX. (ad Div. IX. 10.)

Scr. Romae initio A. U. C. 708.

Inter Niciam et Vidium iudex in causa, ut videtur, pecuniaria, constitutus, quod grammaticus Nicia erat, per iocum ad grammaticos adludit: etiam de P. Syllae morte iocose scribit.

M. CICERO P. DOLABELLAE, S. D.

Non sum ausus Salvio nostro nihil ad te literarum dare. Nec mehercule habebam, quod scriberem, nisi

---

gie sic olim P. Manutius teste Lambino (nam in illius commentariis non reperio) emendavit vulgatam lectionem, prorsus absurdam, *mea molesta est*; quam emendationem qui secuti sunt editores male neglexerunt. *In palaestra* significat proprie, Ciceronem se domi *in palaestra* hortis adiuncta ambulando exercere, aut ut ipse alibi dicit, palaestrice in xysto spatiari, simul autem ad declamandi exercitia respicitur, quae solent cum *palaestra* comparari, ut actiones forenses cum acie et dimicatione. Sic illud *in palaestra* aptius explicari censeo, quam ut Gronovius, qui sic interpretatur: *quia mihi placent, qui virtutem et laborem praeferunt*. Cf. Or. I. 18. Lectio *molesta* orta est ex aberratione librariorum, quorum oculis h. l. obversabatur antecedens *molestiis*.

pudet enim servire] pudet enim me servitutis a Caesare nobis impositae.

itaque facio — agere] Itaque aliud agere me simulo, vel spatiando in palaestra, vel declamationibus me et discipulos exercendo.

ne convicium Platonis audiam] servientes obiurgantis. *Manut.*

Epist. DXIX. *Salvio nostro*] liberto.

te a me mirabiliter amari: de quo, etiam nihil scribente me, te non dubitare, certo scio. Omnino mihi magis literae sunt exspectandae a te, quam a me tibi. Nihil enim Romae geritur, quod te putem scire curare: nisi forte scire vis, me inter Niciam nostrum et Vidium iudicem esse. Profert alter (ut opinor) duobus versiculis expensum Niciae: alter Aristarchus hos ὀβελίζει. Ego, tamquam criticus antiquus, iudicaturus sum, utrum sint τοῦ ποιητοῦ, an παρεμβεβλημένοι. Puto te nunc dicere: Oblitusne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? et ingentium squillarum

---

Niciam] Hic est Curtius Nicias, grammaticus, de quo Suetonius in libro de Grammaticis: familiaris Dolabellae fuit, ad Att. XIII. 52. *Manut.*

iudicem] de pecunia, quam sibi a Nicia deberi Vidius aiebat. *Manut.*

profert alter ut opinor] *opinari* se dicit, quia Vidii codicem accepti et expensi nondum fortasse viderat.

duobus versiculis] nihil aliud significat, quam duabus lineis s. στίχοις nec opus est cum Gronovio intelligere duobus nominibus s. titulis.

expensum Niciae] Vidius a Nicia petit nummos, quos eum sibi debere dicit, quos in calendario suo, vel tabulis expensi ei credidisse scriptum profert. *Expensum ferre alicui* est imputare alicui, erogatum alicui testari, scribere, dicere. *Gronov.*

alter Aristarchus] ut Aristarchus olim, quos Homeri non esse versus arbitrabatur, obelisco notabat, ut inducerentur tanquam nothi; sic Nicias versiculos illos expensam sibi pecuniam indicantes, non agnoscebat, fictosque a Vidio dicebat. *Manut.*

ingentium squillarum] in duobus Mss. Manutii *ingentium culinarum*. In Dresd. I. Torg. Pal. I. Amst. aliisque: *ingentium cularum*. Pal. 6. *ingenti vincularum*. Dresd. 2. 4. *ingentinacularum*. Quidam libri teste Hubertino: *ingentium cochlearum*. Alii ut Dresd. I. *ingentium ferculorum*. Alii quos inspexit Lambinus: *ingentium gallinarum*. Ioh. Frid. Gronov. e coniectura *ingentium squillarum*, quam lectionem, donec certior fortasse reperiatur cum Ernestio praeferendam duxi.

cum ſepia Septimiae? Quid ergo? tu adeo mihi excuſſam ſeveritatem veterem putas, ut ne in foro quidem reliquiae priſtinae frontis appareant? ſed tamen ſuaviſſimum συμβιώτην noſtrum praeſtabo integellum: nec committam, ut, ſi ego eum condemnaro, tu reſtituas,

---

cum ſepia Septimiae] Vulgo *cum Sophia Septimia.* Alii ex Pantagathi coniectura edidere cum *Sophia Septimiae.* In Pal. I. et Amſt. *cum Sophia Septimo.* Pal. 6. *cum Sophia Septumo. Sepia* dedimus ex coniectura I. F. Gronovii. *Sophia* certe nihili eſt. Sed ne *Septimiae* quidem verum eſſe poteſt. Latet ut opinor, in eo verbum, quod ingentem *ſepiae* a Nicia appoſitae magnitudinem denotabat. Id certe apte reſponderet alteri membro *ingentium ſquillarum.* Benedictus totum hunc locum ſic a Cicerone ſcriptum eſſe coniiciebat: *oblitusne es igitur fungorum illorum quos apud Niciam? et ingentium helvellarum cum ſilphio et thymo.* Sane quidem helvellae una cum fungis memorantur ep. 91. et ſilphium, ſicut thymum, inter condimenta ciborum adhibitum eſſe, ex Plinio aliisque ſcriptoribus docuit Perizonius in notis ad Aeliani V. H. lib. XII. c. 27. Tamen haec Benedicti emendatio non eſt eiusmodi, ut ei certam fidem adhibeamus.

tu adeo — priſtinae frontis appareant] Nempe quia Dolabellam Cicero per iocum induxerat ſic loquentem, ut diceret illum in cauſa Niciae iudicanda meminiſſe oportere coenarum, quas ille praebuerat: pergit Cicero iocari quaerens, num putet ſibi priſtinam in iudicando ſeveritatem et iuſtitiam adeo excuſſam eſſe, ut ne in foro quidem reliquiae priſtinae frontis, i. e. priſtinae ſeveritatis appareant.

συμβιώτην] convictorem.

praeſtabo integellum] efficiam ne quid damni patiatur. *Manut.* Significat ſi pronuntiaturus ſit, debere videri, ſe pro eo pecuniam numeraturum. *Gronov.* Equidem nihil aliud ſignificari puto, quam Ciceronem pro Nicia pronuntiaturum, ne ei opus ſit Vidio pecuniam ſolvere.

nec committam — tu reſtituas] Iocari coepit, quum dixit: *ut ne in foro quidem reliquiae priſtinae frontis ap-*

ne habeat Bursa Plancus, apud quem literas discat. Sed quid ago? quum mihi sit incertum, tranquillone sis animo, an, ut in bello, in aliqua maiuscula cura negotiove versere, labor longius. Quum igitur mihi erit exploratum, te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. Te tamen hoc scire volo, vehementer populum sollicitum fuisse de P. Sullae morte,

---

pareant. Non enim de Niciae et Vidii controversia iudicaturus erat in foro, sed intra domesticos parietes, iudex [s. arbiter.] ab utroque electus, communis amicitiae iure, parique aequitatis eius opinione. Fori vero mentionem facit, quia lites in foro iudicabantur. Itaque ut ingenio valebat, eratque cum familiaribus festivus et facetus, primum a forensibus iudiciis ad eam, quam inter duo litigantes personam susceperat, ducta similitudine iocum quaesivit, deinde ut iniquam notaret conditionem temporum, quia Caesar damnatos lege Pompeia restituerat, cur ego, inquit, amicum tuum Niciam condemnem, quum vos Caesariani iudicia rescindere et damnatos restituere soleatis? Itaque vereri possum, ne iudicium meum si tibi displicuerit, irritum facias, et quem ego condemnaro tu in integrum restituas. *Manut.*

ne habeat Bursa — discat] ne ille tuo hoc beneficio devinctus Planco vestro Bursae se dedere compellatur, et illum barbarum literarum elementis imbuere. Nam et hic fuerat inimicus Ciceronis, et quum melioribus temporibus damnatus esset, a Caesare civitatem receperat. *Gronov.*

a. quem literas discat] Iocus ex eodem fonte ductus et eadem ambiguitate *literarum*, quae et a Grammatico discuntur, et in re pecuniaria dicuntur. Sensus videtur esse, ne aes alienum facere, et deinde negare discat. Hoc mihi videtur probabilius, quam irrisio inscitiae, quam hic Bursae exprobari putat Manutius. Et ille Bursa nuper restitutus erat, unde apta mentio eius antecedentibus. *Ernesti.* Mihi tamen Manutii ratio et simplicior videtur et verior. Nam nihil est quod Ciceronem putemus Niciam grammaticum insimulasse fraudis ac doli, quo ille, quod vere Vidio

ante quam certum scierit. Nunc quaerere desierunt, quomodo perierit. Satis putant, se scire, quod sciunt. Ego ceteroqui animo aequo fero; unum vereor, ne hasta Caesaris refrixerit.

EPISTOLA DXX. (ad Div. XV. 17.)

Scr. Romae initio anni A. U. C. 708.

Queritur de importunis tabellariis 1. *narrat de P. Sullae morte;* 2. *de bello Hispaniensi* 3. *de Pansae profectione in provinciam;* 4. *Cassii consilium probat, Brundisinae mansionis; literas mutuas poscit.* 5.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

Praeposteros habes tabellarios; etsi me quidem non offendunt; sed tamen, quum a me discedunt, flagitant literas; quum ad me veniunt, nullas afferunt. Atque id ipsum facerent commodius, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent; sed petasati veniunt, comites ad portam exspectare dicunt. Ergo ignosces: alteras habebis has breves. Sed exspecta πάντα περὶ πάντων. Etsi quid ego me tibi purgo, quum tui ad me inanes veniant; ad te cum epistolis revertantur?

---

debuerit, abnegare ausus sit.

antequam certum scierit] Verebatur enim, ne falsum esset, quod esse verum cupiebat, quia P. Sulla, quod et antea dictatore propinquo suo L. Sulla, et postea Caesare proscriptorum civium bona emere consueverat, populo inprimis odio erat cf. XV. 17. 19. ad Fam. (h. ed. 520.) Nominatur etiam de offic. lib. II. c. 8. *Manut.*

ne hasta Caesaris refrixerit] ne Sulla illo sectore bonorum mortuo, pauci sint, qui emere proscriptorum bona velint, quae Caesar sub hasta vendi iusserat.

2 Nos hic (tamen ad te scribam aliquid) P. Sullam patrem mortuum habebamus. Alii a latronibus, alii cruditate dicebant. Populus non curabat; combustum enim esse constabat. Hoc tu pro sapientia tua feres aequo animo. Quamquam πρόσωπον πόλεως amisimus. Caesarem putabant moleste laturum, verentem, ne hasta refrixisset. Mindius Marcellus, et Attius pigmentarius valde gaudebant, se adversarium perdidisse.

Epist. DXX. 2. *P. Sullam*] Ita nomen scribendum erat, ut supra ep. 519. non ut vulgo D. Sullam: Pighius in Annal. corrigit *D. Silanum*.

alii cruditate] Iocatur in hominis voracitatem.

non curabat] de genere mortis, mortuum autem esse laetabatur. Eodem modo iocatus est Cicero de Sullae morte IX. 10. (h. ed. ep. 519.) *Manut.*

combustum — constabat] Itaque de morte dubitari iam non poterat.

feres aequo animo] Ironia. Satis enim sciebat non dolere Cassium eius hominis morte, qui bona Pompeianorum emere in auctione solitus esset. *Manut.*

quamquam πρόσωπον πόλεως amisimus] *specimen civitatis.* Videtur laudari, ut ap. Senecam *specimen antiquum imperii.* Sed revera significat, vel amisimus hominem, unde scire posses, quam corrupta civitate utamur; vel sine ullo ad hunc respectu omnem faciem bene constitutae rei publ. perdidimus per Caesarem. *Gronov.* Prior interpretandi ratio sine dubio praeferenda. Non enim universe de re publ. loquitur, sed acerba cum ironia de Sulla mortuo. Quamquam scilicet *personam civitatis* illustrem amisimus, tu tamen id aequo animo feres.

ne hasta refrixisset] Vid. IX. 10. (h. ed. 519.) Hic etiam potest intelligi hoc quod Sulla ille effecerit in auctionibus, ut pretia bonorum augerentur; quo pertinere videtur, quod Mindius et Attius gavisi sunt, quum in eo se adversarium in auctionibus perdidisse crederent. *Ernesti.*

adversarium] scil. in emendis Pompeianorum bonis. Solebat enim in auctione plus liceri quam illi.

De Hispania novi nihil; sed exspectatio valde 3
magna; rumores tristiores, sed ἀδέσποτοι.

Pansa noster paludatus a. d. III. kalend. Ian. pro- 4
fectus est, ut quivis intelligere posset id, quod tu nuper dubitare coepisti, τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν esse. Nam quod multos miseriis levavit, et quod se in his malis hominem praebuit, mirabilis eum virorum bonorum benivolentia prosecuta est.

Tu quod adhuc Brundisii moratus es, valde pro- 5
bo, et gaudeo: et mehercule puto te sapienter facturum, si ἀκενόσπουδος fueris. Nobis quidem, qui te

---

3. *tristiores*] adversis Caesaris rebus. *Manut.* Nempe ante Ateguam a Caesare captam d. XIX. Febr. h. a. rumores poterant afferri de rebus eius in periculum adductis. Sed ambigue loquitur Cicero. Poterat enim *rumores tristiores* intelligi de Pompeii filiis in discrimen adductis.

ἀδέσποτοι] sine auctore.

4. *Pansa*] C. Vibius Pansa, qui postea cum Hirtio consul fuit. *Manut.*

profectus est] in Galliam citeriorem Bruto successurus. Sed quod scribit Pansam a. d. III. Kalend. Ian. profectum esse, is dies congruere non videtur iis quae de Pansae profectione infra ad Atticum scribit. Neque tamen haec epistola serius scripta videtur: nam si eodem tempore scripta esset, quo illa ad Atticum (XII. 17. et seqq.) in recenti dolore ob Tulliae mortem iocaturus fuisse non videtur, ut h. l. de Sullae morte. Ergo haec ad Cassium epistola mense Ianuario, antequam Tullia diem suum obiisset scripta videtur; et quae infra de profectione Pansae scribuntur, non ad exitum ex urbe, sed ad ipsam profectionem in provinciam, quum fortasse interea in villa quadam commoratus esset, referenda sunt.

quod tu nuper dubitare coepisti] quum in Epicuri scholam transieris.

τὸ καλὸν — *esse*] virtutem propter se ipsam expetendam esse, quod erat δόγμα Stoicorum.

5. ἀκενόσπουδος] minime curiosus, nimio rerum studio vacans, rumusculosque cuiusque rei non captans. *Manut.*

amamus, erit gratum. Et amabo te, quum dabis posthac aliquid domum literarum, mei memineris. Ego numquam quemquam ad te, quum sciam, sine meis literis ire patiar.

EPISTOLA DXXI. (ad Div. VI. 18.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

Respondet ad quaestionem Leptae de decurionibus in municipiis ex lege Iulia. 1. *addit quaedam nova de Hispaniis.* 2. *de negotio Leptae, quod sponsor esset pro Pompeio* 3. *de Oratore suo ad M. Brutum.* 4. *cur diutius Romae commoretur* 5. *Leptae filio Hesiodi lectionem commendat* 6.

CICERO LEPTAE.

Simul accepi a Seleuco tuo literas, statim quaesivi e Balbo per codicillos, quid esset in lege. Rescripsit, *Eos, qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus: qui fecissent, non vetari.* Quare bono animo sint et tui, et mei familiares. Neque enim erat ferendum, quum, qui hodie haruspicinam facerent,

---

Epist. DXXI. 1. *e Balbo*] e Cornelio Balbo, Caesaris familiari. Is enim tum Romae erat.

quid esset in lege] quam Iulius Caesar de decurionibus in provinciis ferre in animo habebat, et iam scripserat.

qui facerent praeconium] qui etiamnum praecones essent; praecones enim vilioris erant Romae conditionis.

in decurionibus] senatores vel coloniarum, vel municipiorum *decuriones* vocabantur. Et ut Romam ad senatum consules, ita in municipiis ad decuriones *quatuorviri* in coloniis *duumviri* referebant. Ac nomine quidem ipso *decuriones* decem tantum videantur; sed plures fuisse constat, quod in secunda agraria centum nominantur. *Manut.*

qui hodie haruspicinam facerent] pungebat viros bonos delata a Caesare haruspici Ruspinae senatoria dignitas. *Manut.*

in senatum Romae legerentur: eos, qui aliquando praeconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere.

De Hispaniis novi nihil. Magnum tamen exercitum Pompeium habere constat. Nam Caesar ipse ad nos misit exemplum Paciaeci literarum, in quo erat, ipsas undecim esse legiones. Scripserat etiam Messala Q. Salasso, P. Curtium fratrem eius, iussu Pompeii, inspectante exercitu, interfectum, quod consensisset cum Hispanis quibusdam, si in oppidum nescio quod Pompeius rei frumentariae causa venisset, eum comprehendere, ad Caesaremque deducere. 2

De negotio tuo, quod sponsor es pro Pompeio, si Galba consponsor tuus redierit, homo in re familiari 3

---

2. *Pompeium*] Gn. Magni filium.

ad nos] sic pro *eos* edidimus, ut Graevius, etiam MSS. nostris et edd. pr. consentientibus; et sensum facit meliorem. *Ernesti*. Nempe *ad nos* est *ad senatum*.

Paciaeci] L. Iunii Paciaeci Hispani hominis, Romana civitate donati, quod praenomen et nomen indicant. Cognomen vero Hispanum fuisse satis constat. *Manut*. Nimirum auctor de bello Hispaniensi c. 3. scribit Caesarem cohortibus et equitibus ad oppidum Uliam missis praefecisse hominem eius provinciae notum et non parum scientem L. Iunium Paciaecum.

ipsas undecim esse legiones] *ipsas* e cod. Stewech, edidimus, quod et Graevio placebat, pro vulgato *illi*, vel *illas* ut est in plerisque libris, etiam MSS. nostris, edd. 1469. Rom. 1471. Med. etc. Saepe ex *ipse* factum *ille* satis constat, praesertim quum *ipse* exquisitius dictum esset, ut h. l. ubi est pro *omnino*, *admodum*. Ac nescio an et post in verbis *quod videbatur ille mihi confidere*, *ipse* legendum sit. Nam *ille* nimis languet, post *non desinam cum illo communicare*, *si quid expediri possit*, suspicatusque antea sum esse additum a glossatore. *Ernesti*.

3. *sponsor es pro Pompeio*] vel pro Pompeio Magno, vel pro eius filio modo memorato. Ac videtur dubium fuisse, an bonis Pom-

non parum diligens, non deſinam cum illo communicare, ſi quid expediri poſſit: quod videbatur mihi ille confidere.

4 *Oratorem* meum tantopere a te probari vehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo, me, quidquid habuerim iudicii de dicendo, in illum librum contuliſſe. Qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoque aliquid ſum: ſin aliter, non recuſo, quin, quantum de illo libro, tantumdem de mei iudicii fama detrahatur. Leptam noſtrum cupio delectari iam talibus ſcriptis. Etſi abeſt maturitas aetatis, tamen perſonare aures eius huiusmodi vocibus non eſt inutile.

5 Me Romae tenuit omnino Tulliae meae partus. Sed quum ea, quemadmodum ſpero, ſatis firma ſit: teneor tamen, dum a Dolabellae procuratoribus exigam primam penſionem; et, mehercule, non tam ſum peregrinator iam, quam ſolebam. Aedificia mea me delectabant et otium. Domus eſt, quae nulli villarum

---

peii publicatis Lepta ſponſione ſua teneretur, ut illius creditoribus de ſuo ſatis faceret.

Oratorem] librum de perfecto oratore ad M. Brutum.

4. *Leptam noſtrum*] Leptae filiam.

5. *Tulliae meae partus*] Menſe Ianuario Tullia poſt factum cum Dolabella divortium, pepererat filiolum, quem infra *Lentulum puerum* Cicero vocat. Ex partu primum ſatis firma eius valitudo viſa: paulo poſt autem in graviorem morbum incidit, quo menſe Februario conſumpta eſt.

primam penſionem] dotis a Dolabella Tulliae reddendae.

me delectabant] Haec verior lectio. Alii *delectant*, quod nuper Martyni Laguna revocavit. Cicero autem ait, olim quum ſaepius peregrinabar, aedificia mea in villis me delectabant et otium. Nunc vero idem praeſtat urbs, ubi domus eſt, quae nulli villarum mearum cedat, et otium omni deſertiſſima regione maius.

domus eſt] Erneſtio hic videbatur oratio hiare: Addendum putabat in principio *iam* vel *nunc*. Sed ſi

mearum cedat: otium omni desertissima regione maius. Itaque ne literae quidem meae impediuntur; in quibus sine ulla interpellatione versor. Quare, ut arbitror, prius hic te nos, quam istic tu nos videbis.

Lepta suavissimus ediscat Hesiodum: et habeat in 6
ore,

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα —.

EPISTOLA DXXII. (ad Div. XV. 16.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

Epistolas Cassii requirens iocatur in opiniones Epicureas de imaginum incursione, et in ipsum Cassium Epicureae philosophiae studiosum.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

Puto, te suppudere, quum haec te tertia iam epistola ante oppresserit, quam tu syllabam aut literam. Sed non urgeo. Longiores enim exspectabo, vel potius exigam. Ego, si semper haberem, cui darem, vel ternas in hora darem. Fit enim, nescio quî, ut

---

referas ad priora verba: *non tam : sum peregrinator*, facile intelligi potest, *iam vel nunc*; ascribi nihil est opus.

6. τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα]. Intelligit nobilissimos Hesiodi versus Ἐργ.

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοί
προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ
ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν,
Καὶ τρηχὺς τοπρῶτον· ἐπὴν
δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

Epist. DXXII. *quum — oppresserit*] Sic Manut. ex antiquo libro; item eod. Palat. 6. nisi quod *antea* habet pro *ante*. Gronovius malebat: *quem haec tertia epistola iam ante oppressit*. Pro *oppresserit* Victorius e quibusdam codd. codd. *operis sit*, quod recte Manut. Lambinus, Graevius aliique repudiarunt.

quam tu syllabam] Ita Lambinus scriptum reperit in cod. Memm. et Cleric. idque Ernesti quoque affert

quasi coram adesse videare, quum scribo aliquid ad te: neque id κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui amici novi: qui putant etiam διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari. Nam, ne te fugiat, Catius Insuber, Epicureus, qui nuper est mortuus, quae ille Gargettius, etiam ante Democritus, εἴδωλα, hic spectra nominat. His autem spectris etiamsi oculi possint feriri, quod iis vel ipsa accurrunt: animus qui possit, ego non video. Doceas tu me oportebit, quum salvus veneris, in meane potestate sit spectrum tuum, ut,

---

e Guelf. 1. Mediol. et aptius est sequenti *literam*, quam *scidam*, quod Victorius, aut *scidulam*, quod Ernestius, aut *schedam* quod Benedictus recepit.

κατ' εἰδώλων φαντασίας] *per imaginum visa* s. *apparitiones*. Putabant enim Epicurei, si quis aliquam rem cogitaret, eius rei imaginem ad cogitantis animum advolare. De qua opinione dubitat Cicero et in eo iocatur. *Manut.*

amici novi] Epicurei, quorum dogmata Cassius ante biennium probare coeperat. *Manut.*

διανοήτικας φαντασίας] mentis vel intelligentiae visa. *Manut.*

spectris Catianis] Cogitationibus illis quae spectra Catius vocabat, Epicurus et ante cum Democritus εἴδωλα. *Manut.*

Catius] de quo Quintilianus X. 1. *in Epicureis levis quidem, sed non iniucundus tamen auctor est Catius. — Manut.*

quod iis vel ipsa accurrunt] h. e. quod imagines rerum externarum vel sua *sponte*, etiamsi de iis non velis cogitare oculis accurrant. Multi Mss. *quod velis ipsa currunt*; unde Victorius: *quod vel iis ipsa occurrunt.* Gronovius: *quo velis, ipsa currant.* Manutius: *quod quum velis, ipsa incurrunt.* Lambinus, *quod cum velis, ipsa occurrunt.* Sed alienum esse *quod quum velis*, aut *si velis*, recte monuit Ernestius. Nam illa εἴδωλα Epicuri, a corporibus, quibus sensus externi feriuntur, non veniunt, si velis. Ergo melius ille: *quod vel ipsa accurrunt.* Quia tamen in Mss. est *quod vel iis ipsa accurrunt*, rescripsi *quod iis vel ipsa accurrunt.*

in meane potestate sit] Vulgo *in meane potestate ut*

simulac mihi collibitum sit de te cogitare, illud accurrat; neque solum de te, qui mihi haeres in medullis: sed, si insulam Britanniam coepero cogitare, eius εἴδωλον mihi advolet ad pectus. Sed haec posterius. Tento enim te, quo animo accipias; si enim stomachabere, et moleste feres, plura dicemus, postulabimusque, ex qua haeresi, vi, hominibus armatis, deiectus sis, in eam restituare. In hoc interdicto non solet addi, *in hoc anno.* Quare si iam biennium aut triennium est, quum virtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris voluptatis: in integro res nobis erit. Quamquam quicum loquor? cum uno fortissimo viro; qui, posteaquam forum attigisti, nihil fecisti, nisi plenissimum amplissimae dignitatis. In ista ipsa αἱρέσει, metuo, ne plus nervorum sit, quam ego putarim, si modo eam tu probas. Qui id tibi in mentem venit? inquies. Quia nihil habebam aliud, quod scriberem.

---

sit. Illud *ut* pro *quomodo* non est in edd. pr. nec placet, tum quia non convenit interrogationi: *in meane potestate sit*, tum quia statim sequitur *ut.* Aut delendum est, aut *ita* corrigendum. Delevi. Nec *illud* mihi satis placet. *Occurrat*, vel ut quidem habent *accurrat* unde dici potuit. *Ernesti.* De particula *ut* delenda prorsus assentior; *illud* autem commode servari potest.

advolet] Recte sic Ernestius post alios correxit vulgatum *advolabit.*

si enim — moleste ferat] his incommodis Epicuri sententiam premi.

vi hominibus armatis] utitur per iocum formula illa solemni, qua utebatur praetor in interdicto, UNDE TU VI HOMINIBUS ARMATIS DEIECERAS ILLUC RESTITUAS. Et significat Cassium ab amicis Epicureis quasi vi quadam a Stoicorum secta abductum esse.

quum virtuti] quam Stoici finem bonorum putabant.

voluptatis] in qua summum bonum esse Epicurei statuebant; etsi id eorum adversarii malignius interpretabantur, quam pro vero Epicuri sensu.

in ista ipsa αἱρέσει] in secta Epicureorum.

qui id tibi] Ita sensu postulante rescripsi pro vulg.

De re publica enim nihil ſcribere poſſum: neque enim, quod ſentio, libet ſcribere.

EPISTOLA DXXIII. (ad Div. XV. 19.)

Scr. Brundiſii exeunte Ianuario A. U. C. 708.

Reſpondet Caſſius Ciceronis epiſtolis 518. 520.

C. CASSIUS M. T. CICERONI S. P. D.

S. V. B. E. Non mehercule in hac mea peregrinatione quidquam libentius facio, quam ſcribo ad te. Videor enim cum praeſenté loqui et iocari. Nec tamen hoc uſu venit propter ſpectra Catiana: pro quo tibi proxima epiſtola tot ruſticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum eſſe dicas. Panſam noſtrum ſecunda voluntate hominum paludatum ex urbe exiſſe, quum ipſius cauſa gaudeo, tum mehercule etiam omnium noſtrum. Spero enim, homines intellecturos, quanto ſit omnibus odio crudelitas, et quanto amori probitas et clementia; atque ea, quae maxime mali petant et concupiſcant, ad bonos pervenire.

---

quid tibi in mentem venit, quod nec Erneſtio placebat, qui coniecit ſcribendum: *qui tibi in mentem venit?* ſcil. talia ſcribere.

Epiſt. DXXIII. *nec tamen — Catiana*] nec tamen ioco locus eſt, ut tu putas, propter ſpectra Catiana. Cicero enim Catium reprehenderat, quod εἴδωλα latine verterat *ſpectra*.

pro quo] Erneſtius malebat *pro quibus*. Sed *pro quo* ſignificat *pro quo uno* *Catio* inſcite ſic loquente, tot Stoicos ruſticos regeram.

tot ruſticos Stoicos] barbare et duriter loquentes.

ad bonos pervenire] ut ad Panſam probum et clementem virum pervenit honor Galliae adminiſtrandae *Manut.* Caſſius autem h. l. generalius loquitur, aitque, id quod mali maxime appetant *voluptatem et tranquillitatem*, ad bonos, exemplo Panſae, pervenire.

Difficile eſt enim perſuadere hominibus, τὸ καλὸν δι' αὐτὸ αἱρετὸν eſſe: ἡδονὴν vero, et ἀταραξίαν virtute, iuſtitia, τῷ καλῷ parari, et verum, et probabile eſt. Ipſe enim Epicurus, a quo omnes Catii, et Amafinii, mali verborum interpretes, proficiſcuntur, dicit: οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. Itaque et Panſa, qui ἡδονὴν ſequitur, virtutem retinet: et ii, qui a nobis Φιλήδονοι vocantur, ſunt Φιλόκαλοι, καὶ Φιλοδίκαιοι, omnesque virtutes et colunt, et retinent. Itaque Sulla, cuius iudicium probare debemus, quum diſſentire philoſophos videret, non quaeſiit, quid bonum eſſet; omnia bona coëmit; cuius ego mortem forti mehercules animo tuli. Nec tamen Caeſar diutius nos eum deſiderare patietur. Nam habet damna-

---

difficile — hominibus] Significat doctrinam Stoicorum, qua ſtatuebant virtutem propter ſe ipſam expetendam eſſe, parum eſſe popularem.

ἡδονὴν — et ἀταραξίαν] voluptatem et ſtatum mentis perturbatione carentem; in his enim duobus felicitatem locabat Epicurus, quod Plutarchi, Laertii et aliorum teſtimoniis probatur. *Manut.*

et probabile] Poteſt etiam vulgo probari.

οὐκ ἔστιν — ζῆν] Erat inter Epicuri κυρίας δόξας, *non poſſe iucunde vivi niſi honeſte et iuſte vivatur.*

qui a nobis φιλήδονοι vocantur] Ita in Dresd. 11. et Victorii et Manutii libris rectius legitur, quam, ut in aliis, *qui a vobis φ. v.*

Sulla] cuius mortem Cicero nuntiaverat. ep. 520.

cuius iudicium probare debemus] ironice loquitur.

omnia bona coëmit] ne erraret in delectu, omnia bona ſumpſit. Ludit in ambigua verborum ſignificatione. Nam Philoſophi de ſummo bono diſputabant; Sulla vero Pompeianorum bona omnia, quum in auctione venderentur, coëmit. *Manut.*

forti mehercule animo] et hic iocatur. Nullam enim Caſſius moleſtiam cepit ex obitu Sullae. *Manut.*

habet — reſtituat] Arguta in primis et feſtiva ſententia. Lege Pompeia damnatos re-

tos, quos pro illo nobis restituat; nec ipse sectorem desiderabit, quum filium viderit.

2 Nunc, ut ad rem publicam redeam, quid in Hispaniis geratur, rescribe. Peream, nisi sollicitus sum, ac malo veterem et clementem dominum habere, quam novum et crudelem experiri. Scis, Gnaeus quam sit fatuus; scis, quomodo crudelitatem virtutem putet; scis, quam se semper a nobis derisum putet. Vereor, ne nos rustice gladio velit ἀντιμυκτηρίσαι. Quid fiat, si me diligis, rescribe. Hui, quam velim scire, utrum ista sollicito animo, an soluto legas! sciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior sim, vale. et me, ut facis, ama. Si Caesar vicit, celeriter me exspecta.

---

stituerat Caesar ut legimus apud eum lib. III. de bello civili c. 1. Hoc latenter Cassius notat; quum tamen de iis loquatur, quos Caesar ad sectiones faciendas, ne hasta refrigesceret, Sullae mortuo suffecturus esset. Iocus est in verbo *restituat*, ambigua significatione ad maiorem Caesaris contumeliam. *Manut.*

nec ipse] Caesar, cuius erat pecunia, quae de venditis Pompeianorum bonis colligebatur. *Manut.*

filium] P. Sullae; qui patrem imitabitur; itaque Caesar sectore h. e. homine qui bona damnatorum s. proscriptorum in auctione emat, non carebit. I. F. Gronovius tamen Antonium intelligit, quem Caesar secundum heredem in testamento scripserat. Flor. IV. 4. *sectorem Pompeianorum bonorum* Philipp. II. 28. Non placet. Nam qui scire poterat Cassius Antonium secundum heredem a Caesare institutum esse; et si scisset, cur propterea eum Caesaris filium appellaret?

2. *clementem dominum*] Caesarem.

novum et crudelem] Gn. Pompeium, Magni filium.

ἀντιμυκτηρίσαι] *vicissim deridere*, sed rustice gladio. Nam urbani homines dicteria facetis et salsis dictis, non gladio retundunt.

EPISTOLA DXXIV. (ad Div. VI. 3.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

Torquatum consolatur, quod Athenis potius ei vivendum sit, quam Romae.

M. T. CICERO S. D. A. TORQUATO.

Superioribus literis benivolentia magis adductus, quam quo res ita postularet, fui longior. Neque enim confirmatione nostra egebat virtus tua: neque erat ea mea caussa, atque fortuna, ut ego, cui ipsi omnia deessent, alterum confirmarem. Hoc item tempore brevior esse debeo. Sive enim nihil tum opus fuit tam multis verbis, nihilo magis nunc opus est: sive tum opus fuit, illud satis est, praesertim quum accesserit nihil novi. Nam etsi quotidie aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri existimo: summa tamen eadem est, et idem exitus. Quem ego tam video animo, quam ea, quae oculis cernimus. Nec vero quidquam video, quod non idem te videre certo sciam. Nam etsi, quem exitum haec res habitura sit, divinare nemo potest: tamen et belli exitum video; et, si id minus, hoc quidem certe, quum sit necesse alterumutrum vincere, qualis futura sit vel haec, vel illa victoria. Idque, quum optime perspexi, tale video, nihil ut mali videatur futurum, si vel id ante acciderit, quod vel maximum ad timorem proponitur. Ita enim

---

Epist. DXXIV. *Superioribus literis*] designat epistolam h. ed. 517.

sciam] Sic melius Mss. et Edd. complures quam *scio*, quod est in aliis.

quem exitum haec res] Vetus est haec lectio, quam nuper Martyni-Laguna restituit. Vulgo *quem exitum acies.*

vel haec vel illa victoria] vel Caesaris vel Pompeii, Magni fil.

si vel id ante acciderit] Bene sic transposuit verba Martyni-Laguna, quum vulgo esset *si id vel ante acci-*

vivere, ut tum ſit vivendum, miſerrimum eſt. Mori autem nemo ſapiens miſerum duxit, ne beato quidem. Sed in ea es urbe, in qua haec, vel plura et ornatiora parietes ipſi loqui poſſe videantur. Ego tibi hoc confirmo, etſi levis eſt conſolatio ex miſeriis aliorum, nihilo te nunc maiore in diſcrimine eſſe, quam quemvis aut eorum, qui diſceſſerint, aut eorum, qui remanſerint. Alteri dimicant: alteri victorem timent. Sed haec conſolatio levis eſt; illa gravior, qua te uti ſpero, ego certe utor. Nec enim, dum ero, angar ulla re, quum omni vacem culpa; et, ſi non ero, ſen-

---

derit. Senſus eſt, ſi vel mors nobis ante acciderit, quam nunc ad timorem ut malum vel maximum nobis ſolent proponere, ſi victores forte crudelius in hoſtes devictos ſaeviant.

ut tum ſit vivendum] in amiſſa rei publ. libertate, vel ſub Caeſaris vel ſub Pompeii F. tyrannide.

miſerum duxit] Male in edd. quibusdam *m. dixit*.

in ea es urbe] Athenis.

aut eorum qui remanſerint] In omnibus fere Mſſ. deeſt hoc alterum orationis membrum, aberrante, ut ſexcenties in talibus factum eſt, librario vocula *aut*. Editio vetus anni 1476. ita explet: *diſceſſerunt aut eorum qui remanſerunt*. Quae verba codicum manuſcriptorum ſolus Balliolenſis, recentiſſimus (vid. ed. Oxon. L. I. p. 16—18. in ſyllabo codicum) e noſtris libris plane nullus repraeſentat. Excerpta Martini Cuëvae ex libro vetuſtiſſimo, *aut eorum qui Romae ſint*. — Martyni-Laguna. Mihi videtur ſcriptum fuiſſe ſic: *quam quemvis aut eorum*, *qui remanſerint apud Pompeium*, *aut eorum*, *qui diſceſſerint*. *Alteri dimicant* (nunc in Hiſpania) *alteri victorem*, (Pompeium) timent. Niſi forte melius: *quam quemvis aut eorum qui diſceſſerint* (ad bellum Hiſpanienſe) *aut eorum qui Romae ſint*. *Alteri dimicant* (vel in Caeſaris vel in Pompeii exercitu) *alteri victorem* (vel Caeſarem, vel Pompeium) *timent*. Benedictum, qui edidit, *quam quemvis auctorum qui diſceſſerunt*, qui ſequi velit, neminem puto eſſe futurum.

tui omnino carebo. Sed rursus γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui ad te haec. Mihi tu, tui, tua omnia maxime curae sunt, et, dum vivam, erunt.

EPISTOLA DXXV. (ad Div. IV. 10.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

Hortatur Marcellum ut reditum maturet a Caesare impetratum.

M. T. CICERO M. MARCELLO S. D.

Etsi nihil erat novi, quod ad te scriberem, magisque literas tuas iam exspectare incipiebam, vel te potius ipsum: tamen, quum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, ut quam primum venias. Venies enim, mihi crede, exspectatus, neque solum nobis, id est tuis, sed prorsus omnibus. Venit enim mihi in mentem, subvereri interdum, ne te delectet tarda decessio. Quodsi nullam haberes sensum, nisi oculorum, prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles videre. Sed, quum leviora non multo essent, quae audirentur, quam quae viderentur; suspicarer autem, multum interesse rei familiaris tuae, te quam primum venire, idque in omnes partes valeret; putavi, ea de re te esse admonendum. Sed, quoniam, quid mihi placeret, ostendi: reliqua tu pro tua prudentia considerabis. Me tamen velim, quod ad tempus te exspectemus, certiorem facias. Vale.

---

sed rursus γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας] quod enim notissimo hoc proverbio hic significat, iam antea his verbis expresserat: *sed in ea es urbe in qua haec vel plura et ornatiora parietes ipsi loqui posse videantur.*

Epist. DXXV. *Theophilus*] Marcelli libertus, qui et ante ad eum literas attulerat epist. 9. (h. ed. ep. 468.) ex quo patet has literas aliquot post illas mensibus datas esse. *Manut.*

multum interesse] Marty-

EPISTOLA DXXVI. (ad Div. VI. 4.)

Scr. Romae mense Ianuario A. U. C. 708.

Torquatum Athenis exsulantem consolatur.

M. T. CICERO A. TORQUATO, S. D.

Novi, quod ad te scriberem, nihil erat: et tamen etsi quid esset, sciebam te a tuis certiorem fieri solere. De futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum coniectura possis propius accedere, quum est res eiusmodi, cuius exitus provideri possit. Nunc tantum videmur intelligere, non diuturnum bellum fore: etsi id ipsum nonnullis videtur secus. Equidem quum haec scribebam, aliquid iam actum putabam: sed quid? difficilis erat coniectura. Nam quum

---

ni-Laguna sic edidit: *multum interesse rei familiaris tuae atque in omnes partes valere, te quam primum venire.* Nempe in IV. Dresdd. codd. est *multum interesse rei familiaris tuae, te quam primum venire atque in omnes partes valere.* Mihi a vulgata haud videtur discedendum: Cicero hoc ait: *quum suspicarer multum interesse rei familiaris tuae* (quae male videtur administrari) *te quam primum venire, idque* (nempe tua interesse) *in omnes partes valeret*, h. e. non solum ad rem familiarem tuendam, sed ad omnia alia bonum esse videretur; e. c. ne forte Caesar te beneficium suum aspernari suspicetur. Si tamen *valeret* mutandum esset, sic potius verba ordinarem: *quum suspicarer multum interesse rei familiaris tuae, te quam primum venire, idque in omnes partes valere.* Illud *idque* iam in aliquot codd. MSS. repertum est.

Epist. DXXVI. *fore*] hoc addidimus Martyni-Laguna auctore.

videtur secus] Vulgo *videatur secus;* sed aptius est *videtur* quod est in Dresd. 1. 2.

sed quid? difficilis erat coniectura] Vulgo edebatur: *non quo ego certo sciam, sed quod haud difficilis erat coniectura;* in quibus verba *ego certo sciam* et *haud* non sunt in MSS. sed olim e coniectura addita sunt ab editoribus. Manutius tamen testatur

omnis belli Mars communis, et quum semper incerti exitus praeliorum sunt: tum hoc tempore ita magnae utrique copiae, ita paratae ad depugnandum esse dicuntur, ut, utercumque vicerit, non sit mirum futurum. Illa in dies singulos magis magisque opinio hominum confirmatur, etiam si inter causas armorum aliquantum interfit, tamen inter victorias non multum interfuturum. Alteros propemodum iam sumus experti: de altero, nemo est, quin cogitet, quam sit metuendus iratus victor armatus. Hoc loco si videor augere dolorem tuum, quem consolando levare debeam,

---

unum Fulvii codicem sic habere: *Putabam non quo ego certum sciam, sed quod difficilis erat coniectura;* alterum *putabam non quo modo, sed quod difficilis erat coniectura.* Neutra tamen harum lectionum aliquid proficitur. Pantagatho placebat: *non quorsum, quod difficilis erat coniectura;* quae ratio certe sequentibus melius conveniret. Martyni-Laguna rescripsit: *non quo certa, sed quod facilis erat coniectura.* Haec apte quidem cum antecedentibus, minus bene cum sequentibus cohaerent. Itaque melius nobis visum est reponere: *aliquid iam actum putabam, sed quid?* (sc. actum sit, uter vicerit) *difficilis erat coniectura.* Erat autem difficile conficere Pompeiusne an Caesar vicisset, quia, ut statim dicit, praeter incertam omnem belli fortunam, ita magnae utrinque et ita paratae ad depugnandum copiae essent, ut utercumque vicisset, non esset mirum futurum.

alteros — de altero] *alteros* intelligit Caesarianos: Caesaris enim partim clementiam, partim in proscribendis Pompeianorum bonis, ceterisque institutis arrogantiam iam erant experti, *de altero* vero Gn. Pompeio Magni filio eiusque crudelitate utique metuendum erat, si vicisset. Corradus et Manutius *alteros* de Pompeianis, illud *de altero* autem de Caesare acceperunt. Meliora iam vidit I. F. Gronovius.

quam sit metuendus] Restitui vetus *quam*, pro quo *cum* e MSS. recepit Victorius, pronior ad recipiendas lectiones MSS. duriores, quem alii secuti sunt. Sed id sensum commodum habere non potest; deberet addi *semper* aut *omnis* — *Ernesti.*

fateor me communium malorum consolationem nullam invenire, praeter illam, quae tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quaque ego quotidie magis utor: conscientiam rectae voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum; nec esse ullum magnum malum, praeter culpam. A qua quando tantum absumus, ut etiam optime senserimus; eventusque magis nostri consilii, quam consilium reprehendatur; et quando praestitimus, quod debuimus: moderate, quod evenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miseriis, quae ad consolandum maioris ingenii, et ad ferendum singularis virtutis indigent. Illud cuivis facile est docere, cur tu praecipue dolere nihil debeas. Eius enim, qui tardior in te levando fuit, quam fore putaremus, non est mihi dubia de tua salute sententia. De aliis autem non arbitror te exspectare quid sentiam. Reliquum est, ut te angat, quod absis a tuis tamdiu. Res molesta, praesertim ab iis pueris, quibus nihil potest esse festivius. Sed, ut ad te scripsi antea, tempus est huiusmodi, ut suam quisque conditionem miserrimam putet: et, ubi quisque sit, ibi esse minime velit. Equidem, nos quod Romae sumus, miserrimum esse duco, non solum quod in malis omnibus acerbius est videre, quam audire: sed etiam, quod ad omnes casus subitorum periculorum magis obiecti sumus, quam si abessemus. Etsi me ipsum, consolatorem tuum, non tantum literae, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigavit. Quanto

---

quam si abessemus] Post haec verba Martyni-Laguna periisse putat parvam ῥῆσιν, quae habuerit querelam temporum et significationem doloris eversae culpa non sua, rei publicae. Idem verba *quanto fuerim dolore, meministi* praeposuit his quae sequuntur: *etsi me ipsum — mitigavit.*

fuerim dolore, meministi. In quo prima illa consolatio est, vidisse me plus, quam ceteros, quum cupiebam, quamvis iniqua conditione, pacem. Quod etsi casu, non divinatione mea factum est: tamen hac inani prudentiae laude delector. Deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam vocer ad exitum vitae, non ab ea re publica avellar, qua carendum esse doleam, praesertim quam id sine ullo sensu futurum sit. Adiuvat etiam aetas, et acta iam vita; quae quum cursu suo bene confecto delectatur, tum vetat in eo vim timere, quo nos iam natura ipsa paene perduxerit. Postremo, is vir, vel etiam ii viri hoc bello occiderunt, ut impudentia videatur, eandem fortunam, si res cogat, recusare. Equidem mihi omnia propono: nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere. Sed quum plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso, quod timetur, desino: praesertim quum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit. Sed haec satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit. Facit autem non loquacitas mea, sed benivolentia longiores epistolas.

Servium discessisse Athenis moleste tuli. Non 2 enim dubito, quin magnae tibi levationi solitus sit esse quotidianus congressus, et sermo quum familiarissimi hominis, tum optimi et prudentissimi viri. Tu velim te, ut debes, et soles, tua virtute sustentes. Ego, quae te velle, quaeque ad te et ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterque curabo: quae quum faciam, benivolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar. Vale.

---

is vir] Pompeius Magnus. *ii viri*] M. Bibulus P. et L. Lentulus, L. Domitius, Ap. Claudius, alii. *Manut.*

2. *Servium discessisse Athenis*] non quod de provincia decesserit, sed profectus erat ad alias Achaiae provinciae urbes; et postea Athenas rediit.

EPISTOLA DXXVII. (ad Div. VI. 10.)

Scr. Romae (fortasse mense Ianuario) A. U. C. 708.

Trebiano exsulanti officia sua pollicetur, eumque spe reditus mox a Caesare impetrandi solatur.

M. T. CICERO TREBIANO, S. D.

Ego quanti te faciam, semperque fecerim, quanti me a te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis. Nam et consilium tuum, vel casus potius, diutius in armis civilibus commorandi, semper mihi magno dolori fuit: et hic eventus, quod tardius, quam est aequum, et quam ego vellem, reciperas fortunam et dignitatem tuam, mihi non minori curae est, quam tibi semper fuerunt casus mei. Itaque et Postumuleno, et Sestio, et saepissime Attico nostro, proximeque

---

Epist. DXXVII. *Trebiano*] Sic in plurimis codd. haec epistola inscribitur. Alii ut Guelf. 2. a prima manu habent *Trebatio*. Pro *Trebiano* nonnulli fecerunt *Trebelliano* vel *Trebonio*, quod apparet ex varietate ed. Manutiane a. 1533. Iam Seb. Corradus putabat legendum esse *L. Torquato*, eamque coniecturam nuper Martyni-Laguna omnibus modis exornavit, ac sane nobis persuasisset, nisi L. Torquatus quod ex Ciceronis Bruto c. 76. perspicue intelligitur inter eos fuisset, qui in bello civili perierant; nec dubitamus de eodem capiendam esse narrationem scriptoris de bello Afr. narrationem c. 96. Quum igitur ei, ad quem haec epistola scripta est, Dolabellae beneficio reditus a Caesare impetratus sit, nullo modo haec et quae in edd. epistolarum ad familiares proxime sequitur VI. 11. ad hunc L. Torquatum scribi potuit. Itaque si cui forte *Trebiani* nomen vitiosum esse videatur, alius tamen ei quaerendus sit, ad quem hanc epistolam probabilius scriptam referat, non autem, ut Martyni-Laguna fecit, *L. Torquati* nomen substituendum.

Postumuleno] Cognomen Romanae gentis, et *M. Postumulenus Secundus* nominatur in antiquissimo lapide

Theudae, liberto tuo, totum me patefeci, et haec iis singulis saepe dixi, quacumque re possem, me tibi et liberis tuis satisfacere cupere; idque tu ad tuos velim scribas; haec quidem certe, quae in potestate mea sunt, ut operam, consilium, rem, fidem meam sibi ad omnes res parata putent. Si auctoritate et gratia tantum possem, quantum in ea re publica, de qua ita meritus sum, posse deberem: tu quoque is esses, qui fuisti, quum omni gradu amplissimo dignissimus, tum certe ordinis tui facile princeps. Sed, quum eodem tempore, eademque de causa nostrum uterque cecidit: tibi et illa polliceor, quae supra scripsi, quae sunt adhuc mea; et ea, quae praeterea videor mihi ex aliqua parte retinere, tamquam ex reliquiis pristinae dignitatis. Neque enim ipse Caesar, ut multis rebus intelligere potui, est alienus a nobis: et omnes fere familiarissimi eius, casu devincti magnis meis veteribus officiis, me diligenter observant et colunt. Itaque si qui mihi erit aditus de tuis fortunis, id est, de tua incolumitate, in qua sunt omnia, agendi, quod qui-

---

quadrato quem vidi in aedibus Rainuccii Farnesii Cardinalis. Huius generis nomina sunt, *Volusenus*, *Salvidenus*, *Vibienus*, *Labienus*, *Nasidienus*, *Caesidenus*, *Vatienus*. — *Manut.*

ordinis tui] Equestris. Nam si senatorii fuisset, *ordinis nostri* dixisset, quum ipse Cicero senator esset; ideo et *dignissimus* dixit tanquam de equite, iis honoribus digno, quos qui adepti sunt, non iam equestris, sed senatorii ordinis dicantur esse. *Manut.* Recte ille quidem; ac vel ex h. l. patet hanc epistolam non esse ad L. Torquatum L. F. L. N. scriptam; hic enim A. U. C. 704. praetor fuerat; ideoque dudum erat in senatorium ordinem allectus.

casu devincti] quia, quum olim in eos officia conferebam, fore aliquando tempus divinare non poteram, ut eorum ope indigerem. *Casu* igitur, ob haec tempora, quae praeter opinionem meam consecuta sunt. *Manut.*

de tua incolumitate] h. e.

dem quotidie magis ex eorum ſermonibus adducor ut ſperem: agam per me ipſe, et moliar. Singula perſequi non eſt neceſſe. Univerſum ſtudium meum et benivolentiam ad te defero. Sed magni mea intereſt, hoc tuos omnes ſcire, quod tuis literis fieri poteſt: ut intelligant, omnia Ciceronis patere Trebiano. Hoc eo pertinet, ut nihil exiſtiment eſſe tam difficile, quod non, pro te mihi ſusceptum, iucundum ſit futurum.

2 Antea miſiſſem ad te literas, ſi genus ſcribendi inveniſſem. Tali enim tempore aut conſolari amicorum eſt, aut polliceri. Conſolatione non utebar, quod ex multis audiebam, quam fortiter, ſapienterque ferres iniuriam temporum, quamque te vehementer conſolaretur conſcientia factorum et conſiliorum tuorum: quod quidem ſi facis, magnum fructum ſtudiorum optimorum capis, in quibus te ſemper ſcio

---

de eius reditu in urbem, ne amplius exſulare cogeretur; quam alibi *ſalutem* vocat.

2. *Antea miſiſſem*] Iam olim fuerunt, qui hic novae epiſtolae exordium ſtatuerent; et in Mſſ. nonnullis quae inde ab his verbis ſequuntur, epiſtolam conſtituunt ſeparatam. Novae autem epiſtolae initium faciunt Manutius, Graevius, et nuper Martyni-Laguna. Contra Lambinus negat hic novam epiſtolam inchoandam eſſe; eumque ſecutus eſt praeter alios Benedictus. Ac profecto illa verba *antea miſiſſem a te literas* non ſunt eiusmodi, ut hinc primae epiſtolae ad Trebianum ſcriptae initium fieri exiſtimandum ſit; nam in appendice etiam epiſtolae (noſtris dicitur *Poſtſcript* ſ. *Nachſchrift*) excuſare ſe poterat Cicero, quod antea literas non miſiſſet. Ac ſi prima epiſtola ad Trebianum haec fuiſſet: *antea miſiſſem — providebuntur*; illi: *Ego quanti te faciam — iucundum ſit futurum* ſecundus eſſet locus aſſignandus. Atqui ea ſic eſt contexta, ut nullum in ea ſuperioris cuiusdam epiſtolae ad Trebianum datae veſtigium appareat.

inveniſſem] Sic ſcriben-

esse versatum: idque ut facias, etiam atque etiam te hortor. Simul et illud tibi, homini peritissimo rerum et exemplorum et omnis vetustatis, ne ipse quidem rudis, sed in studio minus fortasse, quam vellem, at in rebus, atque usu plus etiam, quam vellem, versatus, spondeo, tibi istam acerbitatem et iniuriam non diuturnam fore. Nam et ipse, qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad aequitatem et ad rerum naturam videtur: et ipsa causa ea est, ut iam simul cum re publica, quae in perpetuum iacere non potest, necessario reviviscat, atque recreetur: quotidieque aliquid fit lenius et liberalius, quam timebamus. Quae quoniam in temporum inclinationibus saepe parvis posita sunt: omnia momenta observabimus; neque ullum praetermittemus tui iuvandi, et levandi locum. Itaque illud alterum, quod dixi, literarum genus, quotidie mihi, ut spero, fiet proclivius, ut etiam polliceri possim. Id re, quam verbis, faciam libentius. Tu velim existimes, et plures te amicos habere, quam qui in isto casu sint ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim; et me concedere eorum nemini. Fortem fac animum habeas et magnum; quod est in uno te. Quae sunt in fortuna, temporibus regentur, et consiliis nostris providebuntur.

---

dum erat, non *invenirem*, quod recte monuit Ernestius. Frustra obloquitur Benedictus.

EPISTOLA DXXVIII. (ad Att. XII. 12.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

De dote Tulliae a Dolabella repetenda 1. *de loco ad fanum Tulliae exstruendum capiendo.* 2. *de personis in libris de Finibus inducendis* 3. *se quotidie scripturum, ut Attici literas eliciat* 4.

CICERO ATTICO. S.

De dote tanto magis perpurga. Balbi regia conditio est delegandi. Quoquo modo confice. Turpe est, rem impeditam iacere.

Epist. DXXVIII. *De dote*] Cicero anno superiore cum Terentia divortium fecerat. Initio huius anni Publiliam duxerat. Eodem tempore Tullia a Dolabella dimissa, filiolum, Lentulum, pepererat. Eaque iam videbatur ex partu satis firma esse (cf. ep. 521.) sed paulo post tamen morbo consumpta decessit, mense Ianuario exeunte. Videtur autem in Tusculano apud patrem decessisse, ex quo Cicero summo luctus dolore afflictus Romam rediit; non tamen in suam ipsius domum, sed in Attici domum, ut eius colloquio frueretur, se contulit. Ab Attico Asturam profectus est, ut ipse scribit ad Att. XII. 40. Quod autem ibidem scribit se triginta dies in hortis fuisse, scil. suburbanis, id vel factum antequam Asturam proficisceretur, vel postquam Asturam reliquisset. Prius mihi videtur verisimilius. Ex hac autem dierum ratione efficitur, initium harum quae sequuntur ad Atticum epistolarum in mensem Martium a. u. c. 708. incidere.

de dote] quam nobis Dolabellam reddere oportet, quum Tulliam filiam nostram dimiserit. *Manut.*

tanto magis perpurga] quo difficilius est, tanto magis perpurga. Nam sequitur: *turpe est rem impeditam iacere. Perpurga* explica, confice. *Manut.*

regia conditio est delegandi] Balbus volebat pro Dolabella solvere per delegationem, non ex arca. Eam conditionem Cicero regiam i. e. lautam vocat, et accipiendam in difficultate pe-

Insula Arpinas habere potest germanam ἀποθέωσιν; sed vereor, ne minorem τιμὴν habere videatur. ἔκτροπος est. Igitur animus in hortis; quos tamen inspiciam, quum venero. 2

---

curiae a Dolabella accipiendae. Alii *duram* intelligunt, quia Balbus, Caesari gratissimus, non posset cogi ad solvendum, vel quia quasi pro imperio dicat; quomodo solvere velit. *Ernesti. Regiam conditionem* nolim pro *lauta* accipere. Nam, ut recte iam Bosius admonuit, saepenumero apud Ciceronem *regium* in malam partem accipitur. Significat enim non ferendum, quasi tyrannicum, ducta translatione ab odio Romanorum in reges suos. Verum Bosius reliqua sic interpretabatur, Dolabellam dixisse se paratum esse dotem Tulliae Ciceroni restituere, modo is vellet eam exigere a Balbo quam ipsi debitorem delegabat. Et hanc putat Ciceronem dixisse duram et iniquam conditionem, quia quum Balbus familiarissimus esset Caesaris Romaeque plurimum auctoritate posset, difficillime ab eo pecuniae exigi possent. Sed potest etiam sic intelligi. Regia conditio, i. e. superba, et iniqua est, quam Balbus procurator Dolabellae absentis nobis fert, delegatione ad alium eius debitorem solvendi.

2. *insula Arpinas* — ἀποθέωσιν] Sermo est de monimento Tulliae. Dicit in illa insula villae suae, quae erat amoenissima in Fibreno flu-vio (vid. de Legg. II. 1.) posse tantum monimentum exstrui, sed locum ipsum non habere satis dignitatis et celebritatis. *Ernesti.*

ἔκτροπος] in cod. Tornaes. et Crusell. ἐκτόπιμος; in decurtato Bosii ἐκτρόπιμος, unde Bosius corrigebat ἐκτρόποιμος. Utrumque autem nihili est. Verissime Gronovius correxit ἔκτροπος est, h. e. devia. Cicero ait insulam illam, etiamsi alias fano Tulliae dedicando aptissima esset, hanc tamen ob causam minorem dignitatem et honorem habituram, quod loco devio sit, eo quo non multi viatores commeent.

in hortis] Hortos malo, in quibus non ea solitudo, quae in insula. Horti autem erant circa Romam plurimi, sed Transtiberini propter fluminis vicinitatem celebriores. Itaque hoc maxime voluisset Cicero, unde illud

3 De Epicuro, ut voles; etsi μεθαρμόζομαι in posterum genus hoc personarum. Incredibile est, quam ea quidam requirant. Ad antiquos igitur; ἀνεμέσητον γάρ.

4 Nihil habeo, ad te quod perscribam: sed tamen institui quotidie mittere, ut eliciam tuas literas; non quo aliquid ex his exspectem; sed nescio quo modo tamen exspecto. Quare sive habes quid, sive nihil habes, scribe tamen aliquid, teque cura.

EPISTOLA DXXIX. (ad Att. XII. 13.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

De Atticae valitudine 1. *de Bruti literis* 2. *de luctu suo* 3. *de se apud Apuleium augurem, quod ad cenam aditialem non veniat, excusando.* 4. *de Cocceio, ut pecuniam solvat, appellando.* 4.

CICERO ATTICO, S.

Commovet me Attica; etsi assentior Cratero.

---

ep. 19. (h. ed. ep. 535.) *cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare; nihil video, quod tam celebre esse possit.* — *Manut.*

3. *de Epicuro, ut voles*] Certum est hoc ad libros de Finibus pertinere, quos Cicero hoc tempore scribebat. Atticus videtur aliquem nominasse, cui a Cicerone vellet partes Epicuri defendendas tradi.

etsi μεθαρμόζομαι] etsi posthac non eos, qui vivunt, (nam hoc invidiosum est, quum omnibus satis facere non possim, qui meos in libros induci vellent) sed antiquos i. e. eos qui perierunt, inducam loquentes. Quod invidiosum non erit. Fecit autem hoc in libris de Oratore, in Catone et Laelio. μεθαρμόζομαι *commuto, ad alias personas transfero.* — *Manut.*

requirant] cupiant loquendi partes in meis libris. *Man.*

ἀνεμέσητον γάρ] Sic ἀζηλότυπον XIII. 18. ad Att. non enim invidiosum; inducere enim veterum personas nulla est invidia. *Corr.*

Epist. DXXIX. 1. *commovet me Attica*] sollicitat me filiae tuae valitudo.

Cratero] medico affir-

Bruti literae, ſcriptae et prudenter et amice, 2
multas mihi tamen lacrymas attulerunt.

Me haec ſolitudo minus ſtimulat, quam iſta ce- 3
lebritas. Te unum deſidero; ſed literis non difficilius
utor, quam ſi domi eſſem: ardor tamen ille idem urget
et manet, non mehercule indulgente me, ſed tamen
non repugnante.

Quod ſcribis de Apuleio, nihil puto opus eſſe 4
tua contentione, nec Balbo et Oppio; quibus quidem
ille receperat, mihique etiam iuſſerat nuntiari, ſe moleſtum omnino non futurum. Sed cura, ut excuſer
morbi cauſa in dies ſingulos. Laenas hoc receperat.

---

manti nobis, de Atticae morbo nihil gravius timendum eſſe, etiamſi illo diutius tenetur. Craterus fuit medicus celeberrimus aetate Ciceronis et Auguſti, ut mirum ſit Plinium in commemoratione illuſtrium medicorum illum praeteriiſſe, quem celebrant Horatius Sat. II. 1. et Perſius Sat. III. *Popma.*

2. *Bruti literae*] quibus Ciceronem in morte filiae conſolatus eſt, ex provincia Gallia ad eum miſſae.

attulerunt] dolorem augentes ſc. commemoratione Tulliae meae virtutum.

3. *minus ſtimulat*] mox eſt *urget et ardor.* In hac ſolitudine minus ſentio, inquit, dolorem, quem Romae ſentirem, ubi tam ſaepe et a tam multis in memoriam mihi mors filiae revocaretur. *Erneſti.*

4. *de Apuleio*] augure novo et eius coena augurali. Ad eam neceſſe erat iure augurali omnes augures venire, niſi morbo impedirentur, et eo nomine vel per ſe, vel per alios excuſarentur. Ex loco hoc apparet eam coenam plures dies duraſſe; in ſingulos excuſationem fieri debuiſſe; teſtes porro iurare, et ipſum augurem; ſed hoc ab domino convivii remitti potuiſſe, ſe moleſtum omnino non futurum. *Erneſti.*

in dies ſingulos] Apparet novos augures eos cenas non uno die, ſed pluribus dare ſolitos eſſe. Nam et infra ep. 531. *apud Apuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuſer, videbis.* In dies igitur ſingulos, quibus Apuleius collegis cenam dabit. *Manut.*

Laenas] Notum eſt Lae-

Prende C. Septimium, L. Statilium. Denique nemo negabit ſe iuraturum, quemquem rogaris. Quod ſi erit durius, veniam et ipſe perpetuum morbum iurabo. Quum enim mihi carendum ſit conviviis, malo id lege videri facere, quam dolore.

5 Cocceium velim appelles. Quod enim dixerat, non facit. Ego autem volo aliquod emere latibulum et perfugium doloris mei.

---

nates ex gente Popillia fuiſſe. Laenas, nunc ex augurum collegio, receperat, ſe curaturum, ut Cicero apud Apuleium excuſaretur. *Man.*

prende] ut cum Laenate me apud Apuleium excuſent. Neceſſe enim erat, ut augur, qui novi auguris ad cenam ire nollet, tres e collegio reperiret, quorum iureiurando apud eum augurem, qui cenam dabat, excuſaretur. Itaque in epiſtola quae ſequitur *Septimium*, inquit, *vide, et Laenatem et Statilium, tribus enim opus eſt.* — *Manut.*

quemquem rogaris] Ita cum Manutio ſcribere malui, pro *quem rogaris.* Nam in ep. ſequenti de eadem re loquens ſcripſit: *quemcunque rogaris, nemo negabit.*

malo id lege videri facere] ut homines, inquit, non propter dolorem amiſſae filiae, ſed propter invalitudinem conviviis me carere ſuſpicentur, perpetuum morbum iurabo. Nam ſi, abſque iureiurando, amicorum gratia impetraret Cicero, ut auguralibus cenis abſtinere poſſet, incertum fuiſſet, utrum id morbi cauſa faceret, an doloris. Dolorem autem celare volebat. Itaque de morbo iurando cogitabat. *Manut.* Ceterum errabat Corradus, quum hic de Caeſaris lege ſumptuaria agi putabat. Immo eſt lex auguribus praeſcripta, qua cenis novorum augurum aditialibus vel intereſſe, vel morbum iurare iubebantur.

veniam et ipſe] Fortaſſe legendum; *veniam ipſe et* —.

5. *Cocceium velim appelles*] de pecunia quam nobis debet. Sic enim Manutius. Fortaſſe tamen Cicero ab eo pecuniam mutuam ſumere voluit.

EPISTOLA DXXX. (ad Att. XII. 14.)

Scr. Afturae menfe Martio A. U. C. 708.

De fe apud Apuleium excufando 1. *de fponfione fua pro Cornificio* 2. *de luctu fuo, et libro ad confolationem fuam fcripto.* 3. *de Bruti ad fe literis.* 4. *de Atticae morbo.* 5.

CICERO ATTICO S.

De me excufando apud Apuleium dederam ad te pridie literas. Nihil effe negotii arbitror. Quemcunque appellaris, nemo negabit. Sed Septimium vide, et Laenatem, et Statilium. Tribus enim opus eft. Sed mihi Laenas totum receperat.

2 Quod fcribis a Iunio te appellatum; omnino Cornificius locuples eft; fed tamen fcire velim, quando dicar fpopondiffe, et pro patre, anne pro filio: neque eo minus, ut fcribis, procuratores Cornificii, et Apuleium praediatorem videbis.

Epift. DXXX. 1. *ad te pridie*] Significatur epiftola praecedens 529.

2. *a Iunio*] Cornificio Iunius pecuniam crediderat; pro eaque pecunia Ciceronem fponforem acceperat, Corrado videbatur legendum *Flavius*, quia fic appellatur ep. 534. nifi forte Iunius Flavius dictus fuerit.

appellatum] Iunius Atticum appellaverat, quafi Ciceronis procuratorem, Ciceronem fibi debere dicens, quod pro Cornificio fpopondiffet. Cicero fponfionis tempus non recordatur, et ait Cornificium poffe ipfum folvere. Sponfor enim id eft fideiuffor appellari non poterat, fi locuples reus effet, ex antiqua lege; cuius mentio fit in novellis Conft. Iuftiniani. *Manut.*

et pro patre anne pro filio]. Dormitavit Erneftius quum hic afcripfit: a Q. Cicerone an pro eius filio? De Quintis enim Ciceronibus hic prorfus non agitur, fed de Cornificiis patre et filio. Et pater quidem hoc tempore iam decefferat.

procuratores Cornificii] Q. Cornificius filius aberat Syriae praepofitus a Caefare. *Manut.*

praediatorem] praediatores funt qui praedia publico

3 Quod me ab hoc moerore recreari vis, facis, ut omnia; sed, me mihi non defuisse, tu testis es. Nihil enim de moerore minuendo scriptum ab ullo est, quod ego non domi tuae legerim; sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, ut ipse me per literas consolarer. Quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. Affirmo tibi nullam consolationem esse talem. Totos dies scribo; non quo proficiam quid; sed tantisper impedior, non equidem satis, (vis enim urget,) sed relaxor tamen, omniaque nitor, non ad animum, sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum; idque faciens interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse, nisi faciam. Solitudo aliquid adiuvat, sed multo plus proficeret, si tu tamen interesses; quae mihi una causa est hinc discedendi. Nam pro malis recte habebat: quamquam id ipsum doleo. Non enim iam in me idem esse poteris. Perierunt illa, quae amabas.

4 De Bruti ad me literis scripsi ad te antea: prudenter scriptae; sed nihil, quo me adiuvarent. Quod ad te scripsit, id vellem, ut ipse adesset: certe aliquid, quoniam me tam valde amat, adiuvaret. Quodsi quid

---

obligata et vendenda emerunt, in iisque pecunias suas collocarunt. Hi praediatores erant iuris praediatorii periti, eamque scientiam usu harum rerum sibi paraverant, etiamsi non essent ICti. Cf. Bachii diss. de iure praediatorio.

3. *omniaque nitor*] Ernestius coni. *omninoque nitor.*

quamquam id ipsum] Ernestio auctore addidi *id*, quod in edd. abest, vix tamen recte abesse potest.

ipsum doleo] sc. discedere. Id ipsum doleo, quod hinc mihi discedendum est, quia te carere nequeo, cui tamen ut me approbem, suavemque meam consuetudinem reddam, ignoro. *Gronov.*

illa quae amabas] ioci, facetiae, sales, et alia id genus. *Carr.*

ſcies, ſcribas ad me velim; maxime autem, Panſa quando.

De Attica, doleo; credo tamen Cratero. Piliam angi veta: ſatis eſt moerere pro omnibus.

EPISTOLA DXXXI. (ad Att. XII. 15.)

Scr. Aſturae menſe Martio A. U. C. 708.

De excuſatione apud Apuleium 1. *de ſolitudine ſua* 2. *de literis ad Brutum ſcribendis* 3.

CICERO ATTICO, S.

Apud Apuleium, quoniam in perpetuum non placet, in dies ut excuſer, videbis.

2 In hac ſolitudine careo omnium colloquio; quumque mane me in ſilvam abſtruſi denſam et aſperam, non exeo inde ante veſperum. Secundum te, nihil eſt mihi amicius ſolitudine. In ea mihi omnis ſermo

---

4. *Panſa quando*] quando in provinciam Galliam, Bruto ſucceſſurus, proficiſcatur. Nam ex urbe iam antea paludatus exierat. cf. ep. 520.

ſatis eſt moerere pro omnibus] Sic Lambinus e cod. Tornaeſ. edidit, idemque iam olim Corradus. Senſus eſt: Piliam iube de filiae valitudine ſecuram eſſe, eamque angi veta. Satis eſt hoc tempore moerere pro omnibus, i. e. communem reip. ſtatum deflere; ut nihil opus ſit eam ſine cauſa angi periculo filiae, quod Craterus medicus nullum eſſe dicit. Vulgo legitur: *ſatis ſolitus es moerere pro omnibus*; quod Gronovius ita explicabat: tua unius ſollicitudo tanti eſt, ut reliquam omnem domum tuam cura liberam praeſtare debeat. Quod quomodo fieri aut a Cicerone pronuntiari potuerit, equidem haud intelligo.

Epiſt. DXXXI. 1. *in perpetuum non placet*] quoniam non placet tibi, ut in univerſum tempus quo cenae dabuntur, apud Apuleium ſemel excuſemur, videbis ut in dies ſingulos. *Manut.*

eſt cum literis. Eum tamen interpellat fletus: cui repugno, quoad póſſum. Sed adhuc pares non ſumus.
3 Bruto, ut ſuades, reſcribam. Eas literas cras habebis. Quum erit cui des, dabis.

EPISTOLA DXXXII. (ad Att. XII. 16.)

Scr. Aſturae menſe Martio A. U. C. 708.

Atticum ſe nolle ſcribit ad ſe venire 1. veretur ne ſolitudinem ſuam Philippus tollat 2. dolorem ſuum literis non leniri ſed obturbari. 3.

CICERO ATTICO, S.

Te tuis negotiis relictis nolo ad me venire: ego potius accedam, ſi diutius impediere. Etſi ne diſceſſiſſem quidem e conſpectu tuo, niſi me plane nihil ulla res adiuvaret. Quodſi eſſet aliquod levamen, id eſſet in te uno; et, quum primum ab aliquo poterit eſſe, a te erit. Nunc tamen ipſum ſine te eſſe non poſſum. Sed nec tuae domi probabatur, nec meae poteram; nec, ſi propius eſſem uspiam, tecum tamen eſſem. Idem enim te impediret, quo minus mecum eſſes, quod nunc etiam impedit.

2 Mihi adhuc nihil prius fuit hac ſolitudine; quam vereor ne Philippus tollat. Heri enim veſperi venerat.

3 Me ſcriptio et literae non leniunt, ſed obturbant.

---

3. *reſcribam*] ad eas literas quas ex Gallia conſolatorias ad me miſit. *Manut*,

Epiſt, DXXXII. 1. *nunc — ipſum*] i. e. hoc ipſo tempore, ut alibi, e. c. ep. 366.

nec tuae domi probabatur] ſcil. mihi te convenire, propter turbam ibi praeſtolantium. *Gronov.*

nec meae poteram] meae non poteram eſſe, propter eos ſcilicet, qui ad me viſendum curſitaturi erant. *Gronov.*

2. *Philippus*] L. Marcius Philippus Caeſaris familiaris et affinis, de quo ſupra ep. 459.

veſperi venerat] in villam quam habebat Aſturae proximam (ad Att. XIV. 11.)

EPISTOLA DXXXIII. (ad Att. XII. 18.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

De fano in honorem Tulliae exstruendo 1. de epistola ad Brutum 2. de domesticis quibusdam 3. de pecuniae solutione a Cocceio et Libone promissa 4. de excusatione apud Apuleium 5. de Attici se conveniendi proposito 6. de Antonii adventu 7. de eo quod Terentia in obsignatoribus testamenti sui reprehenderit 8.

CICERO ATTICO, S.

Dum recordationes fugio, quae quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo. Quod velim mihi ignoscas, cuicuimodi est. Etenim habeo nonnullos ex iis, quos nunc lectito, auctores, qui dicant, fieri id oportere, quod saepe tecum egi, et quod a te approbari volo. De fano illo dico; de quo tantum, quantum me amas, velim cogites. Equidem neque de genere dubito; placet enim mihi Cluatii: neque de re; statutum est enim: de loco nonnunquam. Velim igitur cogites. Ego, quantum his temporibus tam eruditis fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monimentorum, ab omnium ingeniis scriptorum, et Graecorum et Latinorum;

Epist. DXXXIII. 1. *Cluatii*] placet mihi fanum, ea forma, quam Cluatius descripsit. Videtur autem Cluatius hic Architectus fuisse, aut certe huius generis intelligens, quod etiam infra apparet ad Att. XII. 36. (h. ed. 553.) *Manut.*

ab omnium — Latinorum] Haec mihi videntur a glossatore adiecta, qui vellet explicare verba *omni genere monimentorum.* Certe si non omnino interpolata sunt, latet tamen in iis aliquid vitii. Ut enim nunc leguntur, non satis apparet, an Cicero in laudibus Tulliae celebrandis optimorum scriptorum Graecorum et Latinorum ingeniis uti velit;

quae res forſitan ſit refricatura vulnus meum. Sed iam quaſi voto quodam et promiſſo me teneri puto; longumque illud tempus, quum non ero, magis me movet, quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur. Habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquieſcam. Nam, dum illud tractabam, de quo antea ſcripſi ad te, quaſi fovebam dolores meos. Nunc omnia reſpuo; nec quidquam habeo tolerabilius, quam ſolitudinem; quam, quod eram veritus, non obturbavit Philippus. Nam, ut heri me ſalutavit, ſtatim Romam profectus eſt.

2 Epiſtolam, quam ad Brutum, ut tibi placuerat, ſcripſi, miſi ad te. Curabis cum tua perferendam. Eius tamen miſi ad te exemplum, ut ſi minus placeret, ne mitteres.

3 Domeſtica quod ais ordine adminiſtrari, ſcribes, quae ſint ea. Quaedam enim exſpecto.

4 Coçceius vide ne fruſtretur. Nam Libo quod pollicetur, ut Eros ſcribit, non incertum puto.

---

an ſcriptores ſuae aetatis adducere velit, ut Tulliae laudes poſteritati commendent. Quod ſi placeat legendum videtur: *et omnium ingeniis S. et Gr. et L.*

habeo enim nihil] hoc referendum ad proxima verba: *quod mihi tamen nimis longum videtur.*

dum illud tractabam] dum librum ſcribebam de conſolatione, de quo ep. 14. (h. ed. 530.) *Manut.*

quaſi fovebam dolores meos] metaphora ſumpta a partibus dolore affectis, quae dum fovemus pulvinis aut ſacculis adhibitis levatio quaedam doloris videtur eſſe. *Manut.*

2. *miſi ad te*] nempe cum hac ipſa ad Atticum epiſtola.

4. *non incertum puto*] fortaſſe delenda eſt negandi particula.

De ſorte mea Sulpicio confido, et Egnatio ſcilicet.

5 De Apuleio quid eſt, quod labores, quum ſit excuſatio facilis?

6 Tibi ad me venire, ut oſtendis, vide, ne non ſit facile. Eſt enim longum iter, diſcedentemque te, quod celeriter tibi erit fortaſſe faciendum, non ſine magno dolore dimittam. Sed omnia, ut voles. Ego enim, quidquid feceris, id quum recte, tum etiam mea cauſa factum putabo.

7 Heri, quum ex aliorum literis cognoviſſem de Antonii adventu, admiratus ſum, nihil eſſe in tuis. Sed erant pridie fortaſſe ſcriptae, quam datae. Neque iſta quidem curo. Sed tamen opinor propter praedes ſuos accucurriſſe.

---

de ſorte mea] hoc Gronovius poſt Manutium intellexit de ipſo foenore ſ. capite, pro quo Sulpicius et Egnatius ſpoponderint. Et hoc videtur aptius eſſe, quam ut alii voluerunt, intelligi iudicandi munus, quod ſcilicet abſens ſortito inter iudices lectus eſſet. Sane quidem hoc factum eſt; nam ep. ſequenti ſcribit: *maxime approbo, quod de iudicatu meo ſcribis*. Verumtamen ſi huc trahas verba *de ſorte mea*, exputari non poteſt, quomodo Sulpicius, et Egnatius potiſſimum argentarius, eum potuerint hac iudiciali moleſtia liberare, ut his ſe maxime confidere dicat.

Sulpicio confido et Egnatio] qui promiſerunt ſe eſſe praeſtaturos, ut ſors ne pereat, hoc eſt, ut univerſa pecunia quam Cocceius et Libo mihi debent ne amittatur. Ut illa duo verba: *fruſtretur*, et *pollicetur* non ad univerſae pecuniae ſolutionem, ſed, ut opinor, ad uſurae penſionem referantur. *Manut.*

7. *adventu*] ſignificatur illud tempus, quo M. Antonius Roma profectus ut Hiſpaniam ad Caeſarem iret, deinde mutato conſilio, reditu admodum celeri per Italiam cucurrit, et noctu urbem introivit. Cuius feſtinationis maxima cauſa fuit, quod, quum tempus iam adeſſet, eius pecuniae ſolvendae, quam pro emptis

8 Quod scribis, Terentiam de obsignatoribus mei testamenti loqui; primum tibi persuade, me istaec non curare, neque esse quidquam aut parvae curae, aut novae loci. Sed tamen quid simile? illa eos non adhibuit, quos existimavit quaesituros, nisi scissent, quid esset. Num id etiam mihi periculi fuit? sed tamen faciat illa, quod ego. Dabo meum testamentum legendum cui voluerit: intelliget, non potuisse honorificentius a me fieri de nepote, quam fecerim. Nam quod non advocavi ad obsignandum: primum mihi non venit in mentem; deinde ea re non venit, quia nihil attinuit. Tute scis, (si modo meministi,) me tibi tum

---

in auctione Gn. Pompeii bonis Caesari debebat, verebatur, ne ipso absente, praedes sui venderentur: itaque accurrit, ut eos liberaret. Unde illud Philipp. II. *ne L. Plancus praedes suos venderet;* idemque Cicero h. l. verbis quae proxime sequuntur significat, *propter praedes suos accucurisse.* — *Manut.*

8. *de obsignatoribus mei testamenti*] Terentia hoc reprehenderat, quod Cicero in obsignando testamento testes fere tantum homines domesticos adhibuerat.

quid esset] scil. scriptum in testamento. Nempe eos, quos Terentia suspicabatur quaesituros quid esset scriptum in testamento, adhibere ad obsignandum noluit, quoniam, quid scripsisset, celatum esse volebat.

sed tamen — dabo] Ante Victorium in nonnullis edd. legebatur: *sed tamen faciat illa quoad ego dabo;* unde ei visum est sic legendum: *sed tamen faciat illa quod vult. Ego dabo.* Aptius autem est, quod recentiores edidere: *sed tamen faciat illa, quod ego. Dabo* etc.

de nepote] Lentulo puero, Tulliae ex Dolabella filio.

non advocavi] scil. amicos et ornatos viros, sed domesticis contentus fui praeter Silium et Publilium. Ita Graevius et Gronovius recte. Perperam alii ut Manutius supplendum esse opinati sunt: *eam* scil. *Terentiam;* atqui id Terentiae in mentem venire non potuit postulare, ut Cicero eam ad obsignandum testamentum suum testem advocaret, quum non esset moris, mulieres in testamentis testes adhibere.

dixisse, ut de tuis aliquos adduceres. Quid enim opus erat multis? equidem domesticos iusseram. Tum tibi placuit, ut mitterem ad Silium: inde est natum, ut ad Publilium. Sed necesse neutrum fuit. Hoc tu tractabis, ut tibi videtur.

EPISTOLA DXXXIV. (ad Att. XII. 17.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

De se apud Apuleium excusato 1. *de sponsione pro Cornificio* 2. *de Pansae profectione* 3. *Atticam et Piliam salvere iubet* 4.

CICERO ATTICO, S.

Marcianus ad me scripsit, me excusatum esse apud Apuleium a Laterensi, Nasone, Laenate, Torquato, Strabone. Iis velim meo nomine reddendas literas cures, gratum mihi eos fecisse.

2 Quod pro Cornificio me abhinc amplius annis XXV spopondisse dicit Flavius, etsi reus locuples est, et Apuleius praediator liberalis, tamen velim des ope-

---

Publilium] fratrem Publiliae, quam nuper Cicero uxorem duxerat.

Epist. DXXXIV. 1. *Marcianus*] Hunc Ernestius in ind. histor. male confudit cum *Tullio Montano*, qui cum Cicerone filio profectus est Athenas.

Torquato] Hic alius est Torquatus ab A. et L. Torquatis diversus, et ipse inter augures erat.

Strabone] utrum hic sit M. Strabo Laenas, quod Corradus putat, qui Ciceronem exsulem una cum fratre C. Brundisii in hortos suos receperat, (cf. ep. 251. et orat. pro Planc. c. 41. pro Sext. c. 63.) incertum est.

2. *etsi reus — liberalis*] quamquam, inquit, timendum non est, ne pro hac sponsione solvamus, siquidem et Cornificius ipse, pro quo dicor spopondisse, locuples est; et Apuleius praediator homo minime fran-

ram, ut investiges ex consponsorum tabulis, sitne ita. Mihi enim ante aedilitatem meam nihil erat cum Cornificio. Potest tamen fieri. Sed scire certum velim; et appelles procuratores, si tibi videtur. Quamquam quid ad me? verumtamen.

3 Pansae profectionem scribes, quum scies.

4 Atticam salvere iube, et eam cura, obsecro, diligenter. Piliae salutem.

EPISTOLA DXXXV. (ad Att. XII. 19.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

De loco ad fanum Tulliae exstruendum eligendo 1. *de Cocceio, Libone, et iudicatu suo quae Atticus egerit sibi probari.* 2. *de sponsione sua pro Cornificio* 3. *de Antonii reditu* 4. *de Pansae profectione* 5. *de transactione cum Terentia* 6.

CICERO ATTICO, S.

Est hic quidem locus amoenus, et in mari ipso,

---

dulentus, qui nobis et facile et sine dolo sponsionum iura ostendet; in quibus est, ut quum reus locuples sit, sponsores ne appellentur: tamen ex eorum tabulis, qui mecum pro Cornificio dicuntur spopondisse, velim cognoscas, an spoponderim. *Manut.* Reum h. l. dici, ut saepius, eum, a quo pecunia petitur, notum est.

ante aedilitatem meam] Aedilis fuit Cicero A. V. C. 684. Q. Hortensio et Q. Caecilio Metello coss. Inde ad annum 708. quo haec epistola scripta est effluxerant anni XXIV.

appelles procuratores] vide quid procuratores Cornificii dicant. *Manut.*

quid ad me?] doloris et desperationis significatio, maxime propter interitum filiae, qua amissa nihil praeterea sibi curandum esse dicit. *Manut.* Malim: quid ad me, quum etiamsi spoponderim, Cornificius tamen ipse solvere possit, ac debeat, antequam ii qui pro eo spoponderunt, appellentur.

Epist. DXXXV. 1. *est hic quidem*] nempe Asturae.

locus amoenus] fano in honorem Tulliae exstruendo.

et in mari ipso] nempe

qui et Antio, et Circaeis aſpici poſſit: ſed ineunda nobis ratio eſt, quemadmodum in omni mutatione dominorum, qui innumerabiles fieri poſſunt in infinita poſteritate, (ſi modo haec ſtabunt,) illud, quaſi conſecratum, remanere poſſit. Equidem iam

---

parva erat inſula haud procul ab oſtio fluvii Aſturae.

aſpici poſſit] quod ſcilicet ad celebritatem monumenti, quod Tulliae a Cicerone parabatur, pertinebat.

ineunda nobis ratio] poſſum quidem, inquit, hic fanum facere, ſed illud ſpectandum nobis eſt, ut id quod faciemus apud poſteros habeat religionem, quod fortaſſe non aſſequerer, ſi in hac ſolitudine fanum fieret. Faciundum igitur eſt loco celebri, ut in hortis Transtiberinis. Quod enim in celebritate erit, poſteri tuebuntur; quod in ſolitudine, contemnent. *Manut.*

in omni mutatione dominorum] apud omnes meorum bonorum poſſeſſores. *Mutatione dominorum:* nam dominus mutatur, quum is, qui poſſedit, alicui ſua bona vel moriens teſtamento legat, vel vivens vendit. Dominorum igitur, id eſt, omnium, quicumque olim mea praedia vel hereditate, vel emptione poſſidebunt. Hoc enim Cicero laborat, ut fanum illud etiam poſteris in honore eſſet. Itaque ep. 34. (h. ed. 557.) *ſepulcri*, inquit, *ſimilitudinem poteram effugere, ſi in villa facerem, ſed commutationes dominorum reformido. In agro ubicumque fecero mihi videor aſſequi poſſe, ut poſteritas habeat religionem.* Verebatur autem, ne ſi fanum faceret in villa, poſteri ex fano rurſus villam facerent, ubi habitare poſſent. *Manut.* Mirum vero eſt Ciceroni pietatem in filiam adeo illudere potuiſſe, ut monumenti aeternitatem ſperaret in hoc orbe terrarum, ubi ne immortalia ſperemus, omnia nos monent. Neque vero ei in mentem venire poterat, ſe filiae in his ipſis epiſtolis aere et marmore perennius monumentum erexiſſe.

quaſi conſecratum.] tamquam templum aliquod publice conſecratum. Non enim Cicero Tulliolam, empto templo, conſecrare poterat, niſi collegium pontificum adhiberetur. Id porro non ſolebat adhiberi, niſi ad eos conſecrandos, quos publice populus in deorum

nihil egeo vectigalibus, et parvo contentus esse possum. Cogito interdum trans Tiberim hortos aliquos parare, et quidem ob hanc causam maxime. Nihil enim video, quod tam celebre esse possit; sed quos, coram videbimus; ita tamen, ut hac aestate fanum absolutum sit. Tu tamen cum Apella Chio confice de columnis.

---

numerum referri vellet. Itaque Cicero fanum illud, quod videbat consecrari non posse, dabat operam, ut quasi consecratum maneret. Sed exsistet, qui ita dicat: Ciceronem improprie locutum, qui in his epistolis fanum appellarit, quod consecrari non posset, quum re vera fanum id dicatur, quod a pontificum collegio consecratum sit, et in quo deus aliquis publice colatur. Non difficilis nodus; qui nullo negotio solvetur, nempe sic: si intelligemus id quod res est, Ciceronem appellasse fanum, et fanum item ab aliis appellari voluisse, ut, quod revera fanum non esset, saltem propter nomen in honore esset. Itaque dicit ep. 35. (h. ed. 558.) *nollem illud ullo nomine nisi fani appellari. Man.*

nihil egeo vectigalibus] ipse se explanat, quum infert: *parvo contentus esse possum.* Et vult ostendere, quum vectigalibus iam nihil egeat, se non laborare de sumptu, qui propterea, faciendus sit, ut fanum diuturna cum religione, et quasi consecratum remanere possit: quod quum ita sit, cogitare interdum de hortis trans Tiberim parandis, quamquam magno venirent. *Manut.*

tu tamen] refertur ad illud: *coram videbimus.* Quamquam inquit, de hortis coram, tu tamen, quod ad columnas attinet, quibus ad fanum utemur ne exspecta adventum meum, sed confice, i. e. transige cum Apella Chio: eme eas ab Apella Chio. Nec dubito, quin columnas intelligat e Chio marmore, qui moneat Atticum, ut ea de re cum homine Chio conficiat. Quod si Chio marmore, sequitur, ut eas maxime voluerit, quae maculis essent versicoloribus, non solum ad elegantiam, sed etiam ad firmitudinem fani. Nam huius generis columnas reliquis fuisse firmiores scribit Plinius XXXVI. *Manut.*

De Cocceio et Libone quae ſcribis, approbo; 2
maxime, quod de iudicatu meo.

De ſponſu, ſi quid perſpexeris; et tamen quid 3
procuratores Cornificii dicant, velim ſcire; ita ut in ea re te, quum tam occupatus ſis, non multum operae velim ponere.

De Antonio quoque Balbus ad me cum Oppio 4
conſcripſit, idque tibi placuiſſe, ne perturbarer. Illis egi gratias. Te tamen, ut iam ante ad te ſcripſi, ſcire volo, me neque iſto nuntio eſſe perturbatum, nec iam ullo perturbatum iri.

Panſa ſi hodie, ut putabas, profectus eſt, poſt- 5
hac iam incipito ſcribere ad me, de Bruti adventu quid exſpectes, id eſt, quos ad dies. Id, ſi ſcies ubi iam ſit, facile coniectura aſſequere.

Quod ad Tironem de Terentia ſcribis, obſecro 6
te, mi Attice, ſuscipe totum negotium. Vides et officium agi meum quoddam, cui tu es conſcius, et, ut nonnulli putant, Ciceronis rem. Me quidem id multo magis movet, quod mihi eſt et ſanctius, et antiquius; praeſertim quum hoc alterum neque ſincerum, neque firmum putem fore.

---

2. *quod de iudicatu meo*] i. e. de officio iudicandi. Nimirum ne augures quidem vacationem habebant, quo minus in iudiciis ſederent. Atticus, ut opinor, ſcripſerat ſe Ciceronem quadam ratione excuſaſſe, ne ad officium iudicandi obeundum Romam evocaretur.

3. *de ſponſu*] ep. 534.

4. *de Antonio*] de eius repentino in urbem reditu. Vid. ep. 533.

me quidem id] ſc. officium meum. ep. 538.

6. *hoc alterum — firmum*] Terentia neque, ut opinor, cogitat de filii re, quum cogitare ſe ſimulet: (hoc eſt autem quod Cicero appellat non ſincerum: propterea quod qui ſimulatione utuntur, non ſincere agunt, ſed malitioſe) et ſi cogitat, in ſententia non permanebit. Notat malitiam Terentiae, quum dicit, *neque ſincerum*, levitatem, quum addit *neque firmum* — *Manut.*

EPISTOLA DXXXVI. (ad Att. XII. 20.)

Scr. Asturae postero die post superiorem, A. U. C. 708.

Respondet Attici literis 1. imprimis ad eius hortationem, ut se tam graviter dolere dissimularet, 2. 3. et aliquot quaestiones historicas ei proponit. 4.

CICERO ATTICO, S.

Nondum videris perspicere, quam me nec Antonius commoverit, nec quidquam iam eiusmodi possit commovere. De Terentia autem scripsi ad te iis literis, quas dederam pridie.

2 Quod me hortaris, idque a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam graviter dolere; possumne magis, qui totos dies consumo in literis? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi et sanandi animi causa facio: tamen, si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis.

3 Minus multa ad te scripsi, quod exspectabam tuas literas ad eas, quas ad te pridie dederam. Exspectabam autem maxime de fano, nonnihil etiam de Terentia.

4 Velim me facias certiorem proximis literis, Gn.

Epist. DXXXVI. 2. *possumne magis, qui totos*] Vulgo: *possumne magis, quam quod totos* etc. Olim ab edd. praeterquam Rom. *quam* aberat. Deinde additum e Mss. a Malasp. Nec sic rectum est. Gronovius pro *quod* malebat *quum*, quod verum est, si *quam* est verum. Sed valde placet iudicium Faërni, Malasp. Lambini, legendum: *possumne magis qui totos dies*, etc. *quod* e compendio natum est, inde *quam* additum explendi causa. Non dubitavi sic edere. *Ernesti.*

simulationi] Graevius tacite dedit *simulatione*, fortasse non ipse, sed corrector. Vulgatum melius est. *Ernesti.*

Caepio, Serviliae Claudii pater, vivone patre suo naufragio perierit, an mortuo; item Rutilia vivone C. Cotta, filio suo, mortua sit, an mortuo. Pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.

EPISTOLA DXXXVII. (ad Div. IX. 11.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

Respondet Dolabellae, qui se de Tulliae morte nuntium accepisse, et Ciceronis literas desiderare significaverat.

CICERO DOLABELLAE.

Vel meo ipsius interitu mallem literas meas desiderares, quam eo casu, quo sum gravissime afflictus: quem ferrem certe moderatius, si te haberem. Nam et oratio tua prudens, et amor erga me singularis multum levaret. Sed quoniam brevi tempore, ut opinio nostra est, te sum visurus, ita me affectum offendes, ut multum a te possim iuvari: non quo ita sim fractus, ut aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunae succumbendum putem; sed tamen hilaritas illa nostra et suavitas, quae te praeter ceteros delectabat, erepta mihi omnis est. Firmitatem tamen et constantiam, si modo fuit aliquando in nobis, eandem cognosces, quam reliquisti. Quod scribis, proelia te mea causa sustinere: non tam id laboro, ut, si qui

---

4. *Serviliae Claudii*] scil. *uxoris.*

Rutilia] P. Rutilii soror. Brut. c. 29. *Corrad.*

mortua sit an mortuo] mortuo mortua est. Quippe quae illum in exsilium sit secuta, et postea reductum fortiter amiserit. Senec. ad Helvidiam c. 16.

Epist. DXXXVII. *proelia — sustinere*] adversus eos qui Ciceronem apud Caesarem in invidiam adducere cupiebant, eumque non tam ob filiae mortem, quam ob rei publicae conversionem lugere calumniabantur.

mihi obtrectent, a te refutentur; quam intelligi cupio quod certe intelligitur, me a te amari. Quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. Ignoscasque brevitati literarum mearum. Nam et celeriter una futuros nos arbitror, et nondum satis confirmatus sum ad scribendum.

EPISTOLA DXXXVIII. (ad Att. XII. 21.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

Reprehendit quaedam in libro Bruti in laudem Catonis perperam scripta 1. *de hortis fano Tulliae exstruendo emendis* 2. *de Terentiae negotio* 3. *de pecunia Oviae curanda.* 4. *denique Attico, qui eum in forum revocaverat, cur ab eo refugiat, exponit* 5.

CICERO ATTICO, S.

Legi Bruti epistolam, eamque tibi remisi, sane non prudenter rescriptam ad ea, quae requisieras. Sed ipse viderit; quamquam illud turpiter ignorat. Catonem primum sententiam putat de animadversione

---

Epist. DXXXVIII. 1. *non prudenter*] Graevius e Ms. Balliol. edidit *pudenter*, non absurde; sed vulgatum verum puto; quae reprehendit Cicero, magis sunt inscitiae, quam impudentiae. *Ernesti.*

ad ea quae requisieras] Σύνταγμα quoddam M. Brutus conscripserat, ut opinor,, in Catonis laudem, (hanc enim coniecturam duco ex iis, quae proxime sequuntur) idque Attico legendum, et iudicandum miserat. Atticus respondens, quum quaedam minus probaret, eorum rationem a Bruto requisivit. Iste nihil ad ea; tantum Atticum rogavit, ut si quid incertius de senatus consulto in Catonis sententiam facto protulisset, id corrigeret; quum in reliquis Attici sententiam minimi facere videretur, nihil ad ea respondens, quae ille requisierat. *Manut.*

de animadversione] Bru-

dixisse; quam omnes ante dixerant, praeter Caesarem: et quum ipsius Caesaris tam severa fuerit, qui tum praetorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse, Catuli, Servilii, Lucullorum, Curionis, Torquati, Lepidi, Gellii, Volcatii, Figuli, Cottae, L. Caesaris, C. Pisonis, etiam M' Glabrionis, Silani, Murenae, designatorum consulum. Cur ergo in sententiam Catonis? Quia verbis luculentioribus et pluribus rem eandem comprehenderat. Me autem hic laudat, quod retulerim, non quod patefecerim, quod cohortatus sim, quod denique ante, quam consulerem, ipse iudicaverim.

---

tus nimirum in libro in laudem Catonis scripto mentionem fecerat coniurationis Catilinariae, et senatus consulti quo de coniuratis capitale supplicium sumendum esse, Cicerone consule referente, decretum est. Itaque Brutus in eo erravit, quod putavit Catonem primum sententiam de animadversione capitali dixisse, quam tamen omnes ante quam ad Caesarem ventum esset, dixerant, teste Sallustio de bello Cat. c. 46.

quam omnes ante dixerant praeter Caesarem] non quod in illo senatu Cato ante Caesarem sententiam dixerit, (hoc enim fieri non potuisse iam Manutius observavit, quum Caesar praetor des. Cato autem tribunus pl. des. esset; praetores autem tribunos dignitate anteirent;) sed quod omnes, praeter Caesarem, qui ante Catonem sententiam dixissent, capitali poena coniuratos afficiendos esse censuerant.

Caesaris tam severa fuerit] scilicet is, ut est apud Sallustium l. c. c. 47. censuerat, coniuratos illos, qui in custodiam traditi erant, publicatis bonis, per municipia in perpetua custodia habendos esse.

Silani] qui, ut primus consul designatus, primus sententiam dixerat.

quia — comprehenderat] Nempe Cato, teste Sallustio, ab omnibus consulibus designatis et consularibus, oratione finita, vehementer collaudatus erat; ideoque SCtum in eius potius, quam in Silani sententiam factum.

quod — ipse iudicaverim] quum ad senatum retulissem

Quae omnia, quia Cato laudibus extulerat in caelum, perſcribendaque cenſuerat; idcirco in eius ſententiam eſt facta disceſſio. Hic autem ſe etiam tribuere multum mihi putat, quod ſcripſerit, *optimum conſulem.* Quis enim ieiunius dixit inimicus? Ad cetera vero tibi quemadmodum reſcripſit? Tantum rogat, de ſenatus conſulto ut corrigas. Hoc quidem feciſſet, etiamſi a Ranio admonitus eſſet. Sed haec iterum ipſe viderit.

2 De hortis, quoniam probas, effice aliquid. Rationes meas noſti. Si vero etiam a Faberio aliquid accedit, nihil negotii eſt. Sed etiam ſine eo poſſe

---

de coniuratione deprehenſa, non exſpectavi, ut dicerent, et quid ſibi videretur eſſe faciendum, oſtenderent; ſed, antequam illos conſulerem, i. e. ſententiam rogarem, cenſui ipſe de coniuratis ſupplicium eſſe ſumendum. Hoc apparet ex oratione IV. in Catilinam. *Manut.*

quae quia Cato laudibus extulerat in coelum] harum laudum in oratione quam Salluſtius Catoni tribuit nullum eſt veſtigium.

hoc quidem feciſſet — admonitus eſſet] Nempe Atticus, praeter cetera, quae in Bruti libro reprehenderat aliquid etiam in formula SCti de coniuratis Catilinae perſcripti a Bruto erratum eſſe ſcripſerat. Id unum, ceteris ſilentio praeteritis, ut corrigeret Atticus rogaverat. Idem ait Cicero, feciſſet Brutus, etiamſi a vili quodam ſcriba, ut Ranio, admonitus eſſet; nempe ei hunc honorem habuiſſet, ut ab eo errorem illum corrigi vellet. Nihil igitur opus eſt, ut, quod Erneſtio in mentem venit, corrigamus *feciſſes — eſſes.*

etiamſi a Ranio] In nomine diſſentiunt libri. Ed. Rom. *Tatio*, Ienſ. *Kanio*, ſed ſine praepoſitione. Victorius edidit *Rario.* Tunſtallus p. 162. corrigit *Kano.* Alias mitto coniecturas. *Ranio* praetuli cum Graevio, quia id nomen reperitur in antiquis monumentis, *Rario* non item. *Erneſti.* Quicquid ſit, certe nomine proprio ſcribae hic opus eſt, nec admittendum, quod Erneſtius ait ſe aliquando conieciſſe: *etiamſi ab alio admonitus non eſſes*, i. e. tua ſponte.

2. *ſi vero — aliquid accedit*] Vulgo *recedit.* *Aliquid*

videor contendere. Venales certe sunt Drusi; fortasse et Lamiani et Cassiani; sed coram.

De Terentia non possum commodius scribere, 3
quam tu scribis. Officium sit nobis antiquissimum. Si quid nos fefellerit, illius malo me, quam mei poenitere.

Oviae C. Lollii curanda sunt H-S c. Negat Eros 4
posse sine me; credo, quod accipienda aliqua sit et danda aestimatio. Vellem tibi dixisset. Si enim res est, ut mihi scribit, parata; nec in eo ipso mentitur: per te confici potuit. Id cognoscas, et conficias velim.

---

abest edd. pr. Si Faberius emptor posset intelligi, putarem *res* excidisse; ut esset, si ille emptionis consilium abiicit. Ita accipiebat Manutius, corrigens *res cedit*. Sed quia Faberius, ut ep. 25. (h. ed. 543.) docet, negotium pecuniarium habebat cum Cicerone, placet Corradi coniectura, legentis *accedit*, quod et Graevio placebat: si vero et spes est pecuniae a Faberio accipiendae; quod rei optime consentit, atque id ita evidens est ut sic edere non dubitaverim. *Ernesti.* Unice verum est *accedit;* atque in eundem sensum Manutius legendum coniiciebat, *si vero etiam a Faberio res cedit*, vel *si vero etiam a Faberio procedit*, scil. negotium, ut ab eo aliquid possimus exigere. Ernestius enim Manutii mentem haud recte interpretatus est, quippe, qui debitorem Ciceronis Faberium fuisse arbitratur, nihil de abiecto emptionis consilio intelligi voluit.

Lamiani et Cassiani] qui sunt Lamiae et Cassii. *Manut.*

4. *Oviae C. Lollii*] subauditur uxori, ut saepe.

posse sine me] subintellige *curari*, *sine me*, nisi ego adsim. *Manut.*

accipienda aliqua sit et danda aestimatio] Caesar, pulso ex Italia Pompeio, quum Romam revertisset, fidesque tota Italia esset angustior, neque creditae pecuniae solverentur, constituit ut arbitri darentur, per eos fierent aestimationes possessionum, et rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent, atque eae creditoribus traderentur. (cf. Caes. de B. C. lib. III. c. 1. et supra ep. 451.) Cicero igitur ait: credo quod acci-

5 Quod me in forum vocas; eo vocas, unde, etiam bonis meis rebus, fugiebam. Quid enim mihi cum foro, sine iudiciis, sine curia, in oculos incurrentibus iis, quos aequo animo videre non possum? Quod autem homines a me postulare scribis, ut Romae sim, neque mihi, ut absim, concedere, iam pridem scito esse, quum unum te pluris, quam omnes illos, putem; ne me quidem contemno; meoque iudicio multo stare malo, quam omnium reliquorum. Neque tamen progredior longius, quam mihi doctissimi homines concedunt; quorum scripta omnia, quaecumque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti et fracti animi non fuit. Ab his me remediis noli in istam turbam vocare, ne recidam.

EPISTOLA DXXXIX. (ad Att. XII. 7.)

Scr. Asturae A. U. C. 708. mense incerto, sed, ut videtur, Martio.

Quid cum Cicerone filio coram egerit exponit.

Quae desideras, omnia scripsi in codicillis, eosque Eroti dedi, breviter, sed etiam plura quam quae-

---

pienda mihi possessio aliqua, ut domus aut res a debitoribus meis, et ea Oviae, cui ipsa debeo, tradenda. Et posuit hic Cicero *aestimationem* pro re aestimata, aestimata, inquam, ab arbitris Caesarianis, quanti ante civile bellum fuisset. *Manut.*

5. *in forum*] ad agendas causas, et ad tractanda iudicia. *Manut.*

bonis meis rebus] florente fortuna.

neque mihi ut absim concedere] Vulgo additur: *aut quatenus eos mihi concedere.* Haec verba de Mureti et Graevii sententia, ut insititia, delevi.

ris; in his de Cicerone, cuius quidem cogitationis initium tu mihi attulisti. Locutus sum cum eo liberalissime, quod ex ipso, velim, si modo tibi erit commodum, sciscitere. Sed quid differo? Exposui, te ex me detulisse, ecquid requireret; velle Hispaniam, requirere liberalitatem. De liberalitate, dixi, quantum Publilius, quantum flamen Lentulus filio. De Hispania, duo attuli: Primum item, quod tibi, me vereri vituperationem; non satis esse si haec arma reliquissemus? etiam contraria? Deinde fore, ut angeretur, quum a fratre familiaritate et omni gratia vinceretur. Velim magis liberalitate uti mea, quam sua libertate, sed tamen permisi. Tibi enim intellexeram non nimis displicere. Ego etiam atque etiam cogitabo, atque ut idem facias, rogo. Magna res et simplex est, manere; illud anceps. Verum videbimus. De Balbo et in

---

Epist. XXXIX. *exposui — liberalitatem*] exposui, te de mandato meo ei detulisse ecquid vellet, ecquid requireret, velle (subaudi: Quintum filium haec respondisse) Hispaniam, requirere liberalitatem; i. e. velle Caesarem in Hispaniam sequi contra Pompeii filios: requirere, ut ego pecuniam liberalius ei suppeditarem. *Manut.* Ernestius *velle Hispaniam* sic accepit, quasi id Cicero filius patri responderit. Constructio tamen verborum, si Manutii sententiam sequaris, minus intricata est.

Publilius] Sic Bosius edidit pro vulg. *Publius*, quod servavit Graevius. Puto esse Publiliae Patrem. Sic et aliis huius libri epistolis 24. 28. (nostrae ed. 546. 549.) Rem paene conficit locus ep. 32. (h. ed. 555.) ubi Publilia est et Publilius pater, ubi pariter in libris fere est *Publia* et *Publius*. *Ernesti.*

quum a fratre] patrueli, Quinti Ciceronis filio.

omni gratia vinceretur] apud Caesarem et Caesarianos. Nam Q. Cicero filius dudum propter Hirtium erat gratiosus.

magna res et simplex est manere] Manutius hoc ita intelligit: magna res est ire in Hispaniam, et *simplex* h. e. sine periculo, manere.

codicillis scripseram, et ita cogito, simul ac redierit. Sin ille tardius, ego tamen triduum. Et, quod praeterii, Dolabella etiam mecum.

EPISTOLA DXL. (ad Att. XII. 22.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

Rogat ut negotium, quod ad Terentiam attinebat, suscipiat 1. *quaestionem de Clodia proponit* 2. *de hortis fano Tulliae exstruendo emendis iterum rogat* 3.

CICERO ATTICO, S.

De Terentia, quod mihi omne onus imponis; non cognosco tuam in me indulgentiam. Ista enim sunt ipsa vulnera, quae non possum tractare sine maximo gemitu. Moderare igitur, quaeso, ut potes. Neque enim a te plus, quam potes, postulo: potes autem, quid veri sit, perspicere tu unus.

2 De Rutilia, quoniam videris dubitare, scribes ad me, quum scies, sed quamprimum: et, num Clodia, D. Bruto consulari, filio suo, mortuo, vixerit. Id de Marcello, aut certe de Postumia sciri potest;

Ernestio dubium est vocabulum *magna*. Sane aptius esset: *Tuta res et simplex est manere;* vel: *Magna res iter; simplex est manere.*

et ita cogito] Significat se si Balbus redierit aliquot dies Romae futurum.

ego tamen triduum] scil. Romae tecum ero.

Dolabella — mecum] scil. est. Nam eum se proxime visurum ostenderat supra epist. 537.

Epist. DXL. 1. *quid veri sit*] audiverat Terentiam quippiam moliri, quod ipse minus vellet. Id quid esset Atticum dicit unum posse perspicere. *Manut.*

2. *consulari*] Cos. enim fuit cum M. Aemilio Mamerco. A. V. C. *Corrad.*

de Marcello] Corradus intelligit C. Marcellum C. filium, cuius mater videtur fuisse Iunia, de qua scire ipse illud potuit. Nam patris C. Marcelli uxor Iunia appellatur supra ep. 216.

de Postumia] fortasse ea,

illud autem de M. Cotta, aut de Syro, aut de Satyro.

De hortis, etiam atque etiam te rogo. Omnibus 3
meis, eorumque, quos ſcio mihi non defuturos, facultatibus, ſed potero meis, enitendum mihi eſt. Sunt etiam, quae vendere facile poſſim. Sed, ut non vendam, eique uſuram pendam, a quo emero, non plus annum, poſſum aſſequi, quod volo, ſi tu me adiuvas. Paratiſſimi ſunt Druſi; cupit enim vendere. Proximos puto Lamiae; ſed abeſt. Tu tamen, ſi quid potes, odorare. Ne Silius quidem quidquam utitur, et is uſuris facillime ſuſtentabitur. Habe tuum negotium; nec, quid res mea familiaris poſtulet, quam ego non curo, ſed quid velim, et cur velim, exiſtima.

---

quae Ser. Sulpicii uxor fuit. cf. ep. 371.

de M. Cotta] ut C. Cottae, cuius mater fuit Rutilia, propinquo, et fortaſſe harum rerum ſtudioſo. Atque is eſt, niſi fallor, qui belli civilis initio Sardiniam retinuit. Caeſ. de B. C. lib. I. c. 30. *Corr.*

de Syro — Satyro] qui erant ex Attici ſervis literatis.

3. *non plus annum*] non ultra minus anni ſpatium. Similiter ſupra VI. 6. (h. ed. ep. 470.) *plus annum obtinere provinciam.* Itaque non neceſſe cum Graevio corrigere *plus annua* ſc. die, quod uſitatius in hac re eſt. *Erneſti.*

odorare] an Lamiae horti venales ſint.

ne Silius quidem q. utitur] hortis ſuis, facileque vendet. *Erneſti.*

is uſuris] Sic recte emendavit Lipſius Antiq. lect. IV. 19. Vulgo *iis uſuris.* Senſus eſt: Silius, quoniam dives eſt, facile commovebitur, ut ſolutionem in annum differam, intereaque uſuris contentus erit. Sic accepit Graevius, melius ut opinor, quam Manutius, qui vocabulo *ſuſtentabitur* egeſtatem Silii declarari putabat.

habe tuum negotium] Exiſtima tuum eſſe negotium. Haec res tibi curae ſit, item ut ſi tua res eſſet. Genus loquendi perelegans, quo et infra utitur ad Att. XIV. 2. *Manut.*

EPISTOLA DXLI. (ad Att. XII. 23.)

Scr. Afturae menfe Martio A. U. C. 708.

Cur Romam venire nolit, exponit. 1. *de Terentia ut curet, rogat.* 2. *de Atticae valitudine* 3. *de hortis emendis.* 4.

CICERO ATTICO, S.

Putaram te aliquid novi; quod eiusmodi fuerat initium literarum, quamvis non curarem, quid in Hifpania fieret, tamen te fcripturum: fed videlicet meis literis refpondifti, ut de foro, et de curia. Sed domus eft, ut ais, forum. Quid ipfa domo mihi opus eft, carenti foro? Occidimus, occidimus, Attice, iam pridem nos quidem, fed nunc fatemur, pofteaquam unum, quo tenebamur, amifimus. Itaque folitudines fequor: et tamen, fi qua me res ifto adduxerit, enitar, fi quo modo potero, (potero autem) ut praeter te nemo dolorem meum fentiat: fi ullo modo poterit, ne tu quidem. Atque etiam illa caufa eft non veniendi.

Epift. DXLI. 1. *quamvis non curarem*] Atticus proximis literis ita fcripferat Ciceroni: *quamvis de Hifpania non cures, tamen ad te fum fcripturus.* Itaque putavit fe Cicero in iis literis aliquid novi de Hifpania effe reperturum, neque tamen reperit; propterea quod Atticus non in iis literis, quas tum dabat, intellexerat fe fcripturum de Hifpania, fed in iis, quas deinde daturus erat; quum fcilicet de rebus Hifpanicis novi aliquid Romam effet allatum. *Manut.*

domus eft, ut ais, forum] fcripferat Atticus: quum Romae eris, fi verfari in foro non libebit, quod quosdam homines aequo animo videre non poffis; at domi effe poteris, quae tibi erit pro foro. Ita et iis fatisfacies qui a te poftulant, ut Romae fis, neque tibi, ut abfis, concedunt; et affequeris quod tu vis, ut forum ne frequentes. *Manut.*

unum, quo tenebamur] intelligit Tulliam. *Ernefti.*

ifto adduxerit] nempe Romam.

ut praeter te] omnes libri

Meministi, quid ex te Aledius quaesierit; quin etiam nunc molesti sunt; quid existimas, si venero?

2 De Terentia ita cura, ut scribis, meque hac ad maximas aegritudines accessione non minima libera.

3 Et, ut scias me ita dolere, ut non iaceam, quibus consulibus Carneades, et ea legatio Romam venerit, scriptum est in tuo annali. Haec nunc quaero, quae causa fuerit; de Oropo, opinor; sed certum nescio; et, si ita est, quae controversiae; praeterea, qui eo tempore nobilis Epicureus fuerit Athenis, qui praefuerit hortis; quae etiam Athenis πολιτικοὶ fuerint

---

habeat *praeter me.* Manutius Lipsiusque corrigebant, *praeter te*, quam correctionem propter evidentiam recepi. *Ernesti.*

quid ex te Aledius quaesierit] idem ille Caesarianus, de quo epist. 445. Ex epistola sequenti intelligitur eum tum Romae fuisse. Fortasse autem ille percontatus erat Atticum cur Cicero Romam non veniret, cur senatum haud frequentaret etc.

molesti sunt] Caesariani, flagitando scilicet, ut sim Romae assiduus, et in senatum veniam.

si venero] tum nimirum nulla excusatio valebit, quo minus rebus gerendis intersim, et in senatu sententiam dicam.

2. *accessione non minima*] Olim edebatur *accessione non maxima* inepte. Bosius e cod. Consul. dedit *accessione nunc maxima.* Sed illud *nunc* παρέλκει. Ernestius coni. *accessione non minima*, quod est ad sensum aptissimum, idque recipiendum putavi.

3. *quibus consulibus — ea legatio*] P. Cornelio Scipione Nasica et M. Claudio Marcello coss. A. V. C. 599. Romam legati venerunt Carneades Academicus, Diogenes Stoicus, Critolaus Peripateticus.

de Oropo opinor] Recte opinabatur. Nam Athenienses afflicti bello Macedonico summa in paupertate quum essent, non avaritia aut libidine adducti, sed necessitate impulsi, Oropum, urbem sibi subditam, diripiunt. Oropii querentes ad senatum Romam confugiunt; Senatus iudicat eam iniuriam Oropiis non iure factam; mandat Sicyoniis, ut

illustres; quae te etiam ex Apollodori puto posse invenire. De Attica, molestum; sed quoniam leviter, recte esse confido. De Gamala dubium mihi non erat. Unde enim tam felix Ligus pater? Nam quid de me dicam, cui ut omnia contingant, quae volo, levari non possum?

---

causa cognita, multam Atheniensibus, auctoribus iniuriae, pro damno dato irrogent. Sicyonii, quum ad iudicium Athenienses non affuissent, multam dixere talentorum quingentorum. Sed senatus petentibus Atheniensibus, qui legatos eius rei causa tres philosophos Romam miserant, omnia remisit, praeter talenta centum, quae tamen ne ipsa quidem pependerunt. Haec ex Pausaniae historia de Achaicis, Plutarchi Catone maiore, Gellio N. A. lib. VII. 14. lib. XVII. c. ult. Macrob. lib. I. c. 5. *Manut.*

ex Apollodori] ad eius Chronica respicitur. Ea sunt Apollodori Atheniensis, cuius nobis Bibliotheca sola e scriptis pluribus reliqua est. De Chronicis autem quae iambis conscripta erant, et accurate temporis rationem designabant, unde Romani iis libenter utebantur, et Laërtius in definiendis aetatibus philosophorum crebro usus est, vide etiam Menagium ad Laërt. l. 37. II. 2. Bosius ad h. l. eum confundit cum Epicureo Apollodoro, qui κηποτυραννος dictus est, et vitam Epicuri scripsit. *Ernesti.*

de Gamala] Varie scribitur hoc nomen in libris antiquis. Cod. Tornaes. et decurtatus Bosii habet *Gamala*. Alii teste Iunio *Megalia*, unus *Megala*. Alii *Magala* vel *Megilia*. Quid verum sit, vix definiri potest. Manutius filium Liguris, alii filiam interpretantur.

unde — pater] Sensus esse videtur: De Gamala dubium mihi non erat, quin eius morte vehementer affligeretur Ligus pater. Unde enim tam felix sibi visus est ille, nisi quod hanc filiam haberet? Aliter Manutius explicabat: dubium mihi non erat quin Gamala ex illo morbo moriturus esset: unde enim tanta felicitas patri fuisset, ut tam probo filio diutius uteretur? Quis autem sit ille Ligus, utrum L. Ligur, an eius frater M. Octavius Ligur Verr. I. 48. Att. VII. 18. (h. ed. 315.) incertum est.

4 De Drusi hortis, quanti licuisse tu scribis; id ego quoque audieram, et, ut opinor, heri ad te scripseram; sed quanti quanti, bene emitur quod necesse est. Mihi, quoquo modo tu existimas, (scio enim ego ipse, quid de me existimem,) levatio quaedam est, si minus doloris, at officii debiti. Ad Sicam scripsi, quod utitur L. Cotta. Si nihil conficeretur de Transtiberinis, habet in Ostiensi Cotta celeberrimo loco, sed pusillum loci; ad hanc rem tamen plus etiam satis. Id velim cogites. Nec tamen ista pretia hortorum pertimueris. Nec mihi iam argento, nec veste opus est, nec quibusquam amoenis locis: hoc opus est. Video etiam, a quibus adiuvari possim. Sed loquere cum Silio. Nihil enim est melius. Mandavi etiam Sicae. Rescripsit, constitutum se cum eo habere. Scribat igitur ad me, quid egerit; et tu videbis.

EPISTOLA DXLII. (ad Att. XII. 24.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

De Silii et Oviae negotio 1. *de Ciceronis filii itinere in Graeciam* 2. *de Publilii profectione in Africam* 3. *de quaestionibus historicis quibusdam.* 4. *de Cispianis et Praecianis negotiis et Atticae valitudine* 5.

CICERO ATTICO, S.

Bene fecit A. Silius, qui transegerit. Neque enim ei deesse volebam, et, quid possem, timebam. De Ovia, confice, ut scribis.

---

4. *quod utitur L. Cotta*] quia eius familiaris est.

constitutum se cum eo habere] diem ei constituisse, quo cum eo de isto negotio loqueretur.

Epist. DXLII. 1. *Bene fecit A. Silius*] Bene fecit Silius, qui deciderit de lite; (quam cum nescio quo habebat). Constitueram enim ei praesto esse, ut *advocatus*, et tamen verebar ne a me impetrare non possem, ut amissa solitudine, quam sequor, me turbae darem

2 De Cicerone, tempus esse iam videtur. Sed quaero, quod illi opus erit Athenis, permutarine possit, an ipsi ferendum sit; de totaque re, quemadmodum, et quando placeat, velim consideres.

3 Publilius iturusne sit in Africam, et quando, ex Aledio scire poteris: quaeras, et ad me scribas, velim.

4 Et, ut ad meas ineptias redeam, velim me certiorem facias, P. Crassus, Venuleiae filius, vivone P. Crasso consulari, patre suo, mortuus sit, ut ego meminisse videor, an post. Item quaero de Regillo, Lepidi filio, rectene meminerim, patre vivo mortuum.

5 Cispiana explicabis, itemque Praeciana. De Attica, optime. Ei salutem dices, et Piliae.

---

et Romam venirem, *Gronov.* Et hic quidem sine dubio haec recte exposuit. Nam Manutius errabat, quum de negotio hortorum Silio emendorum intelligebat. Id autem, quod e sequentibus epistolis intelligitur nondum erat abiectum; nec ipsa verba *transegerit*, et *neque enim ei deesse volebam* ei conveniunt.

de Ovia] cura ei H-S C. quae deberi ei a me scis. Supra epist. h. ed. 538. *Oviae C. Lollii curanda sunt* H-S C. Eadem de re infra ep. 548. *cum Ovia* inquit, *quaeso quidem ut conficiatur.*

ad meas ineptias] quaestiones, quarum explicatione sibi opus erat ad librum de consolatione perficiendum.

vivone P. Crasso consulari] qui Cos. fuit cum Gn. Cornelio Lentulo Clodiano A. V. C. 657. *Corrad.*

de Regillo] Aemilio Regillo. Nam Aemilii Regilli sunt dicti, ut ostendit Liv. l. 37. *Corr.*

Lepidi filio] M. Aemilii Lepidi, ni fallor, qui fuit Cos. cum Q. Lutatio Catulo A. V. C. 675. *Corr.*

Cispiana et Praeciana] nomina, h. e. debitam mihi a Cispio et Praecio pecuniam. Infra epist. ad Att. XIII. 53. *de nomine tu videbis cum Cispio.* — *Manut.*

de Attica, optime] Vulgo *de Attica optime it. Res* dicitur *bene ire;* sed sic simpliciter dici non reperi. Vereor ne *it* insititium sit. Atticus poterat sic scribere Ciceroni de Attica. Cicero debebat gaudere. Id erat *de Attica, optime. Ernesti.*

EPISTOLA DXLIII. (ad Att. XII. 25.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

De Silii hortis emendis, sed ita ut numerato potius quam aestimatione.

CICERO ATTICO S.

Scripsit ad me diligenter Sica de Silio, seque ad te rem detulisse: quod tu idem scribis. Mihi et res, et conditio placet, sed ita, ut numerato malim, quam aestimatione. Voluptarias enim possessiones nolet Silius. Vectigalibus autem ut his possum esse contentus, quae habeo, sic vix minoribus. Unde ergo numerato? H-S DC exprimes ab Hermogene, quum praesertim necesse erit; et domi video esse H-S DC. Reliquae pecuniae vel usuram Silio pendemus, dum a Faberio, vel ab aliquo, qui Faberio debet, repraesentabimus. Erit etiam aliquid alicunde. Sed totam rem

---

Et hoc quidem recepi. De Attica, inquit, optime narras, quod levius iam aegrotat.

Epist. DXLIII. *et res et conditio*] *Res*, horti ipsi, quos Silius vendere vult, *Conditio:* vel pecuniam dixerat Silius se accepturum pro hortis, vel pro pecunia ex Ciceronis possessionibus aliquam, facta aestimatione, ut ne minoris esset possessio, quam acciperet, quam quanti essent horti, quos venderet. Hanc conditionem respondet Cicero sibi placere, sed ita, ut numerare pecuniam malit, quam e suis praediis ullum tradere. *Manut.*

sic vix minoribus] Quum Cicero pecuniam pro hortis Silianis mallet numerato solvere, primum ait se ex vectigalibus, i. e. reditibus et fructibus praediorum suorum, nihil dependere posse, quod etiamsi iis contentus esse possit, ut habeat in sumptum domesticum, tamen eos vix diminuere liceat; itaque alias rationes pecuniae conficiendae circumspiciendas esse.

dum a Faberio — repraesentabimus] tantisper pro

tu gubernabis. Drusianis vero hortis hos multo antepono; neque sunt umquam comparati. Mihi crede una me causa movet, in qua scio me τετυφῶσθαι. Sed, ut facis, obsequere huic errori meo. Nam quod scribis ἐγγήραμα; actum iam de isto est: alia magis quaero.

EPISTOLA DXLIV. (ad Att. XII. 26.)

Scr. Asturae circa XII. Kal. Apr. A. U. C. 708.

Sicam ad se venturum; Atticus quod non veniat, se ignoscere; Niciam ad se venire nolle.

CICERO ATTICO, S.

Sica, ut scribit, etiam si nihil confecerit cum A. Silio, tamen se scribit x kal. esse venturum. Tuis

---

ea parte pecuniae, quam statim Silio numerare non possum, usuras ei pendam, donec vel de eo quod Faberius mihi debet, vel de pecunia quam alius ei debet, mihi delegata, solvere possim.

τετυφῶσθαι] insanire.

ἐγγήραμα] hoc malim de loco ad requiem senectutis parato, quam quod Ernestio visum de cura rei publicae accipere. Manutius accepit de subsidio senectuti parando; Atticum enim Ciceroni suasisse putabat, ut parceret pecuniae in futurum senectutis usum, nec tantum in hortos istos erogaret. Verum, quod ex epist. ad Att. XII. 44. intelligitur, de loco capiendum, ubi aliquis senectutem suaviter et quiete transigere possit. Ibi enim ait: *Mihi vero et locum, quem opto, ad id, quod volumus (nempe ad fanum Tulliae consecrandum) dederis, et praeterea ἐγγήραμα.* Hoc autem loco ait: Mihi crede una me causa movet ad hortos emendos, in qua scio me insanire, ut locum habeam fano Tulliae exstruendo idoneum. Sed, ut facis, obsequere huic errori meo. Nam quod scribis ἐγγήραμα, mihi quaerendum esse locum, ubi senectutem quiete possim transigere, actum iam de isto est, i. e. de hoc iam nihil amplius cogito; alia magis quaero.

Epist. DXLIV. x Kal.] scil. Apriles.

esse venturum] ad me.

occupationibus ignosco; aeque mihi sunt notae. De voluntate tua, ut simul simus, vel studio potius et cupiditate, non dubito. De Nicia quod scribis, si ita me haberem, ut eius humanitate frui possem, in primis vellem illum mecum habere. Sed mihi solitudo et recessus provincia est. Quod quia facile ferebat Sica, ego magis illum desidero. Praeterea nosti Niciae nostri imbecillitatem, mollitiam, consuetudinem victus. Cur ego illi molestus velim, quum mihi ille iucundus esse non possit? voluntas tamen eius mihi grata est. Unam rem ad me scripsisti, de qua decrevi nihil tibi scribere. Spero enim me a te impetrasse, ut privares me ista molestia. Piliae, et Atticae salutem.

EPISTOLA DXLV. (ad Att. XII, 27.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708. ut videtur X. Kal. Apr.

De Silii hortis emendis; de Cottae villa 1. *de Ciceronis filii profectione* 2. *de Bruti adventu.* 3.

CICERO ATTICO, S.

De Siliano negotio, etsi mihi non est ignota con-

---

de Nicia] Nicias Curtius grammaticus Attico dixerat, si Ciceroni iucundum foret, se ad eum esse venturum.

humanitate] suavitate colloquii, facetiis, urbanitate.

provincia] Si vera est lectio, significat, solitudine et recessu sibi nunc nihil carius et antiquius esse; ut multi nihil magis appetant, quam provinciae administrationem. Valde autem vereor, ne aliud hic vocabulum lateat. Num scripsit Cicero: *mihi solitudo et recessus pro victu est;?* Eodem sensu, quo nos dicimus: *ich lebe und webe in der Einsamkeit.* Sicut in orat. in Pisonem c. 22. dicitur: *tibi solitudo pro frequentia erat.*

Unam rem] de Terentia scil. cuius negotium ut Atticus totum susciperet, iam antea eum rogaverat.

ditio, tamen hodie me ex Sica arbitror omnia cogniturum. Cottae quod negas te nosse, ultra Silanam villam est, (quam puto tibi notam esse,) villula sordida, et valde pusilla; nihil agri; ad aliam rem loci nihil; satis ad eam, quam quaero. Sequor celebritatem. Sed, si perficitur de hortis Silii, hoc est, si perficis, (est enim totum positum in te,) nihil est scilicet, quod de Cotta cogitemus.

2 De Cicerone; ut scribis, ita faciam; ipsi permittam de tempore; nummorum quantum opus erit, ut permutetur, tu videbis.

3 Ex Aledio, quod scribis, si quid inveneris, scribes. Et ego ex tuis animadverto literis, et profecto tu ex meis, nihil habere nos, quod scribamus; eadem quotidie, quae iam, iamque ipsa contrita sunt; tamen facere non possum, quin quotidie ad te mittam, ut tuas accipiam. De Bruto tamen, si quid habebis. Scire enim iam puto, ubi Pansam exspectet. Si, ut consuetudo est, in prima provincia, circiter Kal. affu-

---

Epist. DXLV. 1. *ex Sica*] qui promiserat se X. Kal. Apr. venturum. Cf. ep. 544.

satis ad eam] ad fanum Tulliae exstruendum.

sequor celebritatem] cf. ep. 541, 4.

2. *de tempore*] Athenas proficiscendi.

3. *scire enim iam puto*] subaudi *te*. Quum autem scias, ubi Pansam exspectet, facile potes quo tempore futurus Romae sit coniectura consequi. *Manut.*

in prima provincia] consuetudo erat, ut magistratus decedentes successorem exspectarent in prima provincia, ad quam respexit in ep. ad Appium III. 6. ad Fam. (h. ed. 213.) *te in prima provincia velle esse ut quam primum decederes.* Prima autem urbs Galliae citerioris erat Ravenna. *Popma.*

circiter Kal.] Apriles. Popma et Malaspina putant significari *Kalendas Februarias*, quia Pansa Roma discessit III. Kal. Ian. Verum huic diei reliqua harum epistolarum tempora haud conveniunt; itaque Pansam post discessum ex urbe non

turus videtur. Vellem tardius. Valde enim urbem fugio multas ob caufas. Itaque id ipfum dubito, an excufationem aliquam ad illum parem; quod quidem video facile effe. Sed habemus fatis temporis ad cogitandum. Piliae, Atticae falutem.

EPISTOLA DXLVI. (ad Att. XII. 18.)

Scr. Afturae poft X. Kal. Apr. A. U. C. 708.

De Silii 1. *et Terentiae negotio* 2. *de folitudine fua, et moerore* 3. *de Triarii negotio* 4. *de Caftriciano* 5. *de Publilii itinere* 6. *denique Lentulum puerum Attici curae commendat* 7.

CICERO ATTICO, S.

De Silio nihilo plura cognovi ex praefente Sica, quam ex literis eius. Scripferat enim diligenter. Si igitur tu illum conveneris, fcribes ad me, fi quid videbitur.

De quo putas ad me miffum effe; fit miffum, necne, nefcio; dictum quidem mihi certe nihil eft. Tu 2 igitur, ut coepifti; et, fi quid ita conficies, (quod equidem non arbitror fieri poffe,) ut illi probetur, Ciceronem, fi tibi placebit, adhibebis. Eius aliquid intereft, videri illius caufa voluiffe; mea quidem nihil, nifi id, quod tu fcis; quod ego magni aeftimo.

---

ftatim in provinciam perrexiffe exiftimandum eft, quod fupra monuimus.

Epift. DXLVI. 2. *ad me miffum effe*] fc. a Terentia de teftamento ipfius; patet ex eo, quod filium fuum in negotio eo adhiberi vult, et rem ad eius utilitatem pertinere dicit. *Ernefti.*

videri illius caufa] matris fcilicet.

quod tu fcis] Intelligit, quod fupra fcripferat ep. 535. *vides et officium agi meum quoddam, et ut nonnulli putant, Ciceronis rem. Me quidem id multo magis movet, quod mihi eft fanctius et antiquius.*

3 Quod me ad consuetudinem revocas; fuit meum quidem iam pridem rem publicam lugere; quod faciebam, sed mitius. Erat enim, ubi acquiescerem. Nunc plane nec ego victum, nec vitam illam colere possum: nec in ea re, quid aliis videatur, mihi puto curandum. Mea mihi conscientia pluris est, quam omnium sermo. Quod me ipse per literas consolatus sum, non poenitet me, quantum profecerim. Moerorem minui; dolorem nec potui, nec, si possem, vellem.

4 De Triario, bene interpretaris voluntatem meam. Tu vero nihil, nisi ut illi volent. Amo illum mortuum; tutor sum liberis; totam domum diligo.

5 De Castriciano negotio, si Castricius pro mancipiis pecuniam accipere volet, eamque ei solvi, ut nunc solvitur: certe nihil est commodius. Sin autem ita actum est, ut ipsa mancipia abduceret: non mihi videtur esse aequum. Rogas enim me, ut tibi scribam,

---

3. *ad consuetudinem*] Romam, ad rem publ. et in forum, ex mente Attici. Cicero consuetudinem suam dicit esse, rem publicam lugere, sed eum luctum mitiorem fuisse viva Tullia, ad alteram priscam redire se non posse. *Ernesti.*

nunc plane — colere possum] *nec victum* urbanum et lautiorem, *nec vitam illam* urbanam, negotiosam etc. *colere victum*, immo et *vitam* vix satis commode dicitur. An scripsit *tolerare?* — *Ernesti.*

per literas] intelligit librum suum de consolatione. *Ernesti.*

nec, si possem, vellem] esset enim inhumanum amissa unica filia et tali filia, non dolere. *Manut.* Simul, quod Ernestius monuit, intelligendum de conservatione memoriae eius, quam deponere non vult, et in qua repetenda dolor semper iacturae redibat cum suavitate quadam.

5. *pro mancipiis*] Mancipia Castricius ante vendiderat Q. Ciceroni. Eorum mancipiorum pretium apparet a Quinto non fuisse ad diem persolutum.

eamque ei solvi, ut nunc solvitur] ostendit se conditionem eius venditionis igno-

quid mihi videatur. Nolo enim negotii Quintum fratrem quidquam habere; quod, videor mihi intellexisse, tibi idem videri.

Publilius, si aequinoctium exspectat, ut scribis 6 Aledium dicere, navigaturus videtur. Mihi autem dixerat per Siciliam. Utrum, et quando, velim scire.

Et velim aliquando, quum erit tuum commo- 7 dum, Lentulum puerum visas, eique de mancipiis, quae tibi videbitur, attribuas. Piliae, Atticae salutem.

---

rare. Si enim Castricius, inquit, a fratre meo pecuniam accipere volet pro mancipiis, eamque pecuniam ita solvi, ut nunc solvitur (dicit autem *nunc*, quia debitores eo tempore pecuniam creditoribus ita solvebant, non ut pecuniam darent, sed ut pro pecunia possessiones, tanti aestimatas, quanti ante bellum civile bellum fuissent, quod Caesar, et ut debitoribus consuleret, et ut metum novarum tabularum tolleret, edicto constituerat) certe nihil est commodius. Possessionem enim pro pecunia, quam debet, frater aliquam dabit. Sin autem ita actum, et haec inter eos de mancipiis pactio facta est, ut Castricius Quinto pretium mancipiorum intra certam non persolvente, ipsa mancipia, quae vendiderat, abduceret, hoc mihi non videtur esse aequum; ut enim ad diem frater non solverit, ideo tamen eum privari mancipiis iniquum est, quum quidem solutionem, quam civilium bellorum difficultate afflictus necessario distulit, eam nunc facere paratus sit. *Manut.*

6. *Publilius*] Hanc lectionem item ut supra ep. 542. Bosius, Gruterus, Ernestius asciverunt. Victorius autem, Manutius, Lambinus tenuerunt lectionem codd. Balliol. et Helmst. *Publius*, qui putatur is esse, quem Appianus dicit Bruti quaestorem fuisse.

aequinoctium] vernum, quod incidit in VIII. Kal. Apr.

navigaturus videtur] in Africam.

7. *Lentulum puerum*] Dolabellae et Tulliae filium. Manutius alius cuiusdam Lentuli iam mortui filium intelligit, cui Ciceronem putat tutorem fuisse. Sed

EPISTOLA DXLVII. (ad Att. XII. 29.)

Scr. Asturae exeunte Martio A. U. C. 708.

De Silio ut scribat rogat. 1. *cur hoc tempore cum Bruto convenire nolit, ostendit.* 2. *petit, ut negotium de hortis explicet* 3.

CICERO ATTICO S.

Silius, ut scribis, hodie. Cras igitur, vel potius quum poteris, scribes, si quid erit, quum videris.

2 Nec ego Brutum vito, nec tamen ab eo levationem ullam exspecto; sed erant causae, cur hoc tempore istic esse nollem; quae si manebunt, quaerenda erit excusatio ad Brutum; et, ut nunc est, mansurae videntur.

3 De hortis, quaeso explica. Caput illud est, quod scis. Sequitur, ut etiam mihi ipsi quiddam opus sit. Nec enim esse in turba possum, nec a vobis abesse. Huic meo consilio nihil reperio isto loco aptius. Et de hac re quid tui consilii sit. Mihi persuasum est,

---

probabilius est, Tulliae filiolum intelligere, quem utique matre mortua, patre absente avus tueri debebat.

Epist. DXLVII. 1. *hodie*] te conveniet et tecum colloquetur de hortorum negotio. *Ernesti.*

2. *causae — istic esse nollem*] nempe Romae, maxime quod in senatum ire nolebat.

3. *caput — quod scis*] Caput, et prima causa, cur hortos desiderem, illa est, quam tu scis, fanum videlicet, cuius aedificandi scis consilium a me esse captum, et hortos ideo quaerere, ut celebri loco aedificetur. *Manut.*

sequitur — opus sit] Altera causa, cur hortos velim: mihi enim ipsi quiddam opus est, h. e. locum me oportet habere, ubi esse possim, ita ut nec in turba Romae sim, nec nimis a te tuisque absim. Nihil opus est, quod Ernestio in mentem venerat, lectionem *quiddam opus sit*, damnare, et pro ea *quidam locus sit* substituere.

et hac de re quid tui consilii sit. Mihi persuasum est] Secutus sum Gronovii inter-

et eo magis, quod idem intellexi tibi videri, me ab Oppio et Balbo valde diligi. Cum iis communices, quanto opere, et quare velim hortos; sed id ita posse, si expediatur illud Faberianum; sintne igitur auctores futuri, si qua etiam iactura facienda sit in repraesentando. Quoad possunt adducito; totum enim illud desperatum. Denique intelliges, ecquid inclinent ad hoc meum consilium adiuvandum. Si quid erit, magnum est adiumentum; sin minus, quacumque ratione contendamus. Vel tu illud ἐγγήραμα, quemad-

---

punctionem. Vulgo *et de hac re quid tui consilii sit, mihi persuasum est:* Post *consilii sit* intelligendum *scribe*, vel *exspecto*.

Faberianum] sc. nomen, seu pecunia quam mihi Faberius debet. — Videtur hic Faberius in Caesarianis potens fuisse, et absens rei publicae causa Oppio et Balbo procurationem rerum suarum Romae mandasse, atque adeo ipse est, quem vocat Appianus τὸν γραμματέα τοῦ Καίσαρος Φαβέριον. Gronov.

sintne igitur auctores futuri] Sensus hic est: possitne ab Oppio et Balbo impetrari, ut non defugiant auctoritatem in praestando Faberiano nomine, vel an soluturi sint pro Faberio sive procuratores eius, sive ab eo delegati, etsi velint quid deduci de summa, minusque solvi, ut statim et ante diem solvant, aequum censeant. Gronov.

quoad possunt, adducito] h. e. fac ut eos, quoad possunt adduci, adducas; ut quantum ab iis tua opera impetrari possit, tantum mihi solvant. Nostri: *Sieh zu, wie weit du es mit ihnen bringen kannst.* Ceterum Bosius legit *quoad possunt adduci;* sed illam *iacturam* male de iactura usurarum, quas, si Faberii procuratores, ut Ciceronis nomen expedirent, pecuniam aliunde mutuam sumere vellent, pendere debebant, intellexit. *Lambinus: quoad possumus adduci;* Turnebus *quod possunt.*

totum enim illud desperatum] nam me totam, quam mihi Faberius debet, summam accepturum, dudum desperavi. Fortasse *illud* rectius abfuerit.

vel tu illud] Vulgo *vetus illud.* Sed cur hoc ἐγγήραμα Cicero *vetus* h. l. diceret: Rescripsi *vel tu*, quod optime sequentibus convenit.

modum ſcripſiſti, vel ἐντάφιον putato. De illo Oſtienſi nihil eſt cogitandum. Si hoc non aſſequimur, (a Lamia non puto poſſe,) Damaſippi experiendum eſt.

EPISTOLA DXLVIII. (ad Att. XII. 30.)

Scr. Aſturae exeunte Martio A. U. C. 708.

De Silii hortis et mancipiis Caſtricianis.

CICERO ATTICO, S.

Quaero, quid ad te ſcribam: ſed nihil eſt. Eadem quotidie. Quod Lentulum inviſis, valde gratum. Pueros attribue ei, quot, et quos videbitur. De Silii voluntate vendendi, et quanti, tu vereri videris, primum ne nolit, deinde ne tanti. Sica aliter: ſed tibi aſſentior. Quare, ut ei placuit, ſcripſi ad Egnatium.

Emendi ſunt mihi horti, inquit: tuque illud licet vel ἐγγήραμα, ſicut ſcripſiſti, h. e. locum ſenectuti quietae transigendae, vel ἐντάφιον i. e. locum ſepulcro meo idoneum putes.

de illo Oſtienſi] Si non aſſequimur, ut Silianos hortos habeamus; quid agemus? de illa Oſtienſi, hoc eſt de villa, quam in Oſtienſi habet Cotta nihil eſt cogitandum (fortaſſe quia puſillum loci videbatur. ep. 22. 26. (h. ed. 540. 544.) Lamiam non puto poſſe adduci, ut hortos ſuos (de quibus ibid.) vendat. Damaſippi experiendum eſt; ſubaudi ut hortos habere poſſimus; et infra ep. 33. (h. ed. ep. 552.) *Damaſippum velim aggrediare.* — *Manut.*

Damaſippi] Licinii Damaſippi ſenatoris. Caeſ. de bello civ. II. c. 44. Horat. Sat. III. 2. *Corr.*

Epiſt. DXLVIII. *de Silii voluntate vendendi*] hortos ſcilicet.

et quanti] Vulgo *et de eo quanti.* Iam Erneſtio ſuſpectum fuit *de eo*, idque delevi. Nam *et quanti* pendet a *vendendi*; q. d. quod ad Silium attinet, an velit et quanti velit hortos vendere.

ne tanti] ſcil. *vendere velit;* vereris ne illa ſumma, quam obtuli, contentus eſſe nolit.

Sica aliter] qui nunc

Quod Silius te cum Clodio loqui vult, potes id mea voluntate facere; commodiusque est, quam, quod ille a me petit, me ipsum scribere ad Clodium. De mancipiis Castricianis, commodissimum esse credo, transigere Egnatium: quod scribis, te ita futurum putare. Cum Ovia, quaeso, vide ut conficiatur. Quoniam, ut scribis, nox erat, in hodierna epistola plura exspecto.

EPISTOLA DXLIX. (ad Att. XII. 31.)

Scr. Asturae exeunte Martio A. U. C. 708.

De Drusi hortis fano Tulliae exstruendo emendis.

CICERO ATTICO S.

Silium mutasse sententiam Sica mirabatur. Equidem magis miror, quod, quum in filium causam conferret, quae mihi non iniusta videtur; (habet enim qualem vult,) ais te putare, si addiderimus aliud, a quo refugiat, quum ab ipso id fuerit destinatum, venditurum. Quaeris a me, quod summum pretium con-

---

apud Ciceronem erat Asturae.

quod Silius] quia de re pecuniaria sermo est, videtur Hermogenes Clodius esse, qui occurrit infra ad Att. XIII. 14. *Ernesti.* Idem iam Corrado visum; estque verisimilius, quam hoc ipsum ad hortos Silianos, vel ad hortos Clodiae, de quibus infra agitur, pertinere

transigere Egnatium] conficere cum Castricio: efficere, ut Castricius a Quinto fratre pecuniam accipiat pro mancipiis, quae illi vendiderat; quam Castricius accipere nolebat, quum a Quinto mancipia mallet abducere, quando is pecuniam sibi ad praestitutam diem non numerasset. *Man.*

Epist. DXLIX. *non iniusta videtur*] Recte facit, si non vendit, quia filio velit obsequi, roganti ne vendat; quum eum habeat, qualem vult, h. e. plane ex animi sui sententia, ut reprehendendus non sit, qui tali filio obsequatur. *Manut.*

si addiderimus — venditurum] Sententia haec est:

ſtituam, et quantum anteire iſtos hortos Druſi; acceſſi numquam; Coponianam villam veterem, non magnam novi, et ſilvam nobilem, fructum autem neutrius; quod tamen puto nos ſcire oportere. Sed mihi utrivis iſtorum, tempore magis meo, quam ratione aeſtimandi ſunt. Poſſim autem aſſequi, necne, tu velim cogites. Si enim Faberianum venderem, explicare vel repraeſentatione non dubitarem de Silianis, ſi modo adduceretur, ut venderet; ſi venales non haberet, transirem ad Druſum, vel tanti, quanti Egnatius illum velle tibi dixit. Magno etiam adiumento nobis Hermogenes poteſt eſſe in repraeſentando. At tu concede mihi, quaeſo, ut eo animo ſim, quo is debeat eſſe, qui emere cupiat: et tamen ſervio ita cupiditati et dolori meo, ut a te regi velim. Egnatius mihi ſcripſit. Is ſi quid tecum locutus erit, (commodiſſime enim per eum agi poteſt) ad me ſcribe: et id agendum puto.

Si una cum eo loco, quem petimus, ab eo deſideraverimus, ut vendat nobis alium, quem cupit abiicere et alienare, ubi ab ipſo hanc emerimus, et illum quem optamus acceſſionem daturum. *Gronov.*

Coponianam — neutrius] Ita Graevius locum conſtituit. Vulgo: *Coponianam villam veterem, rem magnam novi, et ſilvam nobilem, fructum autem neutrius.*

tempore — ratione] magis pro neceſſitate hortos hoc tempore emendi, quam pro vero eorum pretio.

Faberianam] praedium quod a Faberio lege Iulia in ſolutum accepturus ſum. *Boſius.*

vel repraeſentatione] ſine mora totum emptionis pretium perſolvendo.

Hermogenes] ſi hic eſt idem, quem ſupra DC ſibi debere ſignificaverat, hoc ait, magno adiumento ſibi eſſe poſſe illam pecuniae ſummam, ſi Hermogenes ſolverit, ad pecuniam pro hortis emptis repraeſentandum. Corradus tamen putabat eſſe Hermogenem Clodium tragoedi Aeſopi filium ditiſſimum Plin. IX. 35.

locutus erit] de Druſi hortis; de quibus paulo ante.

Nam cum Silio non video confici posse. Piliae et Atticae salutem. Haec ad te mea manu. Vide, quaeso, quid agendum sit.

EPISTOLA DL. (ad Att. XII. 32.)

Scr. Asturae exeunte Martio A. U. C. 708.

De congressu cum Publilia eiusque matre et fratre vitando. 1. *de pecunia Ciceroni fil. peregrinationis causa attribuenda.* 2.

CICERO ATTICO, S.

Publilia ad me scripsit, matrem suam cum Publilio ad me venturam, et se una, si ego paterer: orat multis et supplicibus verbis, ut liceat, et ut sibi rescribam. Res quam molesta sit, vides. Rescripsi, me etiam gravius esse affectum, quam tum, quum illi dixissem, me solum esse velle; quare nolle me hoc tempore eam ad me venire. Putabam, si nihil rescripsissem, illam cum matre venturam: nunc non puto. Apparebat enim, illas literas non esse ipsius. Illud autem, quod fore video, ipsum volo vitare, ne illi ad

---

Epist. DL. 1. *Publilia — venturam*] Vulgo: *Publilia ad me scripsit matrem suam (cum Publilio loqui retur) ad me venturam.* In cod. Tornaes. *matrem suam cum Publio loqueretur.* Bosius e decurtato edidit m. s. c. *Publilio loqui retur;* itaque sic interpretatur: Publilia ita familiariter me per literas alloquitur, ut se loqui putet cum fratre Publilio. Quum autem Cicero statim scribat Publiliam se multis et supplicibus verbis orasse, ut liceat venire, nullum in his literis familiaritatis potuit esse vestigium, quod recte Mongaltius monuit. Iunius correxit; *matrem suam cum Publilio locutam.* Equidem illud *loqueretur*, vel *loqui retur* librariorum vitio intrusum esse puto; quod quum admissum esset alii fulciendae constructionis causa addiderunt *cum illo.*

non esse ipsius] Publiliae, quam Cicero nuper uxorem duxerat, sed matris, quae eas quasi nomine filiae scripserat.

ne illi] vulgo *ne illae.*

me veniant. Et una est vitatio, ut ego absim. Nolim. Sed necesse est. Te hoc nunc rogo ut explores, ad quam diem hic ita possim esse, ut ne opprimar. Ages, ut scribis, temperate.

2 Ciceroni velim hoc proponas, ita tamen, si tibi non iniquum videbitur, ut sumptus huius peregrinationis, quibus, si Romae esset, domumque conduceret, quod facere cogitabat, facile contentus futurus erat, accommodet ad mercedes Argileti, et Aventini:

Quod si verum esset, significaretur *Publilia et mater;* et Cicero sibi repugnaret, quum antea negasset se putare Publiliam nunc venturam, iam autem aderet: *quod fore video.* Itaque sensus sit oportet: Publiliam non puto venturam cum matre, postquam ei me id nolle rescripsi. Sed illud ipsum, quod fore video, Publilium cum matre venturum, volo vitare, ne ad me veniant. Ergo scribendum erat *ne illi:* ut Publilius eiusque mater intelligantur.

ut ego absim. Nolim; sed necesse est] Sic correxi vulgatum: *et una est vitatio, ut ego nollem, sed necesse est.* In quo sensus aperte laborat. Cicero ait: Publilium eiusque matrem, quos ad me venturos video hac una ratione vitare possum, si Astura, ubi nunc sum, illis huc venientibus absim. Ac nolim quidem hinc discedere, sed necesse est.

ad quam diem] oro cognoscas, quo die moturi sint, et quousque manere hic possim, ut tamen abierim, quum aderunt. Ita recte Gronovius, nisi quod putavit Ciceronem hic etiam de Publilia uxore loqui, quam tamen paulo ante scripserat, se haud putare cum matre venturam.

2. *Ciceroni*] filio; Athenas profecturo.

si tibi non iniquum] Fortasse enim tibi videbitur plus ei dandum esse, quam quod ex mercedibus Argileti et Aventini recipietur. Sed si tibi non iniquum videbitur, h. e. si putas eum his mercedibus contentum esse debere, propone ei, ut sumptus huius peregrinationis ad eas mercedes accommodet. *Manut.*

Argileti et Aventini] In Argileto et Aventino locare volebat Cicero insulas quasdam, eamque mercedem assignare filio Athenas proficiscenti. *Manut.*

et quum ei proposueris, ipse velim reliqua moderere, quemadmodum ex iis mercedibus suppeditemus ei quod opus sit. Praestabo, nec Bibulum, nec Acidinum, nec Messalam, quos Athenis futuros audio, maiores sumptus facturos, quam quod ex eis mercedibus recipietur. Itaque velim videas, primum, conductores qui sint, et quanti; deinde, ut sit, qui ad diem solvat; et, quid viatici, quid instrumenti satis sit. Iumento certe Athenis nihil opus est. Quibus autem in via utatur, domi sunt plura, quam opus erat: quod etiam tu animadvertis.

EPISTOLA DLI. (ad Att. XII. 8.)

Scr. Asturae mense Martio A. U. C. 708.

De Ciceronis filii itinere et comite 1. quaerit quid Celer retulerit Caesarem cum candidatis egisse 2.

CICERO ATTICO S.

De Cicerone multis res placet; comes est idoneus. Sed de prima pensione ante videamus. Adest enim dies, et ille currit.

---

nec Bibulum — nec Messalam] Calpurnium Bibulum, Manlium Acidinum, Valerium Messalam; hos adolescentes Athenas profecturos studiorum causa Cicero audiverat. *Manut.*

conductores — et quanti] Qui velint conducere eas tabernas aut domos, quas in Argileto et Aventino volumus locare. *Quanti*; quanti velint conducere. *Manut.*

Epist. DLI. 1. *de Cicerone*] sc. Athenas mittendo. *Comes* intelligendus L. Tullius Montanus de quo in sequentibus epp. est. *Ernesti.*

de prima pensione] Ernestius post Manutium intelligit pensionem Caesari solvendam, pecuniae nimirum quam Cicero ei debuerit; cuius dies mox affuerit; et verba *ille currit* interpretatur, de celeri Caesaris reditu ex Hispania. Mihi tamen placet Popmae ratio, qui h. l. sic exponit: exigamus primam pensionem dotis a Dolabella, antequam Ciceronem Athenas mittamus.

2 Scribe, quaeso, quid referat Celer egisse Caesarem cum candidatis, utrum ipse in Foenicularium, an

---

Adest enim dies solutionis *et ille currit* potest intelligi, Dolabellam in Hispaniam ad Caesarem properare.

2. *Celer*] Quis hic sit incertum est. Idem tamen esse videtur, qui nominatur ep. 392. Attici fortasse procurator. Eum credibile est in Hispaniam negotiorum caussa profectum fuisse. Mongaltius accepit de fratre Piliae qui dictus sit *Q. Pilius Celer.* Unde autem scimus fratrem Piliae cognomine *Celeris* usum fuisse?

cum candidatis] Ex h. l. intelligitur eos qui proximis comitiis honores petituri erant, ad Caesarem in Hispaniam profectos esse, ut sibi eius benivolentiam conciliarent, aut saltem, quid fieri vellet, explorarent.

utrum ipse in Foenicularium] Turnebus nimis frigide et errabunde hunc locum interpretatur, quasi allusio hic ad foenus, usurasque. Strabo solus, ut opinor, evolvet hoc involutum. Scribit lib. III. c. 4. in Hispaniae designatione de via quadam: Φέρεται δὲ ἐπὶ Ταῤῥάκωνα, ἀπό τε τῶν ἀναθημάτων τῶν Πομπηΐου διὰ τοῦ Ἰουγγαρίου πεδίου, καὶ Βετέρων, καὶ τοῦ Μαραθῶνος καλουμένου πεδίου τῇ Λατίνῃ γλώττῃ φύοντος πολὺ τὸ μάραθρον; *fert autem haec via Tarraconem versus a Pompeii tropaeis, per campum Iuncarium, et Vetera, et per eum qui Latina lingua foenicularius campus dicitur, a copia foeniculi quem gignit.* Pulsa omnis nubes, si legis haec oculo non connivente. Nam loca aliquot nota et notabilia nominat, in quibus crebro exercitus Romani; ideoque Romana iis nomina, interque alios Foenicularium hunc campum. Clara igitur Ciceronis mens. „Scribe quid Celer de Caesaris consiliis dixerit. Utrumne in campum Martium cogitet ad comitia, an in Foenicularium, i. e. in Hispaniam et ad reliquias belli.“ *Lipsius* Elect. II. 21. De campo foeniculario Lipsius optime; (falso enim Mongaltius nomen a *foeno* ducit, *parceque il y avoit des belles prairies*; quum sit dictus a *foeniculo* graece μάραθον vel μάραθρον; *das Fenchelfeld*) sed sensum verborum paulo aliter interpretor: „Scribe quid Celer referat Caesarem egisse cum candidatis, utrum ipse eos ad honores petendos in campum Foenicularium, an in campum Mar-

in Martium campum cogitet. Et sane scire velim, numquid necesse sit comitiis esse Romae. Nam et Piliae satisfaciendum est, et utique Atticae.

EPISTOLA DLII. (ad Att. XII. 33.)

Scr. Asturae mense Aprili A. U. C. 708.

De hortis Transtiberinis emendis.

CICERO ATTICO, S.

Ego, ut heri ad te scripsi, si et Silius is fuerit, quem tu putas, nec Drusus facilem se praebuerit, Damasippum velim aggrediare. Is, opinor, ita partes fecit in ripa nescio quotenorum iugerum, ut certa

---

tium evocare cogitet, ut ibi comitiis habendis praesit?" Caesar in Hispania Ateguam ceperat XI. Kal. Mart. proelio apud Mundam Pompeianos vicerat, ipsis Liberalibus h. e. XVI. Kal. Apr. i. e. die XVI. Martii. Sed de hoc proelio nuntius Romam demum venit die XX. Aprilis. Ergo quum Cicero hanc epistolam scriberet, fortasse de Ategua capta, nondum autem de proelio apud Mundam scire poterat. Ernestius verba *utrum ipse* ad Celerem referebat, hoc sensu; utrum velit Celer petere honores proximis comitiis, necne, malitque in praediis suis privatus esse, aut in Hispaniam proficisci, quam magistratus Romae esse. At si hoc voluisset Cicero, scripsisset: *quid referat C. — et utrum ipse.*

numquid necesse sit comitiis esse Romae] Nempe si liberam populo magistratus creandi potestatem Caesar concessisset, Cicero Romae quibusdam candidatis auctoritate sua et gratia inservire poterat.

Piliae satisfaciendum est] Videtur utique cognatus aliquis Piliae, fortasse frater, inter candidatos honorum petendorum fuisse.

Atticae] ut eam invisam.

Epist. DLII. *ut heri ad te scripsi*] Haec epistola periit.

Silius is fuerit] difficilis in hortis vendendis. *Manut.*

in ripa] Tiberina. Nam hortos Transtiberinos quaerebat Cicero, ut celebri loco fanum exstrueret. *Man.*

quotenorum iugerum] Da-

pretia constitueret; quae mihi nota non sunt. Scribes ad me igitur, quidquid egeris. Vehementer me sollicitat Atticae nostrae valitudo: ut verear etiam, ne qua culpa sit. Sed et paedagogi probitas, et medici assiduitas, et tota domus in omni genere diligens, me rursus id suspicari vetat. Cura igitur. Plura enim non possum.

EPISTOLA DLIII. (ad Div. IX, 13.)

Scr. Asturae mense Aprili A. U. C. 708.

Rogat ut Suberino et Planio reditum in patriam a Caesare impetret, eosque ita excusat, ut ostendat casu quodam et necessitate coactos Pompeii partes in Hispania secutos esse.

CICERO DOLABELLAE, S.

Caius Suberinus Calenus, et meus est familiaris, et Leptae nostri familiarissimi pernecessarius. Is quum vitandi belli causa profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in ea provincia esset, in qua nemo nostrum, post Afranium superatum, bellum ullum fore putarat: incidit in ea ipsa mala, quae summo studio vitaverat. Oppressus est enim bello repentino; quod bellum commotum a Scapula, ita postea

---

masippus suos hortos in partes diviserat, et qualibet parte nescio quotena iugera continebantur, certo cuiusque partis pretio. *Manut.*

Epist. DLIII. *Leptae*] Q. Leptae qui Ciceronis in provincia praefectus fabrum fuerat. *Manut.*

vitandi belli] civilis in Italia,

cum M. Varrone] Gn. Pompeii Magni legato.

ut] vel legendum *utut*, vel *ut* hac ipsa significatione, quae alibi quoque occurrit, accipiendum.

post Afranium] unum nominat Pompeii legatorum. Plenius dixisset: post Afranium, Petreium et Varronem superatos.

a Scapula] Is enim post Scipionis ad Thapsum cladem a militibus in Hispania una cum Aponio dux electus

confirmatum est a Pompeio, ut nulla ratione se ab illa miseria eripere posset. Eadem caussa fere est M. Planii Heredis, qui est item Calenus, Leptae nostri familiarissimus. Hosce igitur ambo tibi sic commendo, ut maiore cura, studio, sollicitudine animi commendare non possim. Volo ipsorum caussa; meque in eo vehementer et amicitia movet, et humanitas. Lepta vero quum ita laboret, ut eius fortunae videantur in discrimen venire: non possum ego non aut proxime, aut etiam aeque atque ille laborare. Quapropter, etsi saepe expertus sum, quantum me amares: tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maxime iudicaturum. Peto igitur a te, vel, si pateris, oro, ut homines miseros, et fortuna, quam vitare nemo potest, magis, quam culpa, calamitosos, conserves incolumes: velisque per te me hoc muneris quum ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, quocum mihi magna necessitudo est, tum Leptae, quem omnibus antepono, dare. Quod dicturus sum, puto equidem non valde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere. Res familiaris alteri eorum valde exigua est, alteri vix equestris. Quapropter quando his Caesar vitam sua liberalitate concessit, nec est, quod iis praeterea magnopere possit adimi: reditum, si me tantum amas, quantum certe amas, hominibus confice. In quo nihil est, praeter viam longam; quam idcirco non fugiunt, ut et vivant cum suis, et moriantur domi. Quod ut enitare, contendasque, vel potius ut perficias, (posse enim te, mihi persuasi,) vehementer te etiam atque etiam rogo.

Hispaniam Baeticam a Caesare abalienavit, deinde se cum Gn. Pompeio Magni filio coniunxit. Dio Cass. XLIII. 29. sq. Eius interitum narrat auctor de bello Hispan. c. 33.

aut proxime aut etiam aeque atque ille] Auctore Ernestio transponendum cen-

EPISTOLA DLIV. (ad Div. XIII. 15.)

Scr. Afturae menfe Aprili A. U. C. 708.

Praecilium adolefcentem Caefari commendat.

M. T. CICERO C. CAESARI IMP. S. P. D.

Praecilium tibi commendo unice, tui neceffarii, mei familiariffimi, viri optimi filium; quem quum adolefcentem ipfum propter eius modeftiam, humanitatem, animum et amorem erga me fingularem, mirifice diligo; tum patrem eius, re doctus, intellexi, et didici mihi fuiffe femper amiciffimum. En hic ille eft, maxime qui irridere atque obiurgare me folitus eft, quod me non tecum, praefertim quum abs te honorificentiffime invitarer, coniungerem.

Ἀλλ' ἐμὸν οὔ ποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν,

Audiebam enim noftros proceres clamitantes,

Ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.

Ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.

---

fui vulgatum: *aut proxime atque ille aut etiam aeque laborare.*

Epift DLIV. *Caefari Imp.*] Caefar imperator falutatus erat Ategua capta XI. Kal. Mart. h. a. Vid. auct. de bello Hifp. c. 19. Eius rei fama exeunte Martio Romam perveniffe poterat.

hic ille eft] Vulgo addebatur *de illis*, quod recte aberat a Mff. Hittorp. et Pal. 6.

ἀλλ' ἐμὸν] Homer. Odyff. H. v. 258. *at nunquam poterat animo meo perfuadere.*

ὡς νεφέλη] Hom. Odyff. Ω. v. 314. *nubes enim tegebat atra.* Erneftius hic afcripfit: „Apud Homerum hoc hemiftichium eft poft alterum verfum ἄλκιμος ἔσσι; itaque eo transpofuere Victorius et Graevius. Sed videtur huic loco aptior.“ Memoria autem lapfus eft Erneftius, quum apud Homerum hoc hemiftichium poft alterum verfum ἄλκιμος ἔσσι fequi putavit, et male intellexit Victorii notam, qui fic fcripfit: hemiftichium hoc Homeri in veteribus cunctis exemplaribus (fcil. Epiftolar. Cic.) poft alterum

Sed tamen iidem me consolantur, et hominem iam perustum inani gloria etiamnum volunt incendere, atque ita loquuntur:

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τὶ καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

---

eiusdem poetae collocatum esse hoc ordine: ὡς νεφέλη ἐ. μέλαινα; *sed tamen — consolatur.* Neque vero Ernestio concedimus aptiorem huic hemistichio ὡς — μέλαινα locum esse post versiculum ἀλλ' ἐμὸν — Nam quum Cicero dicit *sed tamen iidem me consolantur*, respicit errorem suum in sequendis Pompeii partibus, quam per hemistichium Homericum ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα designaverat.

iidem — consolantur] Sic recte edidit Graevius pro vulg. *idem me consolatur. Idem* pro *iidem* fefellit librarios, qui ad Praecilium retulere, quod sequentia non patiuntur.

et hominem — incendere] Ita constitui h. l. quum vulgo legeretur: *et iam hominem perustum etiamnum gloria volunt incendere.* In quibus legendum esse *perustum inani gloria* iam Manutius viderat. Servari tamen potest *etiamnum*, modo ponatur post *gloria.*

perustum inani gloria] *perustus* non est, quod Ernestius putabat, qui iam non movetur amplius aliqua re h. l. gloriae studio, sed significat hominem, qui propter inanem gloriam damnum aliquod accepit. Sic *ambustus* or. Milon. 5. dicitur de eo, qui ex iudicio capitali vix evasit, et cum famae detrimento. Cicero igitur significat, se quum inter arma Pompeii et Caesaris civilia quiescere potuisset, tamen inani gloria ductum Pompeianas partes sequendo male affectum fuisse.

etiamnum volunt incendere] Si haec epistola scripta est, ut videtur, A. V. C. 708. tempore belli Hispaniensis, haec verba significare non possunt Ciceronem a reliquiis Pompeianarum partium incendi, ut iterum se iis contra Caesarem adiungeret; quod profecto tum nemini in mentem venit; sed intelligenda sunt, de vocibus eorum, qui eum Romam venire volebant, et in senatum foro res publicas tractare.

μὴ μὰν] Versiculi sunt Homeri Iliad. X. 304. sq. ubi eos Hector pronuntiat, *ne negligenter et sine gloria*

Sed minus iam movent, ut vides. Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad vera praecepta Εὐριπίδου,

Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

Quem versum senex Praecilius laudat egregie: et ait, posse eundem et ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω videre, et tamen nihilominus

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

Sed, ut redeam ad id, unde coepi: vehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tua, quae est singularis, comprehenderis; et ad id, quod ipsorum Praeciliorum caussa te velle arbitror, addideris cumulum commendationis meae. Genere novo sum literarum ad te usus, ut intelligéres, non vulgarem esse commendationem.

---

peream, sed magno aliquo edito facinore, et posteris audiendo. — *Manut.*

ut vides] quoniam prorsus abstineo publicis negotiis.

μισῶ σοφιστὴν] Versiculus Euripidis ex incerta tragoedia. Nam in Medea, quae exstat, si modo illa est Euripidis, non legitur.

ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω] ex Hom. Il. A. 343. *futura et praeterita pervidere*, quod est prudentiae.

αἰὲν ἀριστεύειν] *semper egregie se gerere et aliis antecedere* Hom. Il. H. 208. Videtur respicere gloriam quam sibi cum maxime ex libris philosophicis parabat.

cumulum commendationis] Sic scr. et edd. vett. Gruterus *commendationi;* non bene. Non patitur *ad id* aliud esse cui addatur. *Cumulus commendationis* est cumulus ex commendatione. *Ernesti.*

EPISTOLA DLV. (ad Div. XIII. 16.)

Scr. Asturae mense Aprili A. U. C. 708.

Apollonium, P. Crassi libertum, Caesari in Hispania contra Pompeii filios bellum gerenti, commendat.

M. T. CICERO C. CAESARI IMP. S. P. D.

P. Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum: et de eo, quum ab ineunte eius aetate bene speravissem, tum per me existimare coepi iis iudiciis, quae de eo feceram, cognitis. Eius libertum Apollonium iam tum equidem, quum ille viveret, et magni faciebam et probabam. Erat enim et studiosus Crassi, et ad eius optima studia vehementer aptus. Itaque ab eo admodum diligebatur. Post mortem autem Crassi eo mihi etiam dignior visus est, quem in fidem, atque amicitiam meam reciperem, quod eos a se observandos et colendos putabat, quos ille dilexisset, et quibus carus fuisset. Itaque et ad me in Ciliciam venit, multisque in rebus mihi magno usui fuit et fides eius, et prudentia; et, ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum studio, et fidelitate consequi

---

Epist. DLV. *P. Crassum*] P. Crassum Liciniae gentis, plebeiae; M. Crassi a Parthis interempti filium. lib. V. ep. 8. ad Fam. (h. ed. ep. 131.)

ex omni nobilitate] nobiles enim et plebeii generis homines dicebantur ob honores ab eorum parentibus et maioribus praeclare gestos. *Manut.*

et de eo] Sic optime correxit Gronovius. Vulg. *ex eo.*

tum per me existimare coepi] Legendum puto: *tum perbene existimare coepi.*

iis iudiciis] Vulgo *ex iis iudiciis.* Bene delevit Ernestius praepositionem.

cognitis] h. e. penitus perspectis planeque cognitis. Nam antea coniectura tantum Cicero de Crasso iudicaverat, et quasi augurtatus erat.

post mortem Crassi] periit Publius cum patre in Parthis. *Manut.*

potuit, non defuit. Quod quum speraret, te quoque ita existimare, in Hispaniam ad te, maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me auctore est profectus. Cui ego commendationem non sum pollicitus, non quin eam valituram apud te arbitrarer: sed neque mihi egere commendatione videbatur, qui et in bello tecum fuisset, et propter memoriam Crassi de tuis unus esset: et si uti commendationibus vellet, etiam per alios eum videbam id consequi posse. Testimonium mei de eo iudicii, quod et ipse magni aestimabat, et ego apud te valere eram expertus, ei libenter dedi. Doctum igitur hominem cognovi, et studiis optimis deditum, idque a puero. Nam domi meae cum Diodoto Stoico, homine, meo iudicio, eruditissimo, multum a puero fuit. Nunc autem, incensus studio rerum tuarum, eas literis Graecis mandare cupit. Posse arbitror; valet ingenio; habet usum; iam pridem in eo genere studii literarumque versatur; satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. Habes opinionis meae testimonium, sed tu hoc facilius multo pro tua singulari prudentia iudicabis. Et tamen, quod negaveram, commendo tibi eum. Quicquid ei commodaveris, erit id maiorem in modum gratum.

---

testimonium mei — iudicii] Sic scribendum esse primus vidit Gronovius. Idque Ernestius in ed. Rom. et Ms. Guelf. 1. reperit. Vulgo *testimonium meum de eo iudicii.*

mandare cupit] Vulgo *mandare cupiebat.* Necessario autem hic legendum *cupit*, quod vidit Ernestius.

EPISTOLA DLVI. (ad Att. XII. 34.)

Scr. Afturae menfe Aprili A. U. C. 708.

Scribit fe in Sicae fuburbanum venturum.

CICERO ATTICO, S.

Ego hic vel fine Sica (Tironi enim melius eft) facillime poffem effe, ut in malis. Sed, quum fcribas videndum mihi effe, ne opprimar, ex quo intelligam, te certum diem illius profectionis non habere: putavi effe commodius, me iftuc venire; quod idem video tibi placere. Cras igitur in Sicae fuburbano: inde, quemadmodum fuades, puto me in Ficulenfi fore. Quibus de rebus ad me fcripfifti, quoniam ipfe venio; coram videbimus. Tuam quidem et in agendis noftris rebus, et in confiliis ineundis, mihique dandis, in ipfis literis, quas mittis, benivolentiam, diligentiam, prudentiam mirifice diligo.

2 Tu tamen, fi quid cum Silio, vel illo ipfo die, quo ad Sicam venturus ero, certiorem me velim facias, et maxime cuius loci detractionem fieri velit.

Epift. DLVI. *ne opprimar*] a Publilia matre cuius congreffum vitare volebat.

in Ficulenfi] fcil. agro, qui fuit ad viam Ficulenfem, quae et Nomentana dicitur, ubi olim fuit urbs Ficulea. *Graev.*

2. *Tu tamen — fcriptam*] Haec verba vulgo in edd. recentioribus initium faciunt fequentis ad Atticum epiftolae, quae in hac editione ep. 535. Perfpicuum tamen eft, ea huic epiftolae annectenda effe, tanquam appendicem a Cicerone fortaffe iam obfignata epiftola adiectam. Et iam in edd. vett. fic erat, idque male mutatum in recentioribus.

fi quid cum Silio] fcil. de hortis ab eo emendis, confeceris.

detractionem] quum Silius dixiffet, hortos fuos fe effe venditurum; fed velle quendam locum excipere; Vide, inquit Cicero, ne velit eum ipfum locum excipere in venditione hortorum, cuius loci caufa hortos ipfos emere cogitamus. *Manut.*

Quod enim scribis, *extremi:* vide, ne is ipse locus sit, cuius causa de tota re, ut scis, est a nobis cogitatum. Hirtii epistolam tibi misi, et recentem, et benivole scriptam.

EPISTOLA DLVII. (ad Div. IV. 5.)

Scr. Athenis mense Aprili A. U. C. 708.

Sulpicius Ciceronem filiae morte afflictum consolatur.

SER. SULPICIUS M. T. CICERONI, S. D.

Postea quam mihi renuntiatum est de obitu Tulliae, filiae tuae, sane quam pro eo, ac debui, graviter molesteque tuli, communemque eam calamitatem existimavi; qui, si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramque meum dolorem tibi declarassem. Etsi genus hoc consolationis miserum atque acerbum est: propterea quod per quos confieri debet, propinqui ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lacrimis multis id conari possunt; ut magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quam aliis posse suum officium praestare: tamen quae in praesentia in mentem mihi venerunt, decrevi brevi ad te perscribere; non quo ea te fugere existimem; sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias.

2 Quid est, quod tanto opere te commoveat tuus dolor intestinus? cogita, quem ad modum adhuc fortuna nobiscum egerit; ea nobis erepta esse, quae hominibus non minus, quam liberi, cara esse debent;

---

vide ne is ipse locus sit] vereor, ne ea ipsa pars sit quae sit viae proxima, et maxime in conspectu. Nam eius causa hunc hortum cupiebam emere. *Ernesti.*

Hirtii epistolam] fortasse consolatoriam in morte Tulliae. *Manut.*

Epist. DLVII. *propinqui*] Recte hoc Ernestius dedit pro vulg. *propinquos.*

patriam, honestatem, dignitatem, honores omnes. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit? aut qui non illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atque omnia minoris aestimare? An illius vicem, credo, doles? Quoties in eam cogitationem necesse est tu veneris, (et nos saepe incidimus,) hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magno opere invitare posset? quae res? quae spes? quod animi solatium? Ut cum aliquo adolescente primario coniuncta aetatem gereret? Licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuventute generum diligere, cuius fidei liberos tuos te tuto committere putares. An ut ea liberos ex sese pareret, quos quum florentes videret, laetaretur? qui rem a parente traditam per se tenere possent? honores ordinatim petituri essent in re publica, in amicorum negotiis libertate sua uterentur? Quid horum fuit, quod non prius, quam datum esset, ademptum sit? At vero malum est liberos amittere. Malum, nisi peius sit, haec sufferre et perpeti.

Quae res mihi non mediocrem consolationem at- 3 tulerit, volo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, quum ab Aegina Megaram versus navigarem, coepi regiones circum-

---

2. *pareret*] haec est lectio edd. vett. ante Victor. et librorum scr. plerumque, nostrorum quidem omnium. Victorius edidit *pararet*, e quibusdam MSS. quod et Gebhardus defendit, et in ed. pr. esse dicit. Quam ed. pr. dicat nescio. Nam in omnibus *pareret* reperi. *Parare liberos* de femina dici non potest. Mares dici possunt parare liberos e femina, non feminae ex sese. Itaque me puto recte veterem lectionem restituisse. *Ern.*

uterentur] Ernestius hoc restituit e Ms. Gu. edd. ante Victor. inde a Mediol. Vulg. *uti*. Martyni-Laguna dedit *usi*.

circa proſpicere. Poſt me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeeus, ſiniſtra Corinthus; quae oppida quodam tempore florentiſſima fuerunt, nunc proſtrata ac diruta ante oculos iacent. Coepi egomet mecum ſic cogitare: Hem! nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt, quorum vita brevior eſſe debet, quum uno loco tot oppidorum cadavera proiecta iaceant? Visne tu te, Servi, cohibere, et meminiſſe, hominem te eſſe natum? Crede mihi: cogitatione ea non mediocriter ſum confirmatus. Hoc idem, ſi tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modo uno tempore tot viri clariſſimi interierunt; de imperio praeterea tanta deminutio facta eſt; omnes provinciae conquaſſatae ſunt; in unius mulierculae animula ſi iactura facta eſt, tanto opere commoveris? quae ſi hoc tempore non diem ſuum obiſſet, paucis poſt annis tamen ei moriendum fuit; quoniam homo nata fuerat.

4 Et iam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca, atque ea potius reminiſcere, quae digna tua perſona ſunt: illam, quamdiu ei opus fuerit, vixiſſe; una cum re publica fuiſſe; te patrem ſuum, praetorem, conſulem, augurem vidiſſe; adoleſcentibus primariis nuptam fuiſſe omnibus bonis prope perfunctam eſſe; quum res publica occideret, vita exceſſiſſe. Quid eſt, quod tu, aut illa cum fortuna hoc nomine queri poſſitis? Denique noli oblivisci, te Ciceronem eſſe, et eum, qui aliis conſueris praecipere et dare conſilium: neque imitare malos medicos,

---

3. *ſ. q. noſtrum interiit*] Lambinus corrigebat *noſtrorum;* ſi de liberis modo loquitur Cicero, bene; nec tamen ſequentia hoc poſtulant — *Erneſti.*

4. *una cum re publica fuiſſe*] Iam olim Lambino teſte fuerunt, qui pro *fuiſſe* mallent *floruiſſe*. Nuper Martyni-Laguna edidit *ſuperſtitem fuiſſe*, qua auctoritate neſcio.

et eum qui — conſilium] Hoc Valkenarius ad fragm.

qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt; sed potius, quae aliis praecipere soles, tute tibi subiice, atque apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat. Hoc te exspectare tempus, ac non ei rei sapientia tua te occurrere tibi turpe est. Quod si quis inferis sensus est: qui illius in te amor fuit, pietasque in omnes suos, hoc certe illa te facere non vult. Da hoc illi mortuae, da ceteris amicis ac familiaribus, qui tuo dolore moerent, da patriae, ut, si qua in re opus sit, opera et consilio tuo uti possit. Denique, quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam rei publicae tempora et aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiae tuae diffidere. Quare, si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties secundam pulcherrime te ferre fortunam, magnamque ex ea re te laudem apisci: fac aliquando intelligamus, adversam aeque te posse ferre, neque id maius, quam debeat, tibi onus videri; ne ex omnibus virtutibus haec una tibi videatur deesse.

Quod ad me attinet, quum te tranquilliorem animo esse cognoro, de iis rebus, quae hic geruntur, 5

Eurip. p. 194. spurium putat, ac notam literatoris, quia idem mox dicitur. Sed tamen oratio ita foret minus plena, nec transitus ad sequentia satis commodus. *Ernesti.*

magnamque—apisci] Haec cur delenda sint, quod putavit Ernestius, iustam caussam non video.

adversam aeque te] Vulgo est *adversam quoque te aeque.* Ego Ernestio auctore, *quoque* delevi, cuius vis est in *aeque.*

quem ad modumque se provincia habeat, certiorem faciam. Vale.

EPISTOLA DLVIII. (ad Div. V. 13.)

Scr. Asturae mense Aprili A. U. C. 708.

Consolationi Lucceii respondet, qua se mire levatum esse fatetur, ut forti animo sit, etsi de re publica desperet.

M. T. CICERO S. D. L. LUCCEIO, Q. F.

Quamquam ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissima est: declarat enim summam benivolentiam pari prudentia coniunctam: tamen illum fructum ex illis literis vel maximum cepi, quod te praeclare res humanas contemnentem, et optime contra fortunam paratum armatumque cognovi. Quam quidem laudem sapientiae statuo esse maximam, non aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene aut male vivendi suspensas habere rationes. Quae cogitatio, quum mihi non omnino excidisset, (etenim penitus insederat,) vi tamen tempestatum et concussu calamitatum erat aliquantum labefactata atque convulsa: cui te opitulari et video, et id fecisse etiam proximis tuis, multumque profecisse sentio. Itaque hoc saepius dicendum, tibique non significandum solum, sed etiam declarandum arbitror: nihil mihi esse potuisse tuis literis gratius. Ad consolandum autem quum illa valent, quae eleganter copioseque collegisti, tum nihil plus, quam quod firmitudinem gravitatemque animi tui perspexi:

Epist. DLVIII. *pari prudentia coniunctam*] Vulgo *coniunctam pari prudentia.* Martyni-Laguna edidit: *pari prudentia coniuncta.*

et concussu] Sic Martyni-Laguna. Vulgo *et concursu.*

proximis tuis] Vulgo *proximis literis.* Quod edidimus praeivit Martyni-Laguna.

quam non imitari turpiſſimum exiſtimo. Itaque hoc etiam fortiorem me puto, quam te ipſum, praeceptorem fortitudinis, quod tu mihi videre ſpem nonnullam habere, haec aliquando futura meliora; caſus enim gladiatorii, ſimilitudinesque eae, tum rationes in ea disputatione a te collectae, vetabant me rei publicae penitus diffidere. Itaque alterum minus mirum, fortiorem te eſſe, quum aliquid ſperes: alterum mirum, ſpe ulla teneri. Quid eſt enim non ita affectum, ut id non deletum, extinctumque eſſe fateare? Circumſpice omnia membra rei publicae, quae notiſſima ſunt tibi. Nullum reperies profecto, quod non fractum debilitatumve ſit. Quae perſequerer, ſi aut melius ea viderem, quam tu vides; aut commemorare poſſem ſine dolore: quamquam tuis monitis praeceptisque omnis eſt abiiciendus dolor. Ergo et domeſtica feremus, ut cenſes: et publica paullo etiam fortius fortaſſe, quam tu ipſe, qui praecipis. Te enim ſpes aliqua conſolatur, ut ſcribis; nos autem erimus etiam in omnium rerum deſperatione fortes, ut tu tamen idem et hortaris, et praecipis. Das enim mihi iucun-

---

caſus gladiatorii] Gladiatorum ſimilitudine Lucceius probare ſtuduerat, non eſſe penitus de re publ. deſperandum; quum ſaepe, qui iam victus ab adverſario gladiator videtur, is ita convaleat, ut victorem proſternat. *Manut.*

ſimilitudinesque eae, tum] Videtur ſcribendum: *ſimilitudinesque, etiam rationes.* Certe *eae* redundat.

vetabant] Non quod re vera proficerent, ſed eo ſpectabant, ut ad aliquam ſpem traducerer. Ex quo videbam, te aliqua ſpe teneri quum ego prorſus deſperem. *Manut.* Recte ille quidem; ac mirum placere Benedicto potuiſſe lectionem aliquot codd. *vetabunt.*

in omnium rerum deſperatione] Vulgo *in omnibus deſperatione.* Graevius edidit *in omnium deſperatione* eumque ſecutus eſt Erneſtius. Nos Martyni-Lagunae auctoritate dedimus *in omnium rerum.*

das recordationes conſcientiae noſtrae, rerumque earum, quas, te in primis auctore, geſſimus. Praeſtitimus enim patriae non minus certe, quam debuimus: plus profecto, quam eſt ab animo cuiusquam, aut conſilio hominis poſtulatum. Ignoſces mihi de me ipſo aliquid praedicanti. Quarum enim tu rerum cogitatione nos levari aegritudine voluiſti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque, ut mones, quantum potero, me ab omnibus moleſtiis et angoribus abducam; transferamque animum ad ea, quibus ſecundae res ornantur, adverſae adiuvantur; tecumque et ero tantum, quantum patietur utriusque noſtrum aetas et valitudo; et, ſi eſſe una minus poterimus, quam volemus, animorum tamen coniunctione, iisdem ſtudiis ita fruemur, ut numquam non una eſſe videamur.

EPISTOLA DLIX. (ad Div. VI. 2.)

Scr. Aſturae menſe Aprili A. U. C. 708.

Excuſat ſe quod rarius ſcribat; Torquatumque, aditu ad urbem nondum impetrato, conſolatur.

M. T. CICERO A. TORQUATO, S. D.

Peto a te, ne me putes oblivione tui rarius ad te ſcribere, quam ſolebam: ſed aut gravitate valitudinis, qua tamen iam paullum videor levari; aut quod abſim ab urbe, ut, qui ad te proficiſcantur, ſcire non poſſim.

---

poſtulatum] Erneſtius de coniectura reſcripſit *poſtulandum*. Cur tamen a vulgata recedam, cauſſam nullam video.

levari] Sic Martyni-Laguna melius, quam ut vulgo, *levare*.

utriusque noſtrum] vulgo *utriusque* ſine *noſtrum*, quod addidit Martyni-Laguna.

volemus] Recte hoc idem ſubſtituit vulgato *voluimus*.

Quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benivolentia tenere, tuasque omnes res non minori mihi curae, quam meas esse. Quod maiore in varietate versata est adhuc tua causa, quam homines aut volebant, aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis temporum, quod moleste feras. Necesse est enim aut armis urgeri rem publicam sempiternis, aut, his positis, recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma valebunt: nec eos, a quibus reciperis, vereri debes; nec eos quos adiuvisti. Si armis aut conditione positis, aut defatigatione abiectis, aut victoria detractis, civitas respirarit: et dignitate frui tibi, et fortunis licebit. Sin omnino interierint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentissimus

---

Epist. DLIX. *varietate*] Varietas caussae in eo erat, quod antea Torquato, quum si Caesar esset iratior, ne in Italiam quidem venire concessum esset; deinde autem Caesar paulo mitigatior, reditu in Italiam concesso, urbe tamen eum adhuc excluderet.

si arma valebunt] h. e. si perpetuum bellum erit.

reciperis] int. Caesarianos. Alii *recesseris*; quod eiecit recte Victorius. Nam illi sunt Pompeiani quos adiuverat. Vitium ortum est a scriptura vitiosa *receperis* quae est in Ms. meo et Gu. utroque. *Ernesti.*

si armis — detractis] Ex h. l. intelligitur hanc epistolam scriptam esse, bello Hispaniensi adhuc flagrante, necdum eius exitu satis certo, h. e. antequam de proelio apud Mundam nuntius Romam pervenisset. Neque igitur Ragazonio assentiendum, qui hanc epistolam ad annum superiorem refert, nec Manutio-Lagunae, qui eam anno quidem 708. sed confecto bello Hispaniensi scriptam esse contendit.

civitas respiraverit] Hoc non de otio solum ex pace facta accipiendum, sed de bono rei publicae statu aliquatenus certe restituto. Idem ante dixerat *recreari rem publicam.*

sin omnino interierint omnia] libertate scil. prorsus oppressa.

M. Antonius, iam tum timebat, quum tantum instare malorum suspicabatur: misera est illa quidem consolatio, tali praesertim civi, et viro; sed tamen necessaria, nihil esse praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat universis. Quae vis insit in his paucis verbis, (plura enim committenda epistolae non erant,) si attendes, quod facis: profecto etiam sine meis literis intelliges, te aliquid habere quod speres; nihil quod aut hoc, aut aliquo rei publicae statu timeas; omnia si interierint, quum superstitem te esse rei publicae, ne si liceat quidem, velis, ferendam esse fortunam, praesertim quae absit a culpa. Sed haec hactenus. Tu velim scribas ad me, quid agas, et ubi futurus sis: ut aut quo scribam, aut quo veniam, scire possim.

M. Antonius] orator.

iam tum timebat] Ante Marii et Sullae bellum, quo in bello ipse est interfectus. *Manut.*

suspicabatur] ex discordiae principiis. Hoc significatur lib. I. de orat. c. 7. Nam de sermone inter Scaevolam, Antonium, Crassum habito, sic ait: *Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta et commemorata et deplorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent.* — *Manut.*

quo veniam] Ex h. l. intelligitur, quod iam Manutius vidit, Torquatum, quum haec epistola scriberetur, in Italia fuisse. Quod etiam confirmatur epistolis ad Att. XIII. 9. 20. 21. 44. ubi agitur de eius causa a Cicerone Dolabellae commendata, simulque narratur Torquatum ad Ciceronem in Tusculanum venisse, quum secum haberet Dolabellam. Torquatus autem in inferiore Italia fuisse, nec uno eodemque loco commoratus esse videtur.

EPISTOLA DLX. (ad Att. XII. 35.)

Scr. in Antiati mense Aprili A. U. C. 708.

De fano Tulliae exstruendo.

CICERO ATTICO, S.

Antequam a te proxime discessi, nunquam mihi venit in mentem, quo plus insumptum in monumentum esset, quam nescio quid, quod lege conceditur, tantundem populo dandum esse: quod non magno opere moveret, nisi, nescio quomodo, ἀλόγως fortasse, nollem illud ullo nomine, nisi fani, appellari. Quod si volumus, vereor, ne assequi non possimus, nisi mutato loco. Hoc quale sit, quaeso, considera. Nam etsi minus urgeor, meque ipse propemodum collegi: tamen indigeo tui consilii. Itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quam a me vis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore amplectare.

Epist. DLX. *antequam a te proxime discessi*] Cicero nimirum post epistolam ad Atticum proxime superiorem (h. ed. 556.) eum in suburbano Sicae convenerat.

quo plus] Legendum videtur: *quum plus.*

quod lege conceditur] Caesar vel lege sumptuaria, vel alia singulari definiverat sumptum in sepulcrorum monumenta erogandum. Quem qui excessisset, tantundem quantum sumptus factus summam in lege definitam superabat, populo dare iubebatur.

nisi mutato loco] constitueramus fanum in hortis Transtiberinis facere; sed mutandus locus est, si assequi volumus, ut fani nomine appelletur. In hortis enim si faceremus, ubi multa multorum sunt sepulcra, sepulcrum et ipsum videretur esse, sepulcrique nomine potius appellaretur, quam fani. *Manut.* Vereor ut haec sit Ciceronis sententia. Nam hortos fano Tulliae exstruendo emendos esse pertinaciter urgebat. Fortasse legendum: *nisi tuto a mutatione loco*, vel aliud eius modi. cf. ep. 535. 561.

EPISTOLA DLXI. (ad Att. XII. 36.)

Scr. in Antiati mense Aprili A. U. C. 708.

Cur in monumento Tulliae sepulcri similitudinem effugere velit ostendit. 1. *Brutum obiurgari vult, quod in Cumano esse noluerit.* 2. *Cluatium architectum exacui vult.* 3.

CICERO ATTICO, S.

Fanum fieri volo; neque hoc mihi erui potest; sepulcri similitudinem effugere, non tam propter poenam legis studeo, quam ut maxime assequar ἀποθέωσιν. Quod poteram, si in ipsa villa facerem: sed, ut saepe locuti sumus, commutationes dominorum reformido. In agro ubicunque fecero, mihi videor assequi posse, ut posteritas habeat religionem. Hae meae tibi ineptiae (fateor enim) ferendae sunt. Non habeo, ne me quidem ipsum, quicum tam audacter communicem, quam te. Si tibi res, si locus, si institutum placet, lege, quaeso, legem, mihique eam mitte. Si quid in mentem veniet, quo modo eam effugere possimus, utemur.

Epist. DLXI. 1. *erui potest*] Sic edd. pr. itemque Mss. v. c. Graevii. Bosius e Ms. in quo erat *sunderi*, fecit *suada erui potest*, quod Gruterus secutus est. Ego *suada* delevi. Addidisset Cicero *ulla*. Ceterum saepe dudum tentatus sum legere *eripi*, quod elegans hic esset, et usitatum Ciceroni. *Erui* autem pro *eripi* dici non reperi. Nisi vero Cicero ad oculos allusit, qui dicuntur *erui* — *Ernesti*. Assentior Ernestio *suada*, quoniam id sola Bosii coniectura nititur, delenti. Ceterum Cicero *suada erui* scribere poterat, etiamsi non adderet *ulla*.

habeat religionem] ut posteri illud cum religione conservent. Quod in villa fortasse non facerent, in qua fanum aedificatum nescio an eadem religione tuerentur. Fortasse enim ex fano rursus villam facerent studio habitandi. *Manut.*

res, *locus*, *institutum*] ut fanum fiat, ubi fiat, quale fiat. Explano enim institutum, fani genus a nobis designatum. Nam et supra

Ad Brutum si quid scribes, nisi alienum putabis, 2
obiurgato eum, quod in Cumano esse noluerit propter
eam caussam, quam tibi dixit. Cogitanti enim mihi
nihil tam videtur potuisse facere rustice.

Et, si tibi placebit sic agere de fano, ut coepi- 3
mus, velim cohortere et exacuas Cluatium: nam,
etiamsi alio loco placebit, illius nobis opera consilio-
que utendum puto. Tu ad villam fortasse cras.

EPISTOLA DLXII. (ad Att. XII. 37.)

Scr. in Antiati mense Maio A. U. C. 708.

De acceptis Attici 1. et Bruti literis 2. de loco ad fanum Tulliae exstruendum deligendo. 3. de Terentiae negotio 4. de Hirtii literis 5. de Caninii naufragio 6.

CICERO ATTICO, S.

A te heri duas epistolas accepi, alteram pridie datam Hilario, alteram eodem die tabellario; accepique ab Aegypta liberto eodem die, Piliam et Atticam plane belle se habere.

---

ep. 18. (h. ed. ep. 533.) ubi plane idem dicit. *Neque*, inquit, *de genere dubito; placet enim mihi Cluatii; neque de re; statutum est enim; de loco nonnunquam.* — *Manut.*

2. *in Cumano*] vel meo, vel potius suo. Nam vicini fuerunt in Tusculano et Cumano. Brut. f. de clar. or. c. 87. *Corrad.*

3. *Cluatium*] architectum. cf. ep. 533.

ad villam] in suburbano.

Epist. DLXII. 1. *accepique*] i. e. audivi ab Aegypta liberto; non enim de literis hic agitur ab Aegypta allatis; etsi quidam hic legebant *accepique ab Aegypta literas eodem die.*

plane belle se habere] Vulgo hic addebatur: *hae literae mihi redditae sunt tertio decimo die.* Iam Manutio hoc incredibile videbatur quum Cicero esset in Antiati, Atticus autem Romae, vel in suburbano, eum qui Attici literas tulisset, tredecim dies tantulo in itinere

2 Quod mihi Bruti literas, gratum. Ad me quoque misit. Hae literae mihi redditae sunt tertio decimo die. Eam ipsam ad te epistolam misi, et ad eam exemplum mearum literarum.

3 De fano, si nihil mihi hortorum invenis, (qui quidem tibi inveniendi sunt, si me tanti facis, quanti certe facis,) valde probo rationem tuam de Tusculano. Quamvis prudens ad cogitandum sis, sicut es, tamen, nisi magnae curae tibi esset, ut ego consequerer id, quod magno opere vellem, numquam ea res tibi tam belle in mentem venire potuisset. Sed nescio quo pacto celebritatem requiro. Itaque hortos mihi conficias necesse est. Maxima est in Scapulae celebritas; propinquitas praeterea, ubi sis, ne totum diem in villam. Quare, anteqaam discedis, Othonem, si Romae est, convenias pervelim. Si nihil erit, etsi tu meam

---

consumpsisse. Putabat igitur haec verba ex alia quadam epistola huc forte translata esse. Sane illa verba hoc quidem loco posita prorsus repugnant antecedentibus. Cicero enim ait illas epistolas, quae pridie datae fuerint, heri accepisse; i. e. postridie quam scriptae essent. Ego vero opinatus illa verba ad Bruti literas pertinere, de quibus paullo post scribit, ea post verba *ad me quoque misit* collocavi.

3. *propinquitas*] praeter celebritatem hoc habent commodi quod proxime Romam sunt.

ne totum diem in villam] ne totum diem ponam in villam proficiscens, ne mihi semper totus dies sit in itinere consumendus, animi causa dum me ad villam confero. Quasi dicat: si quando nobis satietas me capit, ad aliquam mearum villarum ire soleo, quae ita longe absunt, ut totum diem in via ponam. Quod si Scapulae hortos habebo, libentius in hortos exibo, propter propinquitatem. Eodem loquendi genere supra usus est, quum dixit: *itinera ita facit, ut multos dies in oppidum ponat* lib. XI. ep. 22. (h. ed. epist. 427.) *Manut.*

Othonem] unum ex iis, quos Scapula heredes reliquerat. *Manut.*

stultitiam consuesti ferre, eo tamen progrediar, uti stomachere. Drusus enim certe vendere vult. Si ergo aliud non erit, mea erit culpa, nisi emero; qua in re ne labar, quaeso, provide. Providendi autem una ratio est, si quid de Scapulanis possumus. Et velim me certiorem facias, quam diu in suburbano sis futurus.

Apud Terentiam gratia opus est nobis tua, tuaque auctoritate. Sed facies, ut videbitur. Scio enim, si quid mea intersit, tibi maiori curae solere esse, quam mihi. 4

Hirtius ad me scripsit, Sex. Pompeium Corduba exisse, et fugisse in Hispaniam citeriorem: Cnaeum fugisse, nescio quo; neque enim curo. Nihil praeterea novi. Literas Narbone dedit XIV Kal. Mai. 5

Tu mihi de Caninii naufragio quasi dubia misisti. Scribas igitur, si quid erit certius. 6

Quod me a moestitia avocas, multum levaris, si locum fano dederis. Multa mihi εἰς ἀποθέωσιν in mentem veniunt. Sed loco valde opus est. Quare etiam Othonem vide. 7

---

si ergo aliud non erit, mea erit culpa] Vulgo *si ergo aliud erit, non mea erit culpa*. Mihi autem videtur particula *non* excidisse suo loco, quam si post *aliud* reposueris, omnia erunt plana. Si nihil aliud fano ponendo invenire possumus, quam hortos Drusianos, si eos cessatione mea patiamur nobis elabi, ut alius eos emat, mea erit culpa. *Graevius*. Et hic quidem rectissime; Gronovius minus bene scribendum putabat, *si ergo aliud nihil emero, non erit mea culpa, nisi emero?*

5. *Corduba exisse*] Vid. auct. de bello Hispaniensi c. 32.

6. *Caninii*] Caninii Rebili ut videtur, qui erat Caesaris legatus.

EPISTOLA DLXIII. (ad Att. XII. 38.)

Scr. in Antiati mense Maio A. U. C. 708.

De literis Attici frustra exspectatis 1. de Q. fratris filii in patruum malitia. 2. se minus debilitatum animo esse, quam quidem putant 3. de hortis emendis. 4.

CICERO ATTICO, S.

Non dubito, quin occupatissimus fueris, qui ad me nihil literarum. Sed homo nequam, qui tuum commodum non exspectarit, quum ob eam unam caussam missus esset. Nunc quidem, nisi quid te tenuit, suspicor te esse in suburbano. At ego hic scribendo dies totos nihil equidem levor, sed tamen aberro.

2 Asinius Pollio ad me scripsit de impuro nostro cognato. Quod Balbus minor nuper satis plane, Dolabella obscure, hic apertissime. Ferrem graviter, si novae aegrimoniae locus esset. Sed tamen ecquid impurius? o hominem cavendum! quamquam mihi quidem.... Sed tenendus dolor est. Tu, quoniam necesse nihil est, sic scribes aliquid, si vacabis.

Epist. DLXIII. 1. *sed homo nequam*] libertum notat, vel tabellarium ad Atticum missum.

2. *de impuro nostro cognato*] Fratris mei et sororis tuae filio, qui erat in Hispania cum Caesare adversus Pompeii liberos bellum gerente et Ciceroni patruo detrahebat. *Manut.*

Dolabella obscure] scil. *scripserat*, scripsit autem ex Hispania. Nam ei bello interfuit, ut aperte indicat illud Philipp. II. *Ter depugnavit Caesar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania; omnibus his pugnis affuit Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit.* Postea quum in Italiam revertisset, coram de Quincti maledictis et iniuriis cum Cicerone locutus est. ad Att. XIII. 9. *Manut.*

hic apertissime] nempe Asinius Pollio.

quamquam mihi quidem] sc. dudum cavendus visus est ob malitiam. Dousa Explan. Plaut. p. 407. explet e Plau-

Quod putas oportere pervideri, iam animi mei 3 firmitatem, graviusque quosdam scribis de me loqui quam aut te scribere, aut Brutum: si, qui me fractum esse animo et debilitatum putant, sciant quid literarum, et cuius generis conficiam; credo, si modo homines sint, existiment me, sive ita levatus sim, ut animum vacuum ad res difficiles scribendas afferam, reprehendendum non esse; sive hanc aberrationem a dolore delegerim, quae maxime liberalissima, doctoque homine dignissima, laudari me etiam oportere.

Sed, quum ego faciam omnia, quae facere pos- 4 sim ad me adiuvandum; tu effice id, quod video te non minus, quam me, laborare. Hoc mihi debere videor, neque levari posse, nisi solvero, aut videro me posse solvere, id est, locum, qualem volo, invenero. Heredes Scapulae, si istos hortos, ut scribis tibi Othonem dixisse, partibus quatuor factis, liceri cogitant; nihil est scilicet emptori loci. Sin venibunt;

---

to: *aetas est acta ferme; tua istud refert maxime*; ut habet ipse Cicero epist. ad Brut. 2. *Ernesti.* Dousae ratio sententiam explendi utique argutior est et concinnior, quam illa, quae Ernestio placuit.

3. *delegerim maxime quae liberalissima*] Sic Lambinus edidit libris invitis; nam in omnibus est *delegerim*, *quae maxime liberalissima.*

4. *effice id*] ut hortos habeam, ut erecto monumento filiam consecrare possim. *Manut.*

Heredes Scapulae] Corradus ad h. l. putat esse T. Quintium Scapulam qui quum bellum in Hispania commovisset, postea victo Cn. Pompeio se iugulari iussit, de bello Hisp. c. 33. Sed quum ille post praelium ad Mundam interierit, de quo nuntius non prius quam prid. Parilium h. e. die XX Aprilis Romam perlatus est, vix hoc tempore quo haec epistola scripta est, de eius morte Romae constare potuit, nedum ut iam hereditatem adire potuerint eius heredes. Accedit quod vix credibile est, illius Scapulae bona, in quem Caesaris odium acerbissimum esse debuit, eius iussu haud publicata fuisse.

liceri cogitant] nempe inter se. Erant enim quatuor

quid fieri possit, videbimus. Nam ille locus Publicianus, qui est Trebonii et Cusinii, erat ad me allatus. Sed scis aream esse. Nullo pacto probo. Clodiae sane placent; sed non puto esse venales. De Drusi hortis, quamvis ab iis abhorreas, ut scribis, tamen eo confugiam, nisi quid inveneris. Aedificatio me non movet. Nihil enim aliud aedificabo, nisi id, quod etiam si illos non habuero.

5 Κῦρος, δ', έ, mihi sic placuit, ut cetera Antisthenis, hominis acuti magis, quam eruditi.

EPISTOLA DLXIV. (ad Att. XII. 39.)

Scr. Asturae mense Maio A. U. C. 708.

Remittit Attico literas, nisi quid necesse fuerit scribere.

CICERO ATTICO, S.

Tabellarius ad me quum sine literis tuis venisset, existimavi tibi eam causam non scribendi fuisse, quod pridie scripsisses ea ipsa, ad quae rescripsi hac epistola. Exspectaram tamen aliquid de literis Asinii Pollionis.

---

coheredes Otho, Mustela, Crispus, Virgilius. cf. ep. 571.

Publicianus] ita Bosius edidit e cod. Tornaes. et decurtato. Alii legunt *publicatus*, vel *publicanus*. *Publicianus* Bosius sic accepit, illum locum fuisse viam Publiciam. Sed haec *via Publicia* erat in urbe. Itaque si vera est lectio, significat illam aream olim fuisse Publicii cuiusdam, qui nunc sit *Cusinii* (vel ut Corradus volebat *Cosinii*) et Trebonii.

aream] sine hortis.

κῦρος δ', έ] Fuit titulus dialogi Antisthenis Cynici tomo quarto, Κῦρος Ἡρακλῆς ὁ μείζων, ἢ περὶ ἰσχύος, in quo conabatur persuadere laborem bonum esse magni Herculis ac Cyri exemplo. Alius ab illo, tomo quinto, Κῦρος περὶ βασιλείας, quem Cicero hoc tempore studiose legebat, quod moliebatur συμβουλευτικὸν ad Caesarem de re publica ordinanda. Diog. Laërt. lib. VI. *Popma.*

Sed nimium ex meo otio tuum specto. Quamquam tibi remitto, nisi quid necesse erit, necesse ne habeas scribere, nisi eris valde otiosus. De tabellariis facerem quod suades, si essent ullae necessariae literae, ut erant olim, quum brevioribus diebus, tamen quotidie respondebant tempori tabellarii; et erat aliquid; Silius, Drusus, alia quaedam. Nunc, nisi Otho extitisset, quod scriberemus non erat. Id ipsum dilatum est: tamen allevor, quum loquor tecum absens, et multo etiam magis, quum tuas literas lego. Sed quoniam et abes, (sic enim arbitror,) et scribendi necessitas nulla est, conquiescent literae, nisi quid novi extiterit.

EPISTOLA DLXV. (ad Div. IV. 6.)

Scr. Asturae mense Maio A. U. C. 708.

Respondet consolanti Sulpicio gratum sibi eius officium fuisse, nec id exiguo doloris levamento: nemini vero, quam sibi iustiores dolendi causas fuisse, maximam tamen sibi levationem ex reditu et consuetudine Sulpicii fore.

M. T. CICERO S. D. SER. SULPICIO.

Ego vero, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses. Quantum enim praesens me adiuvare potueris et consolando, et prope aeque dolendo, facile ex eo intelligo, quod, literis lectis, aliquantum acquievi. Nam et ea scripsisti, quae levare luctum possent, et in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quae illi tempori tribui potuerunt, declaravit, et quanti ipse me faceret, et quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius

---

Epist. DLXIV. *quoniam et abes*] Atticus erat in suburbano.

Epist. DLXV. *ut scribis*] ep. 557.

officia iucundiora scilicet saepe mihi fuerunt, numquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solum et societas paene aegritudinis, sed etiam auctoritas consolatur. Turpe enim existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu, tali sapientia praeditus, ferendum putas. Sed opprimor interdum et vix resisto dolori, quod ea me solatia deficiunt, quae ceteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt. Nam et Q. Maximus, qui filium consularem, clarum virum, et magnis rebus gestis, amisit; et L. Paullus, qui duo septem diebus; et vester Gallus, et M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit, iis temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam e re publica consequebantur. Mihi autem, amissis ornamentis iis, quae ipse commemoras, quaeque eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non rei publi-

---

iucundiora scilicet — fuerunt] Sic Ernestius edidit; recte. Vulgo *iucundiora scilicet — fuerint*. Martyni-Laguna edidit, nescio qua auctoritate *iucundiora licet — fuerint*.

turpe enim] Vulgo additur *esse*, quod omittunt Dresd. 1. 2. 3. et iam delevit Benedictus.

Q. Maximus] Fabius ille cunctator. Tusc. Qu. III.

L. Paullus] Aemilius, qui Macedoniam, victor rege Perse, ad imperium adiunxit. *Manut.*

vester Gallus] nempe is, qui ex gente Sulpicia fuit. Nam est et alius ex Aquilia. Male MSS. quidam ut Gu. et edd. quaedam veteres *noster*. *Ernesti.*

M. Cato] censorius. Cf. Cat. Mai. de Senect. c.

ut eos tum ipsorum] Victorius e coniectura, *ut eorum luctum ipsorum*. Et in cod. Graev. I. erat *luctum*. Benedictus servavit plurimorum librorum lectionem: *ut eorum tum ipsorum*. Nos cum Martyni-Laguna praetulimus *ut eos tum ipsorum*, quod iam fuit in edd. ante Victorium, qui tamen id MSS. auctoritate carere monebat.

cae procuratione impediebantur cogitationes meae; nihil in foro agere libebat; aſpicere curiam non poteram; exiſtimabam, id quod erat, omnes me et induſtriae meae fructus, et fortunae perdidiſſe. Sed quum cogitarem, haec mihi tecum, et cum quibusdam eſſe communia; et quum frangerem iam ipſe me, cogeremque illa ferre toleranter: habebam quo confugerem, ubi conquieſcerem, cuius in ſermone et ſuavitate omnes curas doloresque deponerem. Nunc autem, hoc tam gravi vulnere, etiam illa, quae conſanuiſſe videbantur, recrudeſcunt. Non enim, ut tum, me a re publica moeſtum domus excipiebat, quae levaret: ſic nunc domo moerens ad rem publicam confugere poſſum, ut in eius bonis acquieſcam. Itaque et domo abſum, et foro, quod nec eum dolorem, quem e re publica capio, domus iam conſolari poteſt, nec domeſticum res publica. Quo magis te exſpecto, teque videre quam primum cupio. Maior mihi levatio afferri nulla poteſt, quam coniunctio conſuetudinis ſermonumque noſtrorum: quamquam ſperabam, tuum adventum, ſic enim audiebam, appropinquare. Ego autem quum multis de cauſis te exopto quam primum videre: tum etiam, ut ante commentemur inter nos, qua ratione nobis traducendum ſit hoc tempus, quod eſt totum ad unius voluntatem accommodandum, et prudentis, et liberalis, et, ut perſpexiſſe videor, nec a me alieni, et tibi amiciſſimi. Quod quum ita ſit, ma-

---

conſanuiſſe] Hoc Victorius e Mediceo et Politiani libro repoſuit. Multi alii codd. habent *conſenuiſſe*, quod nuper Benedicto placuit, ut olim Manutio. Gronovius affert locum Ulpiani l. XI. §. 1. D. *Aedil. edicto: Si homini digitus ſit abſciſſus, membrique quid laceratum, quamvis conſanuerit.*

levatio] Inepta eſt lectio: *maior mihi ratio affore;* quam offerunt Dresd. 1. 2. 3. 5. Pal. I.

tibi amiciſſimi] quia conſul Sulpicius M. Marcello collegae, Caeſari Gallias

gnae est tamen deliberationis, quae ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius concessu et beneficio quiescendi. Vale.

EPISTOLA DLXVI. (ad Div. IV. 12.)

Scr. Athenis pr. Kal. Iun. A. U. C. 708.

M. Marcelli caedem narrat.

SER. SULPICIUS M. CICERONI S. D.

Etsi scio, non iucundissimum nuntium me vobis allaturum: tamen quoniam casus et natura in nobis dominatur, visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, ut vos certiores facerem.

2 Ante diem X. Kalendas Iunias, quum ab Epidauro Piraeeum navi advectus essem, ibi Marcellum, collegam nostrum, conveni, eumque diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. Postero die, quum ab eo digressus essem, eo consilio, ut ab Athenis in Boeotiam irem, reliquamque iurisdictionem absolverem, ille, ut aiebat, ὑπὲρ Μαλέας, in Italiam versus navigaturus erat. Postri-

---

ante diem eripere conanti restiterat, pacisque semper auctor fuerat ep. 1. et 3. lib. IV. (h. ed. 365. 461.) et Suetonius in Caes. c. 29. Amicissimus etiam Sulpicio Caesar, quia suis in praesidiis eius filius civili bello fuerat ep. ad Att. IX. 18. et X. 3. (h. ed. 359. 368.) *Man.*

Epist. DLXVI. 2. *ab Athenis*] Hoc Ernestius uncis inclusit, ut spurium. Quorsum enim, inquit, additur? Sed Athenae hic opponuntur Piraeeo; Sulpiciusque significat se in urbe Athenarum aliquantum commoratum inde in Boeotiam ire voluisse.

ὑπὲρ Μαλέας] MSS. *supra Maias* vitiose. Inde Victorius correxit *supra Maleas*. Equidem cum Martyni-Laguna praeferendum duxi ὑπὲρ Μαλέας, quia sic illa navigatio fere appellari solebat etiam a Latine loquentibus; ut ap. Plinium ep. ad Traian. X. *nuntio tibi me Ephesum cum omnibus meis* ὑπὲρ Μαλέας *navigasse.*

die eius diei, quum ab Athenis proficisci in animo haberem, circiter horam decimam noctis, Sp. Postumius, familiaris eius, ad me venit, et mihi nuntiavit, Marcellum, collegam nostrum, post coenae tempus, a P. Magio Chilone, familiare eius, pugione percussum esse, et duo vulnera accepisse, unum in stomacho, alterum in capite, secundum aurem, sperare tamen se eum vivere posse. Magium se ipsum interfecisse; postea se a Marcello ad me missum esse, qui haec nuntiaret, uti cogerem medicos. Coegi, et e vestigio eo sum profectus prima luce. Quum non longe a Piraeeo abessem, puer Acidini obviam mihi venit cum codicillis, in quibus erat, paullo ante lucem Marcellum diem suum obiisse. Ita vir clarissimus ab homine taeterrimo acerbissima morte est affectus; et cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus est amicus, qui mortem afferret. Ego tamen ad tabernaculum eius perrexi. Inveni duos libertos, et pauculos servos. Reliquos aiebant profugisse, metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. Coactus sum, in eadem lectica, qua ipse delatus eram, meis lecticariis in urbem eum referre; ibique pro ea copia, quae Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum curavi. Ab Atheniensibus, locum sepulturae intra urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent; neque tamen id antea cuiquam concesserant; quod proximum fuit, ut in quo vellemus gymnasio eum sepeliremus, nobis

---

se ipsum interfecisse] quod eum commissi facinoris poeniteret. Caussam necis Cicero ignorat ad Att. XIII. 10. Valerius hanc ponit lib. IX. c. 11. quod quum esset Marcello Magius vetere coniunctus amicitia eique in Pompeiana militia comes fuisset, indignaretur aliquos sibi amicorum ab eo praeferri. *Man.*

taeterrimo] Haec lectio melior altera quam multi praeferunt: *deterrimo*.

permiserunt. Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academiae locum delegimus, ibique eum combussimus, posteaque curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei faciendum locarent. Ita, quae nostra officia fuerunt, pro collegio et pro propinquitate, et vivo et mortuo omnia ei praestitimus. Vale. D. pr. Kal. Iun. Athenis.

EPISTOLA DLXVII. (ad Att. XII. 40.)

Scr. in Antiati mense Iunio A. U. C. 708.

De Hirtii libro in Catonem 1. *de libro quem ad Caesarem de re publica ordinanda scribere cogitaverat* 2. *de caussis tristitiam suam adversus reprehensores excusantibus* 3. *de hortis Scapulanis emendis* 4. *denique se quamdiu hic mansurus sit, nondum constituisse scribit.* 5.

CICERO ATTICO, S.

Qualis futura sit Caesaris vituperatio contra laudationem meam, perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit, in quo colligit vitia Catonis, sed cum

---

Epist. DLXVII. 1. *Caesaris vituperatio*] quam Anti-Catonem inscripsit.

quem Hirtius ad me misit] Ex Hirtii libro contra Catonem scripto coniiciebat Cicero, qualis esset futura Caesaris vituperatio. Quum enim in suo libro Hirtius collegisset vitia Catonis, sed cum maximis Ciceronis laudibus, Caesar autem eum librum vidisset (neque enim aliter putandum est quum Hirtius cum Caesare esset, in Hispania bellum gerente), magno id erat argumento, eas Ciceronis laudes Caesarem probasse. Alioqui exire librum passus non esset, neque Hirtio permisisset, ut ad Ciceronem mitteret. Ex eo coniecturam Cicero capiebat Caesarem acerbius in se nihil scripsisse in suo libro, cuius laudes in alieno probasset. *Manut.* Ceterum Hirtii liber ad ipsum Ciceronem scriptus, ei inscriptus erat; itaque Cicero eum ep. 569. *epistolam* vocat. *Hirtii*, inquit, *epistola quasi* πρό-

maximis laudibus meis. Itaque misi librum ad Musceam, ut tuis librariis daret. Volo enim eum divulgari; quod quo facilius fiat, imperabis tuis.

2 Συμβουλευτικὸν saepe conor; nihil reperio; et quidem mecum habeo et Ἀριστοτέλους et Θεοπόμπου πρὸς Ἀλέξανδρον: sed quid simile? illi, et quae ipsis honesta essent scribebant, et grata Alexandro. Ecquid tu eiusmodi reperis? mihi quidem nihil in mentem venit.

3 Quod scribis te vereri, ne et gratia et auctoritas nostra hoc meo maerore minuatur: ego, quid homines aut reprehendant, aut postulent, nescio. Ne doleam? qui potest? ne iaceam? quis umquam minus? Dum tua me domus levabat, quis a me exclusus? quis venit, qui offenderetur? Asturam sum a te profectus. Legere isti laeti, qui me reprehendunt, tam multa non possunt, quam ego scripsi. Quam bene, nihil ad rem. Sed genus scribendi id fuit, quod nemo abiecto animo facere posset. Triginta dies in hortis fui. Quis aut congressum meum, aut facilitatem sermonis desideravit? Nunc ipsum ea lego, ea scribo, ut ii, qui mecum sunt, difficilius otium ferant, quam ego laborem. Si quis requirit, cur Romae non sim: quia discessus est. Cur non sim in his meis praediolis,

---

πλάσμα *videtur eius vituperationis, quam Caesar scripsit de Catone.*

2. συμβουλευτικόν] saepe conor aliquid ad Caesarem scribere de ordinanda re publica. *Manut.*

Ἀριστοτέλους] Aristotelis librorum περὶ βασιλείας, qui ad Alexandrum missus fuit, ut docet Ammonius in vita Aristotelis, cuius iterum meminit ad Att. XIII. 18. *Casaub.*

Θεοπόμπου] Scripserat Theopompus συμβουλὰς i. e. suasiones ad Alexandrum; quae citantur ab Athenaeo Deipnos. l. 6. et 13. *Victor.*

3. *quia discessus est*] i. e. tempus quo senatoribus discedere licebat et rus petere. Aliud agebat Manutius quum hic illum discessum notari putabat, qui incidebat post XVI. Kal. Febr. Manifestum enim est, quod Corradus vidit h. l. tempus aestivum et illum discessum significari,

quae sunt huius temporis: quia frequentiam illam non facile ferrem. Ibi sum igitur, ubi is, qui optimas Baias habebat, quotannis hoc tempus consumere solebat. Quum Romam venero, nec vultu, nec oratione reprehendar. Hilaritatem illam, qua hanc tristitiam temporum condiebamus, in perpetuum amisi. Constantia et firmitas nec animi, nec orationis requiretur.

4 De hortis Scapulanis hoc videtur effici posse, aliud tua gratia, aliud nostra, ut praeconi subiiciantur. Id nisi fit, excludemur. Sin ad tabulam venimus, vincemus facultates Othonis nostra cupiditate. Nam quod ad me de Lentulo scribis, non est in eo. Faberiana modo res certa sit, tuque enitare, quod facis; quod volumus, consequemur.

5 Quod quaeris, quam diu hic; paucos dies. Sed certum non habeo. Simul ac constituero, ad te scribam: et tu ad me, quam diu in suburbano sis futurus. Quo die ego ad te haec misi, de Pilia et Attica mihi quoque eadem, quae scribis, et scribuntur, et nuntiantur.

---

qui fiebat versus Kal. Quintil.

ibi sum igitur] in Antiati praedio maritimo.

qui optimas Baias habebat] Fortasse legendum *Baianas.* Quem h. l. significet incertum est. Fortasse quod Popmae visum, Lucullum, cuius Baianum nobile piscinis memorat Varro lib. III. de re rust.

4. *ut praeconi subiiciantur*] ut eorum auctio fiat, ad quam cuivis emendi cupido accessus sit. Audierat enim Cicero quatuor heredes inter se liceri velle.

ad tabulam] auctionis.

non est in eo] non ille potest pecuniam nobis dare ad emendum. *Ernesti.*

Faberiana res] Faberianum nomen de quo supra ep. 647.

EPISTOLA DLXVIII[a] (ad Div. V. 14.)

Scr. Romae menſe Iunio A. U. C. 708.

Quaerit cur Cicero tamdiu abſit ab urbe. Laudat ſi ſolitudinem quaerat, ut literis vacet; improbat ſi ſe lacrimis ac triſtitiae tradat.

L. LUCCEIUS, Q. F. S. D. M. T. CICERONI, M. F.

Si vales, bene eſt; ego valeo, ſicut ſoleo; paullulo tamen etiam deterius, quam ſoleo. Te requiſivi ſaepius, ut viderem. Romae quia poſtea non fuiſti, quam diſceſſeras, miratus ſum; quod item nunc miror. Non habeo certum, quae te res hinc maxime retrahat. Si ſolitudine delectare, quum ſcribas, et aliquid agas eorum, quorum conſueſti, gaudeo, neque reprehendo tuum conſilium. Nam nihil iſto poteſt eſſe iucundius, non modo miſeris his temporibus et luctuoſis, ſed etiam tranquillis et optatis: praeſertim animo vel defatigato tuo, qui nunc requietem quaerat ex magnis occupationibus, vel erudito, qui ſemper aliquid ex ſe promat, quod alios delectet, ipſum laudibus illuſtret. Sin autem, ſicut hic dum eras, lacrimis ac triſtitiae te tradidiſti; doleo, quia doles et angere; non poſſum te non, ſi concedis, quod ſentimus, ut liberius dicamus, accuſare. Quid enim? tu ſolus aperta non videbis, qui propter acumen occultiſſima perſpicis? tu non intelliges, te querelis quotidianis nihil proficere? non intelliges, duplicari ſollicitudines, quas elevare te tua prudentia poſtulat? Quodſi non poſſumus aliquid proficere ſuadendo; gratia contendi-

---

Epiſt. DLXVIII[a] *ſicut hic dum eras*] Martyni-Laguna recepit lectionem, *ſicut hinc diſceſſeras* e veſtigiis codd. Dresd. 1. 2. 3. Lipſ. Torg. Pal. I. in quibus eſt: *ſicut hinc dicas ſeras*. Cod. Amſt. habet *ſicut hic diſceſſeras*.

doleo — non poſſum] abruptior eſt iunctura membrorum. Aptius eſſet *etſi doleo — tamen non poſſum*.

mus et rogando, si quid nostra causa vis, ut istis te molestiis laxes, et ad convictum nostrum redeas, et ad consuetudinem vel nostram communem, vel tuam solius ac propriam. Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio: cupio deterrere, ne permaneas in incepto. Nunc duae res istae contrariae me conturbant: ex quibus, aut in altera mihi velim, si potes, obtemperes; aut in altera non offendas. Vale.

EPISTOLA DLXVIII[b] (ad Div. V. 15.)

Scr. in Antiati mense Iunio A. U. C. 708.

Respondet epistolae Lucceii proxime superiori, suamque obsentiam et tristitiam excusat.

M. CICERO L. LUCCEIO, Q. F., S.

Omnis amor tuus ex omnibus partibus se ostendit in his literis, quas a te proxime accepi; non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus et optatus: dicerem, iucundus, nisi id verbum in omne tempus perdidissem. Neque ob eam unam causam, quam tu suspicaris, et in qua me, lenissimis et amantissimis verbis utens, re graviter accusas: sed quod, illius tanti vulneris quae remedia esse debeant, ea nulla sunt. Quid enim? ad amicosne confugiam? quam multi sunt? habuimus enim fere communes; quorum alii occiderunt; alii, nescio quo pacto, obduruerunt. Tecum vivere posse equidem maxime vellem; vetustas, amor, consuetudo, studia paria; quod vinclum, si quaeris, deest nostrae coniunctioni? Possumusne igitur esse una?

---

nunc — conturbant] Secutus sum lectionem a Martyni-Laguna receptam. Vulgo *quum — conturbent.*

Epist. DLXVIII[b] *ob eam unam causam*] obitum filiae, quem deinde *vulnus* appellat.

quod vinclum, si quaeris, deest nostrae coniunctioni] Martyni-Laguna edidit, *quod vinclum, quae res deest nostrae coniunctioni.* Graevius ediderat: *quod vinculum quasi est nostrae coniunctionis.* In

Nec mehercule intelligo, quid impediat. Sed certe adhuc non fuimus, quum essemus vicini in Tusculano, in Puteolano. Nam quid dicam in urbe? in qua; quum forum commune sit, vicinitas non requiritur. Sed casu nescio quo in ea tempora nostra aetas incidit, ut, quum maxime florere nos oporteret, tum vivere etiam puderet. Quod enim poterat mihi esse perfugium spoliato et domesticis et forensibus ornamentis atque solatiis? Literae, credo, quibus utor assidue. Quid enim aliud facere possum? Sed nescio quomodo ipsae illae excludere me a portu et perfugio videntur, et quasi exprobrare, quod in ea vita maneam, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis. Hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiae? Itaque sic literis utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam oblivionem doloris petam. Quodsi id egissemus, ego atque tu, quod ne in mentem quidem nobis veniebat propter quotidianos metus, omne tempus una fuissemus: neque me valitudo tua offenderet, neque te moeror meus. Quod quantum fieri poterit, consequamur. Quid enim est utrique nostrum aptius? Propediem te igitur videbo. Vale.

EPISTOLA DLXIX. (ad Att. XII. 41.)

Scr. in Antiati VII. Id. Iunii A. U. C. 708.

Scribit se in Tusculanum, aut Romam venturum. 1. iterum enixe rogat Atticum ut de hortis conficiat, ubi fanum Tulliae exstrui possit. 2. Quid ei de Hirtii epistola videatur quaerit. 3.

CICERO ATTICO S.

Nihil erat, quod scriberem. Scire tamen volebam,

Dresd. 1. 5. Lips. Pal. 2. Grut. Amst. erat: *quod vinculum quaeres id est nostrae coniunctionis.* Dresd. 2. et Pal. 1. *quod vinculum quasi deest nostrae coniunctionis.*

ubi esses; si abes, aut absuturus es, quando rediturus esses. Facies igitur me certiorem. Et, quod tu scire volebas, ego quando ex hoc loco; postridie idus Lanuvii constitui manere; inde postridie in Tusculano, aut Romae. Utrum sim facturus, eo ipso die scies.

2 Scis, quam sit φιλαίτιον συμφορὰ, minime in te quidem; sed tamen avide sum affectus de fano; quod nisi, non dico, effectum erit, sed fieri videro, audebo hoc dicere, (et tu, ut soles, accipies,) incursabit in te dolor meus, non iure ille quidem; sed tamen feres hoc ipsum, quod scribo, ut omnia mea fers, ac tulisti. Omnes tuas consolationes unam hanc in rem velim conferas. Si quaeris, quid optem: primum Scapulae; deinde Clodiae; postea, si Silius nolet, Drusus aget iniuste, Cusinii et Trebonii. Puto tertium esse dominum; Rebilum fuisse certo scio. Sin autem tibi Tu-

---

Benedictus inde scribendum putavit: *quod vinculum quaeres, si id est nostrae coniunctionis.*

Epist. DLXIX. *postridie idus*] scil. Iunias. Scribit enim in extrema hac epistola aestatem integram restare.

2. *quam sit φιλαίτιον συμφορὰ*] *quam sit querula res calamitas*, quam facile querantur qui in calamitate sunt. Tacite Atticum hortatur, ut de fano maiorem adhibeat diligentiam, quod apertius paulo post: *nisi fanum fieri videro, incursabit in te dolor meus. Manut.*

non dico effectum erit] Lipsius Antiq. lect. IV. 19. legendum putabat traiectis verbis: *quod nisi, non dico fieri videro, sed effectum erit.* At cur cupiditatem Ciceronis, vel, ut nunc est, satis acrem, sic exaugeamus, ut eum in flagitando prorsus impudentem faciamus?

Drusus aget iniuste] Si Drusus plus iusto pro hortis petierit, ut emere non possim. *Ernesti.*

puto tertium esse dominum] Ita cod. Tornaes. Vulgo *Terentium esse dominum;* quod commode explicari non potest. Sed si *tertium* legas, aptissimus exoritur sensus: Puto illius areae, quam communiter possident Cusinius et Trebonius tertium etiam dominum esse; Rebilum fuisse certo scio.

sculanum placet, ut significasti quibusdam literis, tibi assentiar. Hoc quidem utique perficies, si me levari vis; quem iam etiam gravius accusas, quam patitur tua consuetudo; sed facis summo amore, et victus fortasse vitio meo; sed tamen, si me levari vis, haec est summa levatio, vel, si verum scire vis, una.

Hirtii epistolam si legeris, quae mihi quasi πρόπλασμα videtur eius vituperationis, quam Caesar scripsit de Catone: facies me, quid tibi visum sit, si tibi erit commodum, certiorem. Redeo ad fanum. Nisi hac aestate absolutum erit, quam vides integram restare, scelere me liberatum non putabo. 3

EPISTOLA DLXX. (ad Att. XIII. 26.)

Scr. in Antiati VI. Id. Iun. A. U. C. 708.

De loco ad fanum exstruendum quaerendo 1. de consilio profectionis 2. de epistola ad Caesarem scripta 3.

CICERO ATTICO S.

De Virgilii parte valde probo. Sic ages igitur. Et quidem id erit primum; proximum Clodiae. Quod si neutrum; metuo, ne turbem, et irruam in Drusum. Intemperans sum in eius rei cupiditate, quam nosti. Itaque revolvor identidem in Tusculanum. Quidvis enim potius, quam ut non hac aestate absolvatur.

Ego, ut tempus est nostrum, locum habeo nullum, 2

---

3. πρόπλασμα] *periculum elaborandi operis, rudis informatio operis*, specimen ex quo de toto opere quale futurum sit indicari potest. Nos dicimus *ein Modell*. *Formam* operis dixit Cicero ad Div. II. 8. (h. ed. 199.) in primis statuarum proprium est. *Ernesti.*

Epist. DLXX. 1. *de Virgilii parte*] agri scil. ex hereditate Scapulana, quam videtur ille Ciceroni concedere voluisse.

ne turbem] ne vehementior sim in emendo et Drusum cogam ad vendendum quovis pretio. *Ernesti.*

revolvor in Tusculanum] redeo ad consilium aedificandi fani in Tusculano meo. *Ernesti.*

ubi facilius esse possim, quam Asturae. Sed quia, qui mecum sunt, (credo, quod moestitiam meam non ferunt,) domum properant; etsi poteram remanere, tamen, ut scripsi tibi, proficiscar hinc, ne relictus videar. Quo autem? Lanuvium? conor equidem in Tusculanum. Sed faciam te statim certiorem. Tu literas conficies.

8 Equidem credibile non est, quantum scribam die; quin etiam noctibus. Nihil enim somni. Heri etiam effeci epistolam ad Caesarem. Tibi enim placebat: quam non fuit malum scribi, si forte opus esse putares. Ut quidem nunc est, nihil sane est necesse mittere. Sed id quidem, ut tibi videbitur. Mittam tamen ad te exemplum fortasse Lanuvio, nisi forte Romam. Sed cras scies.

EPISTOLA DLXXI. (ad Att. XII. 42.)

Scr. in Antiati V. Id. Iunias A. U. C. 708.

De literis Attici nullum diem desideratis. 1. de hortis emendis. 2. de itinere suo 3. de Attici in urbem reditu.

CICERO ATTICO S.

Nullum a te desideravi diem literarum. Videbam enim quae scribis: et tamen suspicabar, vel potius intelligebam, nihil fuisse, quod scriberes. A. d. VI id. vero et abesse te putabam, et plane videbam nihil te habere. Ego tamen ad te fere quotidie mittam. Malo enim frustra, quam te non habere, cui des; si quid forte fit, quod putes me scire oportere. Itaque accepi VI id. literas tuas inanes. Quid enim habebas, quod scriberes? mi tamen illud, quidquid erat, non molestum fuit, nihil aliud scire me, nisi novi te nihil habere.

Scripsisti tamen nescio quid de Clodia. Ubi ergo

---

2. *literas conficies*] meo nomine ad alios scribendas.

Epist. DLXXI. 1. *quae scribis*] te occupatissimum fuisse.

nihil aliud scire me, nisi novi] Sic Gronovius recte. Alii: *nihil aliud; scire me novi* — Iunius ed. *nihil aliud scire me novi, nisi te nihil habere.*

ea est? aut quando ventura? Placet mihi res sic, ut secundum Othonem nihil magis. Sed neque hanc vendituram puto. Delectatur enim et copiosa est; et illud alterum quam sit difficile, te non fugit. Sed obsecro enitamur, ut aliquid ad id, quod cupio, excogitemus.

Ego me hinc postridie exiturum puto, sed aut in 3 Tusculanum, aut domum; inde fortasse Arpinum. Quum certum sciero, scribam ad te.

Venerat mihi in mentem, monere te, ut id ipsum, 4 quod facis, faceres. Putabam enim, commodius te idem istud domi agere posse, interpellatione sublata.

EPISTOLA DLXXII. (ad Att. XII. 43.)

Scr. in Antiati V. id. Iun. A. U. C. 708.

De itinere suo 1. *de hortis vel Clodiae vel Trebonii emendis.* 2.

CICERO ATTICO S.

Ego postridie idus, ut scripsi ad te ante, Lanuvii manere constitui; inde aut Romae, aut in Tusculano. Scies ante utrumque.

Quod sites mi illam rem fore levamento, bene 2 facis; quamquam id est, mihi crede, perinde, ut existimare tu non possis. Res indicat, quanto opere id

---

4. *ut id ipsum — faceres*] ut e suburbano in urbem redires, ibique te domi rationes tuas confecturus includeres, nemine, qui te interpellaturus esset, admisso.

Epist. DLXXII. 2. *quod sites mi*] Vulgo additur *recte*, quod iure delevit Ernestius. Sensus est, quem Gronovius exposuit: Quod dissimules apud eos, quibuscum agis de hortis, consilium meum, et me ex consecrata Tullia levationem doloris petere, laudo.

quamquam id est — possis] Ita correxi vulg. in quo constructio laborat: *quum id esset, mihi crede, perinde*

cupiam, quum tibi audeam confiteri; quem id non ita valde probare arbitrer. Sed ferendus tibi in hoc meus error; ferendus? immo vero etiam adiuvandus. De Othone, diffido, fortasse quia cupio. Sed tamen maior etiam res est, quam facultates nostrae, praesertim adversario et cupido, et locuplete, et herede. Proximum est, ut velim Clodiae. Sed si ista minus confici possunt, effice quidvis. Ego me maiore religione, quam quisquam fuit ullius voti, obstrictum puto. Videbis etiam Trebonianos: etsi absunt domini. Sed, ut ad te heri scripsi, considerabis etiam de Tusculano, ne aestas effluat; quod certe non est committendum.

EPISTOLA DLXXIII. (ad Att. XII. 44.)

Scr. in Antiati IV. id. Iun. A. U. C. 708.

De Hirtii libro 1. *de negotio hortorum emendorum* 2. *de adventu suo in Tusculanum* 3. *quid Philotimus de Pompeio narraverit.* 4.

CICERO ATTICO, S.

Et Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς de me scripsisse facile patior, (fecit enim humane,) et te eius epistolam ad me non misisse, multo facilius. Tu enim etiam humanius. Illius librum, quem ad me misit de Catone, propterea volo divulgari a tuis, ut ex istorum vituperatione sit illius maior laudatio.

---

ut existimare tu non posses. Sensus est: quamquam illud monimentum Tulliae a me destinatum perinde ad levationem doloris mei pertinet, ut tu existimare non possis.

Epist. DLXXIII. 1. *συμπαθῶς*] ad indicandam similem animi affectionem accommodate. Scripserat enim Hirtius Ciceronis casum se dolere de filiae morte. *Manut.*

tu—humanius] nam si illam epistolam misisses, meum dolorem quasi tractando renovasses. *Manut.*

Quod per Mustelam agis, habes hominem valde idoneum, meique sane studiosum iam inde a Pontiano. Perfice igitur aliquid. Quid autem aliud, nisi ut aditus sit emptori? quod per quemvis heredem potest effici. Sed Mustelam id perfecturum, si rogaris, puto. Mihi vero et locum, quem opto, ad id, quod volumus, dederis, et praeterea ἐγγήραμα. Nam illa Silii et Drusi non satis οἰκοδεσποτικὰ mihi videntur. Quid enim sedere totos dies in villa ista? Igitur malim primum Othonis, deinde Clodiae. Si nihil fiet, aut Druso ludus est suggerendus, aut utendum Tusculano. Quod domi te inclusisti, ratione fecisti. Sed quaeso confice et te vacuum redde nobis. 2

Ego hinc, ut scripsi antea, postridie idus Lanuvium, deinde postridie in Tusculano. Contudi enim animum et fortasse vici, si modo permansero. Scies igitur fortasse cras, summum perendie. 3

---

2. *per Mustellam agis*] de hortis.

a Pontiano] a quo tempore eius amicum vel affinem defendi Pontianum. *Manut.*

ut aditus sit emptori] ut Scapulae horti in auctione veneant. Nam ad emptionem aditus est omnibus quum quid per praeconem venditur. Verebatur autem ne coheredes ipsi inter se licerentur, omnibus aliis exclusis. Cf. ad Att. XII. 37. 41. (h. ed. 562. 570.) *Manut.*

ad id, quod volumus] monimentum Tulliae.

ἐγγήραμα] *perfugium senectutis, locum senectuti transigendae aptum.*

οἰκοδεσποτικὰ] non satis officio patris familias convenire. Fortasse quia non essent ita fructuosi horti, ut Scapulani. Fructum enim et utilitatem spectare debet paterfamilias. *Manut.*

Druso ludus est suggerendus] aliquod malitiae genus est excogitandum, ut suos nobis hortos Drusus vendat aequiore pretio. Pro hortis suis iniqua postulabat Drusus, quod indicare videtur illud: *si Silius nolet, Drusus aget iniuste* (ep. 567.) *Man.*

domi te inclusisti] ut rationes conficeres.

4 Sed quid est quaeso? Philotimus negat Carteiae Pompeium teneri, (qua de re literarum ad Clodium Patavinum missarum exemplum mihi Oppius et Balbus miserant, se id factum arbitrari,) bellumque narrat reliquum satis magnum. Solet omnino esse Fulviaster. Sed tamen, si quid habes. Volo etiam de naufragio Caniniano scire, quid sit.

EPISTOLA DLXXIV. (ad Att. XII. 45.)

Scr. in Antiati III. Id. Iun. A. U. C. 708.

De libris a se nuper scriptis; 1. *de Atticae et Attici valetudine* 2. *cur in Tusculano esse velit* 3. *de Caesaris statua in templo Quirini.* 4. *de Hirtii libro divulgando.* 5.

CICERO ATTICO S.

Ego hic duo magna συντάγματα absolvi. Nullo enim alio modo a miseria quasi aberrare possum. Tu

---

4. *negat Carteiae*] Hic locus in Mss. varie corruptus optime restitutus est a Manutio et Lambino. Nam quum scriberetur vel *nec Cartini*, vel *nec arctim*; Manutius *Carteiae* nomen hic latere assecutus est, et Lambinus pro nec, vidit scribendum esse *negat*.

Pompeium teneri] Gn. Pompeius Magni fil. proelio victus a Caesare ad Mundam, ex fuga se Carteiam recepit, et ibi seditione concitata XX naves longas occupavit et profugit. Auct. de bello Hisp. c. 32. 37. *Popma.*

esse Fulviaster] imitator Fulvii sc. in mentiendo; Nam Philotimus saepe pro Pompeianis partibus mentiri solebat, ut Cicero ipse scripsit ep. 375. Quis autem sit ille Fulvius incertum est. Putant notari Fulvium Posthumium Caesarianum, et qui sic pro Caesare, ut Philotimus pro Pompeio solitus sit mentiri. Multi Mss. habent *Fulviniaster*. Gronovius coniiciebat legendum ψευδομάρτυς.

Epist. DLXXIV. 1. *duo συντάγματα*] Sunt duo libri Academicorum. cf. ad Att. XIII. 13. h. ed. 602.

mihi, etiam si nihil erit, quod scribas, quod fore ita video; tamen id ipsum scribas velim, te nihil habuisse, quod scriberes, dum modo ne his verbis.

2 De Attica, optime. Ἀκηδία tua me movet: etsi scribis nihil esse.

3 In Tusculano eo commodius ero, quod et crebrius tuas literas accipiam, et te ipsum nonnumquam videbo. Nam cetera quidem ἀνεκτότερα erant Asturae: nunc haec, quae refricant, hic me magis angunt. Etsi tamen, ubicumque sum, illa sunt mecum.

4 De Caesare vicino scripseram ad te, quia cognoram ex tuis literis. Eum σύνναον Quirino malo, quam Saluti.

---

2. ἀκηδία] torpedo; scripserat enim Atticus insolita quadam torpedine se teneri, quam Graeco verbo ἀκηδίαν nominaverat. *Manut.*

nihil esse] nullius periculi rem esse. *Manut.*

3. *nam cetera quidem*] ita iam olim rectius legebatur. Recentiores fere dederunt *nam ceteroqui.*

ἀνεκτότερα] tolerabiliora.

Asturae] Dubium utrum hanc epistolam Asturae an in Antiati scripserit. Si *Asturae*, illuc rediit postquam Atticum in suburbano convenerat.

nunc — angunt] Sic optime correxit Graevius vulg. *nec haec quae refricant hic me magis angunt.* Sensus autem est, in Tusculano, ob vestigia Tulliae, vulnus ex eius morte maiore cum dolore refricatum iri.

4. *de Caesare vicino*] In colle Quirinali et Quirini templum erat, et Salutis aedes, Salutis augurium dicta. Quum autem in Quirini templo statua Caesaris posita esset, cum hac inscriptione Θεῷ ἀνικήτῳ ut scribit Dio lib. XLIII. facete ominatur Cicero et ait, *eum σύνναον Quirino malo, quam Saluti;* i. e. Salutis in templo Caesarem esse nolo, ut scilicet servari ne possit; in Quirini volo, ut ob tyrannidem, quemadmodum illa, a civibus occidatur. *Vicino* autem intelligit Attici. Et infra (ep. 578.) per iocum: *Domum*, inquit: *tuam pluris video futuram vicino Caesare.* Domum enim Atticus habebat in colle Quirinali ab avunculo hereditate relictam, ut in ipsius vita Nepos tradit, et habebat prope Quirini

5 Tu vero pervulga Hirtium. Id enim ipsum putaram, quod scribis; ut, quum ingenium amici nostri probaretur, ὑπόθεσις vituperandi Catonis irrideretur.

EPISTOLA DLXXV. (ad Att. XII, 46.)

Scr. in Antiati prid. Id. Iun. A. U. C. 708.

Scribit se Lanuvio in Tusculanum exiturum.

CICERO ATTICO S.

Vincam, opinor, animum, et Lanuvio pergam in Tusculanum. Aut enim mihi in perpetuum fundo illo carendum est; (nam dolor idem manebit, tantum mediocrius;) aut nescio quid intersit, utrum illuc nunc veniam, an ad decem annos. Neque enim ista maior admonitio, quam quibus assidue conficior, et dies et noctes. Quid ergo? inquies, nihil literae? in hac quidem re, vereor ne etiam contra.

---

templum, ut in primo de legibus scriptum est cap. 1. et P. Victor. in VI. regione statim post templum Quirini collocat aedes Attici, eademque in regione Salutis aedem statuit in colle Quirinali; unde illud IV. 1. (h. ed. ep. 87.) *tuae vicinae Salutis.* — *Manut.*

5. *Hirtium*] librum s. epistolam ab Hirtio scriptam, de vitiis Catonis. cf. ep. 567.

amici nostri] Hirtii. Nam ingenium scriptoris probari potest, etiamsi in argumento elaboret, neutiquam probando. Memorabile huius rei exemplum superiore saeculo exstitit Io. Iac. Russavius literas magis obfuisse humano generi, quam profuisse scilicet contendere ausus.

Epist. DLXXV. *mediocrius*] Edd. pr. *ocius.* Ex eo *mediocrius* fecit Manutius. Graevius malebat *molestius*, quod e cod. vet. notatum est in margine ed. Lamb. *Ernesti.*

ne etiam contra] ne me literae magis ad tristitiam molliant.

Nam essem fortasse durior. Exculto enim animo nihil agreste, nihil inhumanum est.

EPISTOLA DLXXVI. (ad Att. XII. 47.)

Scr. in Tusculano XVI. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De Clodianis hortis emendis, aliisque rebus breviter.

CICERO ATTICO S.

Tu igitur, ut scripsisti; nec id incommodo tuo. Vel binae enim poterunt literae. Occurram etiam, si necesse erit. Ergo id quidem, ut poteris. De Mustela, ut scribis; etsi magnum opus est. Eo magis delabor ad Clodiam. Quamquam in utroque Faberianum nomen explorandum est; de quo, nihil nocuerit, si aliquid cum Balbo eris locutus; et quidem, ut res

---

nam essem — durior] si illiteratus essem.

exculto enim animo] Sic cum Victorio Manutio, Lambino, Bruto, Graevio legendum censeo. Veteres libri quidem *exto*; e compendio scripturae pro *exculto*. Alii inde fecerunt *isto*, quod Ernestius servavit. Bosius volebat [illegible]; quod minime admittendum.

nihil agreste, nihil inhumanum est] expressit eandem sententiam quam poeta sic reddidit: *didicisse fideliter artes emollit mores nec sinit esse feros.*

Epist. DLXXVI. *Tu igitur*] ad me venies in Tusculanum.

vel binae — literae] priusquam ad me venias, vel binas uterque dare literas poterimus. *Manut.*

occurram] veniam ipse ad te, si tu ad me minus commode poteris *Manut.* nempe in loco quodam inter Tusculanum et Romam intermedio congressurus.

magnum opus est] ut Scapulanos hortos habeamus; primum quod emptori aditum esse heredes noluerint, deinde, quod etiam si permittant, mihi tamen in auctione certamen impendet cum Othone, i. e. cum cupido, cum locuplete, cum herede! *Manut.*

ad Clodiam] ad eius hortos emendos.

est, emere nos velle, nec posse sine isto nomine; nec audere re incerta. Sed quando Clodia Romae futura est, et quia tanti rem aestimas, eo prorsus specto: non quin illud malim; sed et magna res est, et difficile certamen cum cupido, cum locuplete, cum herede; etsi de cupiditate nemini concedam; ceteris rebus inferiores sumus. Sed haec coram. Hirtii librum, ut facis, divulga. De Philotimo, idem et ego arbitrabar. Domum tuam pluris video futuram vicino Caesare. Tabellarium meum hodie exspectamus. Nos de Pilia, et Attica certiores faciet.

EPISTOLA DLXXVII. (ad Att. XII. 48.)

Scr. in Tusculano XV. Kal. Quint. A. U. C. 708.

Scribit se Atticum in Tusculano exspectare.

CICERO ATTICO S.

Domi te libenter esse facile credo. Sed velim scire, quid tibi restet, aut iamne confeceris. Ego te in Tusculano exspecto, eoque magis, quod Tironi statim te venturum scripsisti, et addidisti, te putare opus esse. Sentiebam omnino, quantum mihi praesens prodesses; sed multo magis post discessum tuum

---

nec audere incerto] non audeo hortos emere incerto illo nomine, hoc est nisi certus sim pecuniam a Faberio futuram *Manut.* Victorii ed. prima: *incerta;* postrema *re incerta.* Verum est *incerto.*

vicino Caesare] Iocus ex amphibolia. Vicina Attico erat statua Caesaris in templo Quirini; sed *vicino Caesare* sic poterat intelligi, quasi ipse Caesar in vicinia Attici domum emisset, quod si fuisset, ob maiorem celebritatem loci fieri poterat, ut domus Attici pluris esset.

Epist. DLXXVII. *post discessum tuum*] Nempe inter hanc epistolam et superiorem Atticus cum Cicerone congressus erat fortasse in loco inter Tusculanum et

sentio. Quamobrem, ut ante ad te scripsi, aut ego ad te totus, aut tu ad me, quod licebit.

EPISTOLA DLXXVIII. (ad Att. XII. 49.)

Scr. in Tusculano circiter XII. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De Pseudo-Marii mandatis et literis 1. *de Curtii petitione consulatus* 2. *de Tironis valetudine, epistola ad Caesarem et hortis Scapulanis* 3.

CICERO ATTICO S.

Heri non multo post, quam tu a me discessisti, quidam urbani, ut videbantur, ad me mandata, et literas attulerunt a C. Mario C. F. C. N. Multis verbis agere mecum per cognationem, quae mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per elo-

---

urbem. Nunc eum iterum in Tusculano exspectabat.

ut ante ad te scripsi.] Hae literae interciderunt.

totus] intelligunt cum omni familia.

Epist. DLXXVIII. 1. *quidam urbani*] Vulgo *puto, quidam urbani*. Sed *puto* superfluum esset, quia sequitur, *ut videbantur*. Itaque erant, qui mallent *pueri quidam urbani*. Optimum visum est simpliciter scriptum *quidam urbani*. Idque Gronovius ambiguum esse dicebat, utrum homines ex urbe, an ioculares et derisores intellexerit. Fortasse illis ipsis Marii mandata, quae ad Ciceronem perferebant, ridicula visa sunt.

C. Mario]. Hic fuit Pseudo-Marius et vero nomine Herophilus quidam, medicus equarius, quem antea Caesar extra Italiam relegaverat; deinde post mortem Caesaris carceri impactus et necatus est ad Att. XIV. 8. Philipp. 1, Valer. Max. IX. 15. *Popma*.

cognationem] quia Ciceronis avus amitam C. Marii septies consulis in matrimonio habuerat lib. III. de legg. c. 13. *Manut.*

per eum Marium] Cicero scripsit versibus librum de C. Mario eumque inscripsit *Marius* lib. I. de legg. cap. 1. *Manut.*

quentiam L. Crassi, avi sui, ut se defenderem: causamque suam mihi perscripsit. Rescripsi patrono illi nihil opus esse, quoniam Caesaris, propinqui eius, omnis potestas esset, viri optimi, et hominis liberalissimi: me tamen ei fauturum.

2 O tempora! fore, quum dubitet Curtius consulatum petere? Sed haec hactenus.

3 De Tirone, mihi curae est. Sed iam sciam, quid agat. Heri enim misi, qui videret; cui etiam ad te literas dedi. Epistolam ad Caesarem tibi misi. Horti quam in diem proscripti sint, velim ad me scribas.

L. Crassi avi sui] Nempe Herophilus finxerat Crassum illum Oratorem, Q. Mutii Scaevolae in consulatu collegam avum suum maternum esse.

ut se defenderem] contra eos, qui negabant C. Marii nepotem esse. *Manut.*

propinqui eius] C. Marius ille septem consulatibus insignis uxorem duxit Iuliam Caesaris amitam. Ideo propinquum eius Caesarem appellat Plutarch. in Mario et Caesare. Sueton. in Iulio c. 6, qui eam a Caesare pro rostris laudatam scriptum reliquit, quod et Plutarchus tradidit. *Manut.*

2. *Curtius*] Curtius Postumus, quem iam olim Cicero dibaphum cogitare, i. e. sacerdotium petere indignatus erat ep. 372. Hunc Atticus scripserat, dubitare an consulatum petat. Id vero Cicero ferendum negat, huius farinae hominem de consulatu petendo cogitare.

3. *epistolam ad Caesarem*] scil. συμβουλευτικὴν illam, de re publ. ordinanda, de qua iam dixerat ep. 567. cuius etiam infra mentionem facit ep. 580. 581.

horti] Scapulani, quorum auctio futura erat. *Manut.*

EPISTOLA DLXXIX. (ad Att. XII. 50.)

Scr. in Tusculano XI. Kal. Quint. A. U. C. 708.

Petit ab Attico ut se mox revisat.

CICERO ATTICO S.

Ut me levarat tuus adventus, sic discessus afflixit. Quare quum poteris, id est, quum Sexti auctioni operam dederis, revises nos. Vel unus dies mihi erit utilis; quid dicam, gratus? ipse Romam venirem, ut una essemus, si satis consilium quadam de re haberem.

EPISTOLA DLXXX. (ad Att. XII. 51.)

Scr. in Tusculano XI. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De Tironis reditu aliorumque adventu 1. de auctione hortorum 2. de epistola ad Caesarem mittenda 3. de Caerelliae nomine expediendo 4.

CICERO ATTICO S.

Tironem habeo citius, quam verebar. Venit etiam Nicias: et Valerium hodie audiebam esse venturum. Quamvis multi sint, magis tamen ero solus, quam si tu unus esses. Sed exspecto te, a Peduceo utique. Tu autem significes aliquid etiam ante. Verum id quidem, ut poteris.

Epist. DLXXIX. *Sexti*] Peducei.

quadam de re] videtur Terentiae negotia tangere.

Epist. DLXXX, 1. *quam verebar*] quia aegrotaverat.

Nicias] Grammaticus ille, de quo supra ep. 544.

Valerius] Fortasse L. Valerius quem iurisconsultum vocat ad Fam. I. 10. (h. ed. ep. 165.) et III. 1. (h. ed. 180.) vel Valerium Catullum, poetam, quem videtur etiam significare VII. 11. (h. ed. 167.) vel P. Valerium, quem comitem et familiarem vocat Philipp. I. c. 3. *Corrad.*

a Peduceo] post auctionem Peducei. *Manut.*

2 De Virgilio, ut scribis. Hoc tamen velim scire, quando auctio.

3 Epistolam ad Caesarem mitti, video tibi placere. Quid quaeris? mihi quoque hoc idem maxime placuit, et eo magis, quod nihil est in ea, nisi optimi civis; sed ita optimi, ut tempora, quibus parere omnes πολιτικοὶ praecipiunt. Sed scis, ita nobis esse visum, ut isti ante legerent. Tu igitur id curabis. Sed, nisi plane iis intelliges placere, mittenda non est. Id autem utrum illi sentiant, anne simulent, tu intelliges. Mihi simulatio pro repudiatione fuerit. τοῦτο δὲ μηλώσῃ.

---

2. *quando auctio*] hortorum Scapulanorum. Nam Virgilius unus ex coheredibus Scapulanis quod infra XIII. 26. non obscure perspicitur. Scribit enim sic: *de Virgilii parte valde probo. Sic ages igitur; et quidem id erit primum, proximum Clodiae* — *Manut.*

3. *Epistolam ad Caesarem*] de qua supra ep. 567. 578.

ut tempora] ut postulant tempora. Nihil enim scripsi in epistola, nisi quod optimum civem deceret, sed ut temporibus tamen paruerim; quasi dicat: non plane tamen, quod sentiebam, edidi. Quid ages? Tempora ita ferunt. *Manut.*

ut isti] Caesariani, Ciceronis amici.

simulatio pro repudiatione] nam si eos simulare senseris, pro eo accipiam, quasi epistolam repudiarint. *Manut.*

τοῦτο δὲ μηλώσῃ —] In cod. Bosii scriptum erat ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΜΥΙΛΟΣΗ. Inde Bosius fecit: τοῦτο δὲ μυῖα ὅση, idque accipiebat sic, quasi Cicero diceret, se hac repudiatione non magis quam muscae obluctatione a consilio et proposito dimotum iri. Alii auctoribus Victorio et Iunio scripserunt τοῦτο δὲ μηλώσῃ; idque Graevius et Ernestius probaverunt: *tu igitur hoc explorabis.* μηλοῦν scilicet a μήλη, quod est instrumentum chirurgicum, quo solent vulnera, quam profunda sint, et quid in iis lateat, quod extrahendum sit, perscrutari. Ergo μηλοῦν sic proprie ac tropice ponitur, ut nostrum *sondiren.* Ceterum si μυῖα verum esset, legerem τοῦτο δὲ μυῖαν ὡς, ut Cicero respexerit ad versiculum Homericum Iliad. Δ. 130. ὡς ὅτε μήτηρ παιδὸς

De Caerellia quid tibi placeret, Tiro mihi narravit: debere, non esse dignitatis meae; perscriptionem tibi placere; hoc metuere, alterum in metu non ponere. Sed et haec, et multa alia coram. Sustinenda tamen, si tibi videbitur, solutio est nominis Caerelliani, dum et de Metone, et de Faberio sciamus. 4

EPISTOLA DLXXXI. (ad Att. XII. 52.)

Scr. in Tusculano X. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De Tullii Montani negotio 1. *de epistola ad Caesarem et de hortis emendis* 2. *de Lentuli Spintheris divortio* 3. *de libris philosophicis* 4.

CICERO ATTICO S.

L. Tullium Montanum nosti, qui cum Cicerone profectus est. Ab eius sororis viro literas accepi, Montanum Planco debere, quod praes pro Flaminio sit, H-S xxv: de ea re nescio quid te a Montano rogatum. Sane velim, sive Plancus est rogandus, sive

---

ἐέργει μυῖαν ὅθ' ἡδεῖ λέξατο ὕπνῳ; Atticumque monere voluerit, ut hanc rem caute tractet, ne illa epistola sibi forte turbas aut molestiam pariat, quemadmodum sedula mater muscam a dormiente infante caute sic abigit, ne dulci somno excitetur.

4. *debere non esse d. m.*] Tiro mihi narravit, tibi visum non esse dignitatis meae Caerelliae diutius debere.

perscriptionem] solutionem per delegationem; nostri dicunt *Assignation.*

hoc, metuere — ponere] Hic versiculus videtur ex antiquo poeta. Eodem usus est in Topicis, cap. 13.

Metone] videtur eandem pecuniam significare, quam sibi Meto ille ex delegatione debebat, de qua supra ep. 444.

Epist. DLXXXI. 1. *Flaminio*] Flamma Flaminio. De eodem negotio quod Montanus pro pecunia quam ille Planco debebat, praes factus erat, alibi quoque agitur lib. XIV. ep. 16. ad Att.

est rogandus] ne statim

qua re potes illum iuvare, iuves. Pertinet ad nostrum officium. Si res tibi forte notior est, quam mihi; aut si Plancum rogandum putas: scribas ad me velim, ut quid rei sit, et quid rogandum, sciam.

2 De epistola ad Caesarem quid egeris, exspecto. De Silio, non ita sane laboro. Tu mi aut Scapulanos, aut Clodianos efficias, necesse est. Sed nescio, quid videris dubitare de Clodia; utrum, quando veniat, an sintne venales?

3 Sed quid est, quod audio, Spintherem fecisse divortium?

4 De lingua Latina securi es animi, dices, qui talia conscribis; ἀπόγραφα sunt; minore labore fiunt; verba tantum affero; quibus abundo.

---

praedem Montanum adoriatur, et de solutione appellet.

2. *de Clodia*] de hortis Clodianis.

utrum quando veniat] Num id est quod dubitas, quo die ventura sit Clodia, an sintne omnino venales eius horti. *Veniat* legitur in edd. pr. et recte quidem; nam et alibi agitur de adventu Clodiae exspectato. Aldus tamen dedit *veneant*, quod servavit Gruterus.

3. *Spintherem fecisse divortium*] P. Lentulum Spintherem, Publii Lentuli Spintheris qui in bello civili perierat filium intellige, qui divortium fecit cum uxore Metella. Mirum Iunio h. l. ex nomine Spintheris aliquid obsceni suboluisse.

4. *de lingua Latina securi es animi*] Recte hoc Popma post Corradum et Manutium interpretatur: tu non labores de egestate Latinae linguae, qui ista philosophica conscribis, quae verbis aptis et usitatis exprimi vix possunt. Frustra iis obloquitur Gronovius, qui sic exponit: Quod Latine scribo philosophica, fortasse indicabis me omnem moerorem exuisse et prorsus tranquillo securoque esse animo.

ἀπόγραφα sunt] Scito me illa philosophica, quae scribo, tantum vertere e Graecis, et propemodum describere; ideo magnae meditationis non sunt. *Gronov.*

EPISTOLA DLXXXII. (ad Att. XII. 53.)

Scr. in Tusculano X. Kal. Quint. A. U. C. 708.

Scribit se literas Attici exspectare, et petit ut epistolas suas ad Marcianum et ad Montanum una cum Epiroticis perferendas curet.

CICERO ATTICO S.

Ego, etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui videor. Hic nobiscum sunt Nicias, et Valerius. Hodie tuas literas exspectabamus matutinas. Erunt fortasse alterae postmeridianae, nisi te Epiroticae impedient: quas ego non interpello. Misi ad te epistolas ad Marcianum, et ad Montanum. Eas in eundem fasciculum velim addas, nisi forte iam dedisti.

EPISTOLA DLXXXIII. (ad Att. XIII. 1.)

Scr. in Tusculano IX. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De literis ad Ciceronem filium et Tullios ab Attico missis 1. de hortorum emendorum negotio 2. de epistola ad Caesarem; de Nicia et Peduceo. 3.

CICERO ATTICO S.

Ad Ciceronem ita scripsisti, ut neque severius, neque temperatius scribi potuerit; nec magis, quam

---

Epist. DLXXXII. *Epiroticae*] Vulgo additur *literae*, quod Manutio auctore delevi. Sunt autem literae, quas Atticus in Epirum negotiorum suorum caussa scribebat.
eas in eundem fasciculum velim addas] quem in Epirum mittis, ut ex Epiro deinde Athenas deferantur. Nam Athenis erant Martianus et Montanus cum Ciceronis filio. *Manut.*

Epist. DLXXXIII. 1. *ad Ciceronem*] quem Athenis immoderatos sumptus facere percrebuerat.
ut neque] Vulgo *ulli ut neque*. At illud *ulli* recte delevit Ernestius.

quemadmodum ego maxime vellem. Prudentissime etiam ad Tullios. Quare aut ista proficient, aut aliud agemus.

2 De pecunia vero, video a te omnem diligentiam adhiberi, vel potius iam adhibitam: quod si efficis, a te hortos habebo. Nec vero ullum genus possessionis est, quod malim, maxime scilicet ob eam causam quae suscepta est; cuius festinationem mihi tollis, quoniam de aestate polliceris, vel potius recipis: deinde etiam ad καταβίωσιν moestitiamque minuendam nihil mihi reperiri potest aptius: cuius rei cupiditas impellit me interdum, ut te hortari velim. Sed me ipse revoco. Non enim dubito, quin, quod me valde velle putes, in eo tu me ipsum cupiditate vincas. Itaque istuc iam pro facto habeo.

3 Exspecto, quid istis placeat de epistola ad Caesarem. Nicias te, ut debet, amat, vehementerque tua sui memoria delectatur. Ego vero Peduceum nostrum vehementer diligo. Nam et quanti patrem feci, totum in hunc: et ipsum per se aeque amo, atque illum amavi; te vero plurimum, qui hoc ab utroque nostrum fieri velis. Si hortos inspexeris, et si de epistola certiorem me feceris; dederis mihi, quod ad te scribam: sin minus, scribam tamen aliquid. Numquam enim deerit.

---

maxime vellem] i. e. si in utroque genere summum fieri aut facere ipse vellem. *Ernesti.*

Tullios] Martianum et Montanum, qui cum Cicerone Athenis erant. *Manut.*

2. *de pecunia*] a debitoribus exigenda, ut hortos emere posset. *Manut.*

καταβίωσιν] ad decursum reliquum vitae. *Gronov.*

3. *istis placeat*] Caesarianis, mittenda sit ad Caesarem necne. *Manut.*

Nicias] hic erat apud Ciceronem. *Manut.*

totum in hunc] scil. transtuli.

EPISTOLA DLXXXIV. (ad Att. XIII. 2.)

Scr. in Tusculano IX. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De literis Attici et negotiis ei mandatis, 1. *de Ariarathis adventu* 2. *de auctione Peducei* 3. *de Dionysii literis* 4.

CICERO ATTICO, S.

Gratior mihi celeritas tua, quam ipsa res. Quid enim indignius? sed iam ad ista obduruimus, et humanitatem omnem exuimus. Tuas literas hodie exspectabam, nihil equidem ut ex iis novi: quid enim? verumtamen. Oppio et Balbo epistolas deferri iubebis, et tamen Pisonem sicubi de auro. Faberius si venerit, videbis ut tantum attribuatur, si modo attribuetur, quantum debetur. Accipies ab Erote.

Epist. DLXXXIV. 1. *celeritas tua*] in nuntiando.

quam ipsa res] quam mihi nuntiasti. Quae sit illa divinari non potest. Popma de Cicerone filio accepit; sed videtur potius ad aliquod Terentiae factum pertinere.

humanitatem] i. e. humanum sensum malorum.

epistolas] quibus eos Cicero rogaverat, ut exactionem Faberiani nominis adiuvarent. *Manut.*

et tamen — de auro] Quamquam ad Oppium et Balbum scripsi de Faberio, tu tamen, sicubi Pisonem poteris, convenias, ut cum eo de auro colloquaris. Et, opinor hoc intelligit, ut ad emptionem hortorum auream pecuniam a Pisone argentario mutuam sumeret usura pendenda, vel ut argentea pecunia Pisoni daretur, Piso auream redderet. Pisonem autem argentarium fuisse indicat illud XII. 5. (h. ed. 449.) *Ad Aulum scripsi, ut ea, quae bene nossem de auro, Pisoni demonstraret*, quo etiam loco de permutatione agitur. Et infra ep. 4. (h. ed. 590.) *si quid poteris*, inquit, *cum Pisone conficies; Aulus enim videtur in officio futurus*. Utrobique enim Auli mentio, et utrobique eius opera apud Pisonem Cicero videtur uti. *Manut.*

ut tantum attribuatur] ut tantum quantum Faberius debet venditoribus hortorum attribuatur, si modo attribuetur; i. e. si modo per delegationem solvetur.

accipies ab Erote] cognosces ab Erote quantum no-

2 Ariarathes, Ariobarzani filius, Romam venit. Vult, opinor, regnum aliquod emere a Caesare. Nam, quo modo nunc est, pedem ubi ponat in suo, non habet. Omnino eum Sestius noster parochis publicis occupavit: quod quidem facile patior. Verumtamen, quod mihi, summo beneficio meo, magna cum fratribus illius necessitudo est, invito eum per literas, ut apud me diversetur. Ad eam rem quum mitterem Alexandrum, has ei dedi literas.

3 Cras igitur auctio Peducei. Quum poteris ergo; etsi impediet fortasse Faberius; sed tamen, quum licebit.

---

bis a Faberio debeatur. Is enim Ciceronis rationes procurabat. *Manut.*

2. *parochis publicis*] Alii legunt *parochus publicus*, quod minus probo. Parochae publicae sunt lautia, quae legatis exterarum nationum et aliis senatu decernente praebebat Quaestor urbanus, ut hic P. Sestius. Et Parochus est, qui praebet lautia, puta domum, et omnia ad victum necessaria munera. Nec in urbe tantum, sed etiam in provinciis Parochus, qui magistratibus provincialibus iter facientibus lignum, oleum, salem, vehicula praebebat. *Popma.*

occupavit] praevenit, inquit, me Sestius loca et lautia praebendo, (iussu Senatus) ut solebat fieri legatis externorum populorum et regibus Romam venientibus, assentior enim iis, qui scribunt *parochis publicis*, παροχαῖς. *Gronov.*

summo beneficio meo] nam Ariobarzanem, eius fratrem, Cappadociae regem praesentibus insidiis nec opinantem liberaverat regnumque ei servaverat. (ep. 219. 220. 238.) *Manut.*

cum fratribus] Unum Ariobarzanem servavit ut ipse ad Catonem et ad senatum scribit, et unum ibi nominat Ariobarzanis fratrem Ariarathem, ut hic videatur *fratre* legendum potius quam *fratribus*; sed repugnantibus antiquis libris nihil muto. *Manut.*

3. *auctio Peducei*] cui operam dare Atticus volebat. *Manut.*

quum poteris ergo] sc. ad me venies.

etsi — Faberius] exactio nominis Faberiani. *Manut.*

Dionysius noster graviter queritur, et tamen iure, 4
a discipulis abesse tam diu. Multis verbis scripsit ad me, credo item ad te. Mihi quidem videtur etiam diutius afuturus: ac nollem. Valde enim hominem desidero.

EPISTOLA DLXXXV. (ad Att. XIII. 3.)

Scr. in Tusculano VIII. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De nominibus ad hortos emendos expediendis. 1. *de Bruti adventu.* 2.

CICERO ATTICO, S.

A te literas exspectabam; nondum scilicet. Nam has mane rescribebam. Ego vero ista nomina

---

4. *a discipulis*] non Ciceronibus filiis, quorum alter erat in Hispania, alter Athenis, sed a me ipso et aliis quos habet. *Manut.*

afuturus: ac nollem] Corrado placebat: *diutius afuturus ac vellem.*

Epist. DLXXXV. 1. *a te literas — nondum scilicet:*] Exspectabam a te literas, nondum tamen hac ipsa hora, nam has ad te literas mane rescribebam, ut tabellarii tui mane Roma exeuntes nondum ad me potuerint pervenire.

ista nomina] Dupliciter hoc potest intelligi. Vel enim ei qui Ciceroni debebant, ut Faberius, ad alios quosdam suos debitores eum delegaverant, eamque delegationem Cicero ait a se probari; vel Cicero ipse pecuniam ab aliquot creditoribus mutuam sumere, et nomina facere volebat, ut paratam haberet ad hortos emendos pecuniam: quod si placeat, Cicero significat istos creditores sibi probari; etiamsi Atticus dubitare videatur. Potest autem dubitari an creditoribus quibusdam utamur, vel si parum constet, an pecuniam, quam se mutuam daturos promiserint, iusto tempore soluturi sint; vel si iniquas usuras postulent; aut aliud forte sit, quod nos in iis offendat. Gronovius tamen aliter explicat. „Videndum, inquit, an hic *nomina* sint praedes, quos Cicero daturus erat in auctione hortorum Scapulanorum; et quod

ſic probo, ut nihil aliud me moveat, niſi quod tu videris dubitare. Illud enim non accipio in bonam partem, quod ad me refers: qui ſi ipſe negotium meum gererem, nihil gererem, niſi conſilio tuo. Sed tamen intelligo, magis te id facere diligentia, qua ſemper uteris, quam quod dubites de nominibus iſtis. Etenim Coelium non probas: plura non vis. Utrumque laudo. His igitur utendum eſt; aut praes aliquando factus eſſes,

---

dicitur dubitare Atticus, id ſit, eum dubitare an venditores eos ſint accepturi pro idoneis. Optat autem Cicero, induci potuiſſe Atticum, ut quandoque praes fieret, tanquam ſecurior futurus, et non dubitans Atticum ſoluturum, etiamſi ipſe eum deſtituerat, quod ſcilicet de iſtis ſperare non poterat. Ergo, inquit, omnia a me praeſtabuntur, quia in praedibus non confido fore aliquem, qui meum aliquantisper accipiat onus."

Coelium non probas] non ſuades mihi ut ab eo pecuniam mutuam ſumam. Boſius et Popma intelligunt, de auro et argento, pretioſa ſupellectile pro pecunia cum Coelio argentario permutanda. Verum in his verbis nihil eſt, quod hoc nobis perſuadeat. Multo facilius eſt ſic intelligere: *etenim Coelium* creditorem *non probas.*

plura non vis] non vis ut plura nomina contrahamus.

aut praes] Praepoſui *aut*; quod niſi additur, abruptior eſt ſententia.

praes aliquando factus eſſes] Cornelius Nepos in vita Attici c. 6. *Ad hastam publicam nunquam acceſſit. Nullius rei neque praes, neque manceps factus eſt.* Hic quamquam tantum ſignificari videtur eum nunquam in iſtis negotiis, quae ad haſtam publicam pertinebant, quum damnatorum civium, vel victori inviſorum bona per auctionem vendebantur, vel praedem, vel mancipem ſ. ſectorem fuiſſe, fieri tamen poteſt, ut Atticus etiam in privatis negotiis noluerit unquam pro aliquo praes fieri, aut fideiubere. Hoc enim bene reſpondet ſingulari eius fidei et prudentiae, quam idem Nepos his verbis deſcribit: *Quicquid rogabatur, religioſe promittebat; quod non liberalis, ſed levis arbitrabatur, polliceri, quod praeſtare non poſſet.* Itaque ſic interpretandum: Aut, niſi his nominibus vellemus uti, tu aliquando,

et in his quidem tabulis. A me igitur omnia. Quod dies longior est, (teneamus modo quod volumus) puto fore istam etiam a praecone diem, certe ab heredibus. De Crispo et Mustela videbis: et velim scire, quae sit pars duorum.

De Bruti adventu eram factus certior. Attulerat enim ab eo Aegypta libertus literas. Misi ad te epistolam, quia commode scripta erat. 2

EPISTOLA DLXXXVI. (ad Att. XIII. 27.)

Scr. in Tusculano VIII. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De epistola ad Caesarem omittenda 1. *de hortis Scapulanis* 2. *de Erote ad Atticum misso.* 3.

CICERO ATTICO, S.

De epistola ad Caesarem, nobis vero semper rectissime placuit, ut isti ante legerent. Aliter enim

---

quod alias nunquam facere soles, praes factus esses, et in his quidem tabulis auctionariis hortorum Scapulanorum pro me fideiussisses.

omnia] scil. praestabuntur.

quod dies longior est] quantum ad id attinet, quod dies meorum nominum longior est, quam ut pecuniam repraesentare possim; spero praeconem in tam longam diem, quam illa nostrorum nominum sit, solutionem destinaturum; aut si id a praecone impetrare non possum, certe ab heredibus Scapulanis assequar. Teneamus modo, quod volumus, et hortos illos nobis elabi ne sinamus. Haec enim verba, *teneamus modo quod volumus*, κατὰ παρένθεσιν sunt legenda. *Bosius.*

de Crispo et Mustela videbis] ut in auctione Scapulanorum hortorum, quantum poterint, nos adiuvent. Erant enim coheredes, quod insequens membrum declarat. *Manut.*

pars duorum] Fortasse legendum *pars horum duorum*, vel quod Ernestio placebat, *pars eorum*.

2. *ad te epistolam*] mihi a Bruto missam.

Epist. DLXXXVI. 1. *de epistola ad Caesarem*] significat illum librum συμβουλευτικόν, de quo ep. 567. 583.

isti ante] Caesariani, qui Romae erant.

fuissemus et in hos inofficiosi, et in nosmetipsos, si illum offensuri fuimus, paene periculosi. Isti autem ingenue; mihique gratum, quod, quid sentirent, non reticuerunt: illud vero vel optime, quod ita multa mutari volunt, ut mihi de integro scribendi causa non sit: quamquam de Parthico bello quid spectare debui, nisi quod illum velle arbitrabar? Quod enim aliud argumentum epistolae nostrae, nisi κολακεία, fuit? An, si ea, quae optima putaram, suadere voluissem, oratio mihi defuisset? Totis igitur literis nihil opus est. Ubi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit, ἀπότευγμα vel non magnum, molestum futurum sit; quid opus est παρακινδυνεύειν? praesertim quum illud occurrat, illum, quum antea nihil scripserim, existimaturum,

---

si illum] Caesarem.

quod ita multa — causa non sit] Ernestius ab h. l. sensu prorsus aberravit. Ita enim exponit: multa illi quidem, sed tamen ut non causa sit novam epistolam scribendi, sed illa omnia facile, salva reliqua epistola universa, corrigi possint. Atqui Cicero de correctione huius epistolae minime cogitabat; sed ait sibi hoc ex animi sententia cecidisse, quod illi Caesariani tam multa mutari voluerint, ut iusta sibi causa sit, omnino haec epistolam ad Caesarem non mittendi; quippe qui nolit eam de integro scribere. Id paulo post clare sic innuit: *totis igitur literis nihil opus est.*

de Parthico bello] Cicero inter alia suaserat Caesari ut bellum adversus Parthos gereret.

quae optima putaram] scilicet ex animi mei sententia si Caesari consilia dare, i. e. ut rem publicam et libertatem restitueret, suadere voluissem.

ubi enim — παρακινδυνεύειν] ubi enim emolumentum magnum nullum fieri possit (nihil enim aliud lucrari possum hoc libro ad Caesarem misso, nisi forte ut aliquis ad illius in me benivolentiam cumulus accedat) damnum autem vel non magnum molestum futurum sit, (scil. si Caesar vel leviter quibusdam epistolae meae locis offendatur) quid opus est periclitari?

me, nisi toto bello confecto, nihil scripturum fuisse. Atque etiam vereor, ne putet, me hoc quasi Catonis μείλιγμα esse voluisse. Quid quaeris? valde me poenitebat. Nec mihi in hac quidem re quidquam magis ut vellem, accidere potuit, quam quod σπουδὴ nostra non est probata. Incidissemus etiam in illos, in eis in cognatum tuum.

2 Sed redeo ad hortos. Plane illuc te ire, nisi tuo magno commodo, nolo. Nihil enim urget. Quidquid erit, operam in Faberio ponamus. De die tamen auctionis, si quid scies.

3 Erotem, qui e Cumano venerat, quod et plane valere Atticam nuntiabat, et literas se habere aiebat, statim ad te misi.

---

me nisi toto bello confecto] me exspectasse exitum Hispaniensis belli, deinde scripsisse; quasi antea ideo non scripserim, quod de Pompeianorum victoria speraverim. *Manut.*

μείλιγμα] ne putet me ob eam caussam hanc sibi epistolam misisse, ut hoc quasi munere eum placarem, alienatum eo libro, quem scripsi de laudibus Catonis. *Manut.*

quam quod — probata] quod Caesariani qui Romae sunt studium nostrum in eo libro positum non omnino probarunt.

in illos] qui apud Caesarem sunt qui ex illa epistola nacti occasionem calumniandi, operam darent; ut me in odium Caesaris adducerent. *Manut.*

cognatum tuum] Q. Ciceronem filium.

2. *ad hortos*] Scapulanos.

illuc te ire] ad eos inspiciendos.

de die — auctionis] hortorum Scapulanorum.

3. *Erotem*] Ita rescripsi pro *eum*, in quo nomen illud Erotis, qui erat Attici libertus, latere visum est.

e Cumano] ubi tum erat Attica cum matre Pilia.

EPISTOLA DLXXXVII. (ad Att. XIII. 28.)

Scr. in Tusculano VII. Kal. Quint. A. U. C. 708.

Expectat quid de hortis Attico visum sit 1. *de epistola ad Caesarem omittenda.* 2. *de Nicine discessu.* 3.

CICERO ATTICO, S.

Hortos quoniam hodie eras inspecturus, quid visum tibi sit, cras scilicet. De Faberio autem, quum venerit.

2 De epistola ad Caesarem, iurato mihi crede, non possum; nec me turpitudo deterret, etsi maxime debebat. Quam enim turpis est assentatio, quum vivere ipsum turpe sit nobis? sed, ut coepi, non me hoc turpe deterret; ac vellem quidem; (essem enim, qui esse debebam,) sed in mentem nihil venit. Nam, quae sunt ad Alexandrum hominum eloquentium et doctorum suasiones, vides quibus in rebus versentur. Adolescentem, incensum cupiditate verissimae gloriae, cupientem sibi aliquid consilii dari, quod ad laudem sempiternam valeret, cohortantur. Ad deous non deest oratio. Ego quid possum? tamen nescio quid e quercu exsculpseram, quod videretur simile simulacri. In eo quia nonnulla erant paullo meliora, quam ea, quae

---

Epist. DLXXXVII. 2. *non possum*] aliam ad Caesarem epistolam scribere, quum in illa quam scripseram eius amicis tum multa displicuerint.

debebat] Hoc Ernestius recte reposuit pro vulg. *debeat*, ut paulo post *debebam* pro *debeam*.

in mentem nihil venit] quod possim praeter ista, quae iam scripseram, ad Caesarem scribere.

eloquentium et doctorum] ut Aristotelis et Theopompi ep. 567.

non deest] istis Graecis.

tamen — simulacri] tamen ex dura et parum commoda materia aliquid effeceram, in quo Caesar vere laudari sibi videri posset.

fiunt et facta ſunt, reprehenduntur: quod me minime poenitet. Si enim perveniſſent iſtuc literae, mihi crede, nos poeniteret. Quid? tu non vides ipſum illum Ariſtoteli diſcipulum, ſummo ingenio, ſumma modeſtia, poſteaquam rex appellatus ſit, ſuperbum, crudelem, immoderatum fuiſſe? quid? tu hunc de pompa, Quirini contubernalem, his noſtris moderatis epiſtolis laetaturum putas? ille vero potius non ſcripta deſideret, quam ſcripta non probet. Poſtremo, ut volet. Abiit illud, quod tum me ſtimulabat, quod tibi dabam, πρόβλημα Ἀρχιμήδειον. Multo mehercule magis nunc opto caſum illum, quem tum timebam, vel quem libebit.

Niſi quid te aliud impediet, mi optato veneris. 3
Nicias a Dolabella magno opere arceſſitus, (legi enim literas,) etſi invito me, tamen eodem me auctore profectus eſt. Hoc manu mea.

---

et facta ſunt] a Caeſare.

quod me minime poenitet] quae reprehenſio mihi minime eſt moleſta, immo potius iucunda, quod ex ea intellexi totis illis literis nihil opus eſſe.

nos poeniteret] quod Caeſar offenſus mihi ſuccenſuiſſet.

hunc — Quirini contubernalem] nam auctore Suetonio Caeſar ampliora etiam humano faſtigio decerni ſibi paſſus eſt, ſedem auream in curia, et pro tribunali thenſam, et ferculum circenſi pompa, templa, aram, ſimulacra iuxta deos, pulvinar, flaminem, Lupercos. Et Dio Caſſ. lib. XLIII. narrat, decreviſſe ſenatum, ut eburnea Caeſaris ſtatua et currus etiam ſolidus, quo die curſus equorum in circo ſpectantur, inter deorum imagines in pompa geſtaretur, et ut alia praeterea ſtatua in Quirini templo poneretur, cum hac inſcriptione: DEO INVICTO. *Manut.*

πρόβλημα Ἀρχιμήδειον] reſpicit ea quae ſcripſerat ep. 445. quum Catonis laudem aggrederetur.

caſum illum] graviſſimam Caeſaris offenſionem, quae vel mortis, vel exſilii periculum mihi afferre poterat. Hunc caſum ait ſe, quoniam

EPISTOLA DLXXXVIII. (ad Att. XIII. 29.)

Scr. in Tusculano a. d. VII. Kal. Quint. A. U. C. 708.

Niciae de Iuvencio Thalna iudicium refert. 1. de hortis emendis quid fieri velit, exponit 2.

CICERO ATTICO, S.

Quum quasi alias res quaererem de philologis e Nicia, incidimus in Thalnam. Ille de ingenio nihil nimis; modestum et frugi. Sed hoc mihi non placuit. Se scire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. filiam, vetulam sane, et multarum nuptiarum: non esse probatum mulieribus, quod ita reperirent, rem non maiorem DCCC. Hoc putavi te scire oportere.

2 De hortis ex tuis literis cognovi, et Chrysippo. In villa, cuius insulsitatem bene noram, video nihil, aut pauca mutata. Balnearia tamen laudat maiora:

---

ob filiae mortem vitae pertaesum sit, nunc magis optare, quam extimescere.

Ep. DLXXXVIII. 1. *quum quasi alias res*] Quum interrogarem Niciam, quinam essent eruditiores in literis, possentque de iis bene disserere; nam hi sunt philologi; idque facerem, ne animadverteret quid vellem, et quare interrogarem. Nempe volebat de Thalna cognoscere eius iudicium, ad quem videbat sermonem venturum, quod sciebat eum esse doctum. *Ernesti.*

Thalnam] e Iuvenciis. Vulgo scribitur *Talnam*: Alteram scripturam fasti Capitolini confirmant.

sed hoc mihi non placuit] nempe quod sequitur.

hoc putavi te scire oportere] Atticus Ciceronem de hoc Thalna consuluisse videtur, quod ei fortasse cogitaverat virginem sibi cognatione vel amicitia coniunctam despondere.

2. *de hortis*] Scapulanis, quos Atticus inspexerat. *Manut.*

et Chrysippo] ex Chrysippi sermone. Hortis enim cum Attico inspectis ad Ciceronem profectus est. Erat autem architectus, fueratque Cyri architecti libertus, ad Att. XIV. 9. ad Fam. VII. 14. *Manut.*

de minoribus ait hiberna effici posse. Tecta igitur ambulatiuncula addenda est; quam ut tantam faciamus, quantam in Tusculano fecimus, prope dimidio minoris constabit isto loco. Ad id autem, quod volumus, ἀφίδρυμα, nihil aptius videtur, quam lucus, quem ego noram: sed celebritatem nullam tum habebat; nunc audio maximam. Nihil est, quod ego malim. In hoc τὸν τῦφόν μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον. Reliquum est, si Faberius nobis nomen illud explicat, noli quaerere, quanti. Othonem vincas volo. Nec tamen insaniturum illum puto. Nosse enim mihi hominem videor. Ita male autem audio ipsum esse tractatum, ut mihi ille emptor non esse videatur. Quid enim? pateretur? sed quid argumentor? si Faberianum explicas, emamus vel magno: sin minus, ne parvo quidem possumus. Clodiam igitur; a qua ipsa ob eam caussam sperare videor, quod et multo minoris sunt, et Dolabellae nomen iam expeditum videtur, ut etiam

---

ἀφίδρυμα] *fanum*, Tulliae dedicandum.

τὸν τῦφον] *vanae et insanae ambitioni meae per deos indulge.*

ita male — tractatum] audiverat huic Othoni gravem quandam iniuriam illatam esse, quam quia non ultus sit, putabat eum adeo timidum esse, ut ad illam emptionem non ausurus sit accedere. Cuiusmodi illa iniuria fuerit, non constat. Ernestio videbatur in aliqua auctione aut simili re pecuniaria inductus esse, ut magnam iacturam pecuniae faceret.

quid enim? pateretur] Ita enim. si animum haberet, possetne illam iniuriam perpeti, ac devorare?

Clodiam igitur] int. adi, seu ut ait ep. 51. (h. ed. 590.) *aggredere*, et hortos ut vendat mihi, perfice. Spero enim me eos emere commode posse, quod ei minoris, quam Scapulanos, emere potero, et pecuniam statim spero me solvere posse. *Ernesti.*

et Dolabellae] et Dolabella, quam pecuniam debet, iam eam nobis solvet. Debebat autem ex dote Tulliolae. *Manut.*

repraesentatione confidam. De hortis satis. Cras aut te, aut causam; quam quidem futuram Faberianam. Sed, si poteris.

EPISTOLA DLXXXIX. (ad Att. XIII. 30.)

Scr. in Tusculano VI. Kal. Quint. A. U. C. 708.

De Q. Ciceronis epistolis 1. de auctione et negotio Faberiano 2. denique quaerit, qui decem legati Mummio fuerint. 3.

CICERO ATTICO S.

Ciceronis epistolam tibi remisi. O te ferreum, qui illius periculis non moveris! Me quoque accusat. Eam tibi epistolam misissem. Nunc illam alteram de rebus gestis eodem exemplo puto.

2 In Cumanum hodie misi tabellarium. Ei dedi

---

repraesentatione confidam] ut me pecuniam sine mora numeratam posse sperem.

cras aut te] cras aut te exspecto aut causam, cur non veneris; causam autem, quae te moretur, hanc puto fore, ut pecuniam exigas a Faberio. *Manut.*

Epist. DLXXXIX. 1. *Ciceronis epistolam*] Q. Ciceronis filius duas epistolas ad Atticum miserat; unam in qua referebat pericula, quae in Hispania subierat, alteram de rebus in Hispania gestis. *Popma.*

qui illius periculis] Atticus enim ad Ciceronem scripserat, Quintum filium pericula in bello Hispaniensi exantlata militum gloriosorum more nimis in literis ad ipsum datis exaggerasse.

me quoque accusat] in epistola ad me scripta.

nunc illam alteram] Vulgo *nam illam alteram*. Sed particula *nam* hic non quadrat. Cicero ait: epistolam Quinti fil. ad me scriptam tibi misissem, nisi tu mihi nuntiasses, te praeter istam Quinti ad te epistolam, quam mihi misisti, alteram de rebus in Hispania gestis accepisse. Nunc illam eodem exemplo quo epistolam ad me, scriptam esse puto, ut tibi hanc mittere nihil opus sit.

tuas ad Vestorium, quas Pharnaci dederas. Commodum ad te miseram Demeam, quum Eros ad me venit. Sed in eius epistola nihil erat novi, nisi, auctionem biduum. Ab ea igitur, ut scribis; et velim, confecto negotio Faberiano, quem quidem negat Eros hodie. Cras mane putat. A te colendus est. Istae autem κολακεῖαι longe absunt a scelere. Te, ut spero, perendie.

Mi sicunde potes, erue, qui decem legati Mum- 3
mio fuerint. Polybius non nominat. Ego memini Albinum consularem, et Sp. Mummium. Videor audisse ex Hortensio, Tuditanum. Sed in Libonis annali secundo XIV annis post praetor est factus Tuditanus, quam

---

2. *in eius epistola*] quam mihi a te attulit.

ab ea] statim auctione finita, ut scribis, ad me venies.

quem — putat] quem negat hodie venturum; cras mane venturum putat.

colendus est] Faberius, ut Caesarianus, ut solvat libentius. *Corrad.*

longe absunt] Vulgo *non longe absunt*. Sed I. Fr. Gronovius deleri volebat *non*. Placet. Dixerat blande tractandum esse Faberium, ut facile solveret. Poterat Atticus dicere: non honestum est tales homines adulari. Respondet, in tali re, ut accipiamus nostra, non est turpe uti tali artificio. *Ernesti.*

3. *qui decem legati Mummio fuerint*] Quaerit, qui fuerint legati in Achaiam a Mummio subactam missi, ut eam in provinciam redigerent. Pausan. in Achaicis. *Bosius.*

Tuditanum] C. Sempronium C. F. C. N. Tuditanum.

in Libonis] Vossio de hist. Lat. I. 6. hic L. Scribonius Libo idem esse videtur cum eo, quem Cicero in Bruto c. 23. ait in orationibus non infantem fuisse. Sed mirum fit Ciceronem non fecisse annalium eius mentionem, ubi de eius ratione dicendi iudicium facit. *Ernesti.*

annali secundo] Vulgo abest *secundo*. Id autem Pighius ad a. 608. se legisse testatur in vetere cod. Ms. Granvellae cardinalis.

XIV annis post praetor] Mummius Achaicus cos. fuit

consul Mummius; non sane quadrat. Volo aliquem Olympiae, aut ubi visum, πολιτικὸν σύλλογον, more Dicaearchi, familiaris tui.

EPISTOLA DXC. (ad Att. XIII. 31.)

Scr. in Tusculano a. d. V. Kal. Quintil. A. U. C. 708.

De Attici adventu exspectato 1. de Dicaearchi libris mittendis 2. de epistola ad Caesarem mittenda. 3. de hortis Scapulanis emendis. 4. de Quinti filii luxuria 5.

CICERO ATTICO S.

Quinto kal. mane accepi a Demea literas pridie datas, ex quibus aut hodie, aut cras te exspectare de-

---

a. 614. Tuditanus hic praetor a. 621.

non sane quadrat] non consentaneum est, hominem qui tam longe adhuc abfuerit a consulatu iam legatum in tali causa missum esse, in qua fere Consulares mitti solent. *Ernesti.* Manutius vero sic exponit: Si enim praetor factus est XIV annis post, quam consul Mummius, apparet, quo tempore consul Mummius ad oppugnandam Corinthum est profectus, adolescentem fuisse, ut legatus esse non potuerit.

volo aliquem Olympiae] *volo* primus edidit Manutius, idque et in Ms. reperit Graevius. Lectio edd. pr. ante Manut. *quadratulo* unde Victorius fecit *quadrat*, *ullo*, sed sine sensu. Bosius e coniectura ὑλλῳ. Graevius *volo* restituit, quem secuti sum. Cicero disputationem suam de re publica ordinanda cogitabat singere Olympiae esse habitam, aut alio quo claro loco, ut Dicaearchus scripserat librum, quem Ὀλυμπικὸν vocarat, auctore Athenaeo, XIV. p. 620. item alios, quos nomine loci appellasset, ubi sermones habiti singerentur. *Ernesti.*

πολιτικὸν σύλλογον] *conventum hominum de re publica disputantium.*

Epist. DXC. 1. *a Demea*] eodem liberto, quem sa

berem. Sed, ut opinor, idem ego, qui exſpecto tuum adventum, morabor te. Non enim puto tam expeditum Faberianum negotium futurum, etiam ſi eſt futurum, ut non habeat aliquid morae. Quum poteris igitur, quoniam etiamdum abes.

Dicaearchi, quos ſcribis, libros ſane velim mihi 2
mittas: addas etiam καταβάσεως.

De epiſtola ad Caeſarem, κέκρικα. Atque id 3
ipſum, quod iſti aiunt illum ſcribere, ſe, niſi conſtitutis rebus, non iturum in Parthos; idem ego ſuadebam in illa epiſtola: ſin; utrum liberet, facere poſſe, auctore me. Hoc enim ille exſpectat videlicet, neque eſt facturus quidquam, niſi de meo conſilio. Obſecro,

---

ad Atticum remiſiſſe ſuperiore epiſtola dixerat.

2. *Dicaearchi*] quum Cicero ſuperiore epiſtola ſcripſiſſet ſe more Dicaearchi πολιτικὸν aliquem σύλλογον inſtituiſſe, Atticus ei quosdam Dicaearchi libros, ſi vellet uti, miſſurum ſignificaverat. Cicero igitur ſcribit hoc ſibi placere, rogatque, ut iis libris, quos nominaverat, addat etiam Dicaearchi librum παρὰ τῆς εἰς Τροφωνίου καταβάσεως.

3. κέκρικα] Iam certum eſt quid facturus ſim; non mittam. Ceterum haec lectio eſt e Lambini coniectura, quam cum Graevio lectionibus ceteris praetuli, quae ſunt omnes e coniectura. Lectio prima in ed. Rom. vulgata eſt κελτικὰ, quam Victorius correxit κέκφικα, i. e. fatua, inania; Boſius e veſtigiis Mſſ. κεκύβικα, certo conſtitui quid acturus ſim et in eo permanebo. Lectionem Lambini probat etiam Tunſtallus, p. 146. ſed aliter, nec bene explicat, ut nobis videtur. *Erneſti.*

atque id ipſum — auctore me] Atque id ipſum, quod iſti Caeſariani, amici noſtri aiunt illum ſcribere, ſe niſi conſtitutis Romae rebus, non iturum in Parthos, ego in illa epiſtola, quam nunc omittere decrevi, ſuadebam; ſin autem aliud ei placeret, ſcripſeram meo ſcilicet conſilio facere poſſe, quod liberet.

hoc enim — conſilio] Amara cum ironia iocatur Cicero, ut ſignificet tota ad Caeſarem epiſtola nihil opus

abiiciamus ista, et semiliberi saltem simus; quod assequemur et tacendo, et latendo.

4 Sed et aggredere Othonem, ut scribis. Confice, mi Attice, istam rem. Nihil enim aliud reperio, ubi et in foro non sim, et tecum esse possim. Quanti autem, hoc mihi venit in mentem. C. Albanius proximus est vicinus: is CIↃ iugerum de M. Pilio emit, ut mea memoria est, H-S CXV. omnia scilicet nunc minoris. Sed accedit cupiditas: in qua, praeter Othonem, non puto nos ullum adversarium habituros. Sed eum ipsum tu poteris movere: facilius etiam, si Kanum haberes.

5 O gulam Q. insulsam! pudet me patris. Rescribes, si quid voles.

---

esse, quia is Ciceronis consilia nullo modo desideret, facturusque sit, quod ipsi libuerit.

4. *aggredere Othonem*] velim, quod scribis te facturum, Othonem moneas ne contra nos liceatur, quo facilius ad hortos pervenire possimus. *Manut.*

istam rem] hortos Scapulanos.

quanti — mentem] Quum reputo quanti emere possim Scapulanos hortos, ita ratiocinor: quum C. Albinius proximus vicinus CIↃ iugerum HS. CXV de M. Pilio emerit, nunc iacentibus omnium rerum pretiis debere Scapulanos hos multo minoris esse. *Manut.*

CXV] hoc est *centies quinquies decies*. Nam centum et quindecim millies nimis parvam summam effecerit. *Ernesti.*

Kanum] Q. Gellium Kanum s. Canum, Attici et Othonis amicum.

O gulam Q. insulsam] Vulgo abest nota *Q.* De Quinto filio hic agi Tunstallus vidit, idque recte probat Ernestius. Alii ad Othonem aut Kanum retulere, quod verba *pudet me patris* haud patiuntur. Scripserat aliquid Atticus de insana Q. filii luxuria, quam ex illius epistola ad ipsum scripta intellexerat. Itaque addit Cicero: *pudet me patris*, qui filio istam luxuriam indulgeat. Sed addendum erat *Quinti* nomen, cuius nota facile potuit excidere.

rescribes, si quid voles] vel iat. ad Q. filium vel ad me.

EPISTOLA DXCI. (ad Att. XIII. 32.)

Scr. in Tusculano a. d. V. Kal. Quintil. A. U. C. 708.

De negotio Faberiano conficiendo 1. de Dicaearchi libris mittendis 2. de libris suis Attico reddendis 3. de quaestione Attica proposita de decem legatis 4.

CICERO ATTICO S.

Alteram a te epistolam quum hodie accepissem, nolui te una mea contentum. Tu vero age, quod scribis, de Faberio. In eo enim totum est positum id, quod cogitamus: quae cogitatio si non incidisset, (mihi crede istuc, ut cetera) non laborarem. Quamobrem, ut facis, (istuc enim addi nihil potest,) urge, insta, perfice.

Dicaearchi περὶ ψυχῆς utrosque velim mittas, et 2
καταβάσεως. τριπολιτικὸν non invenio, et epistolam eius, quam ad Aristoxenum misit. Tres eos libros maxime nunc vellem: apti essent ad id, quod cogito.

Torquatus Romae est. Iussi, ut tibi daretur. 3
Catulum, et Lucullum, ut opinor, antea. His libris

Epist. DXCI. 1. *de Faberio*] expedi nomen Faberianum, sine quo hortos consequi non possumus. *Manut.*

id quod cogitamus] monumentum Tulliae.

2. *utrosque*] utrumque sermonem de immortalitate animorum. Duos enim sermones, alterum Corinthi alterum Mitylenis habitum ternis libris explicavit. *Man.*

τριπολιτικὸν] Dicaearchi librum, cuius mentionem facit Athenaeus deipnos. lib. IV.

ut Aristoxenum] Aristotelis discipulum, philosophum et medicum nobilissimum, maximeque in musicis praestantem. Suidas. Cicero de Orat. III. Tusc. I. *Manut.*

ad id quod cogito] Tusculanas disputationes. In his enim l. 10. Dicaearchi Corinthiacos libros, et c. 31. Lesbiacos, s. sermones Mitylenis habitos memorat.

3. *Torquatus*] liber primus de Finibus, in quo est Torquati disputatio.

Catulum et Lucullum] Academicos libros quos primum

nova prooemia sunt addita, quibus eorum uterque laudatur. Eos libros volo habeas: et sunt quaedam alia.

4 Et, quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexi; credo, quia διὰ σημείων scripseram. De C. Tuditano enim quaerebam, quem ex Hortensio audieram fuisse in decem: eum video in Libonis praetorem P. Popillio, P. Rupilio consulibus. Annis XIIII ante, quam praetor factus est, legatus esse potuisset? nisi admodum sero praetor est factus: quod non arbitror. Video enim curules magistratus eum legitimis annis perfacile cepisse. Postumium autem, cuius statuam in Isthmo meminisse te dicis, in iis sciebam fuisse. Is

---

scripserat, quorum alterum *Catulus*, alterum *Lucullus* inscripserat. *Manut.*

eos libros] Ita correxi vulg. *eas literas*. Nam de *literis* ad Atticum, quod Ernestius volebat, intelligi nequit; esset enim ineptum: *eas literas volo habeas*, quod nihil opus erat monere. Libros autem illos Catulum et Lucullum intelligit quos ad alium, fortasse ad Tironem aut librarios suos Romam miserat, iusseratque eorum exemplum Attico dari.

et sunt quaedam alia] quae scripsi, Romamque misi, ut tibi darentur.

4. *in Libonis*] annalibus.

P. Popillio P. Rupilio consulibus] A. U. C. 621. Hoc enim anno C. Sempronius C. F. C. N. Tuditanus avus Hortensii praetor fuit.

potuisset] Pighius in annal. ad A. 621. hic aliquid excidisse suspicatur fortasse: *Non videtur.*

nisi admodum sero praetor] Vulgo est *quaestor*. Sed *praetor* esse legendum iam Pighius l. l. monuerat; idque verum esse indicant verba sequentia. Quaestura enim non est magistratus curulis. In lectione *quaestor* frustra se Manutius torserat; ab eoque difficultatem haud commode expeditam esse sensit Ernestius, nec tamen certissimae Pighii emendationis recordatus est. *Admodum sero* pertinet ad aetatem Tuditani provectiorem. Si anno legitimo inquit Cicero Tuditanus praeturam cepit i. e. anno aetatis XXXIX, vix potuit XIV annis ante, h. e. XXV. an-

autem est, qui cum Lucullo Cos. fuit; quem tu mihi addidisti, sane ad illum σύλλογον personam idoneam. Videbis igitur, si poteris, ceteros; ut possimus πομπεῦσαι καὶ τοῖς προσώποις.

EPISTOLA DXCII. (ad Att. XIII. 33.)

Scr. in Tusculano circiter Kalend. Quintil. A. U. C. 708.

De rebus ad hortos emendos pertinentibus 1. de quaestione qui fuerint inter decem legatos ad Mummium. 2. de Varronis et Capitonis adventu. 3.

CICERO ATTICO S.

Negligentiam miram! semelne putas mihi dixisse Balbum, et Faberium, professionem relatam? quin

---

num agens legationem istam obire. Aliud esset si admodum sero praetor factus esset, quod non arbitror; quoniam eum legitimis annis curules magistratus cepisse invenio.

qui cum Lucullo Cos. fuit] Vulgo perperam *Cos.* omittitur, A. Postumius A. F. Sp. N. Albinus cos. fuit A. U. C. 602. cum L. Licinio L. F. Lucullo.

πομπεῦσαι —] *ut magnis etiam personis inducendis libro ornatum quaerere possimus.* Cicero non solum magnis rebus refertum cupiebat eum σύλλογον, quem habebat in manibus sed etiam magnis hominibus uti, ut eo maior libri dignitas et ornatus esset. Itaque Atticum rogat, ut quum iam unum suppeditasset huiusmodi, plures suggereret. *Ern.*

Epist. DXCII. 1. *negligentiam miram*] Balbi et Faberii, qui Ciceronem de facta professione census ne semel quidem certiorem fecerant; itaque post rogat Atticum, ut se confestim certiorem faciat, an facta sit. *Ernesti.*

professionem relatam] Haec ad censum referri debent, quem post bella civilia C. Caesar egit. In censu autem cuiusque bona solebant aestimari, eaque professio in tabulas publicas referebatur. *Bosius.* Suetonius quidem in Iul. Caes. c. 41. narrat Caesarem recensum populi nec more, nec loco se-

etiam eorum iussu miseram, qui profiteretur. Ita enim oportere dicebant. Professus est Philotimus libertus. Nosti credo librarium. Sed scribes, et quidem confestim.

2 Ad Faberium, ut tibi placebat, literas misi. Cum Balbo autem puto te aliquid fecisse. De hortis Scapulanis in Virgi-

---

lio, sed vicatim per dominos insularum egisse; sed hoc demum factum est post Caesaris reditum ex Hispania. Itaque h. l. intelligendum esse apparet, de professione pretii certi alicuius praedii; pertinetque res ad id quod Caesar constituerat, ut arbitri darentur, per quos aestimationes fierent possessionum et rerum quanti quaeque earum ante bellum fuissent; atque eae creditoribus traderentur; id quod etiam Corradus vidit. Haec professio in tabulas publicas referenda erat, nihilque aliud attinuisse videtur, quam praedium aliquod a Faberio Ciceroni, ut nomen suum expediret, ex aestimatione illi cedendum. cf. ep. 547.

eorum iussu] In cod. Balliol. et Helmst. erat *meorum*. Id Graevius et Ernestius probaverunt. Sed quinetiam significare videtur, ipsos illos Balbum et Faberium a Cicerone postulasse, ut mitteret aliquem qui profiteretur.

Philotimus libertus] Manutius cui assentior, *libertus* e glossemate accessisse putat.

librarium] i. e. scribam, qui huiusmodi professiones in tabulas referebat.

confestim] an professio relata, totumque hoc negotium confectum sit.

2. *placebat*] Sic auctore Ernestio correxi vulg. *placet*.

de hortis Scapulanis] Vulgo prorsus corrupte legitur: *H. in Capitolio*. In vetere libro Ursini erat *HC. CC. in Capitolio*. Sine dubio hoc lectionis monstrum e verbis *de hortis Scapulanis* per compendium scriptis et male a librario intellectis ortum est.

in Virgilio] C. Virgilius in Africa adversus Caesarem militaverat et Thapso praesidio fuerat, ut auctor belli Africani tradit c. 78. 79. 86. Videtur post victoriam Caesaris evasisse aliquo et latitasse; neque enim ibi eius mentio fit vel interfecti vel dediti. Erat autem is Virgilius in Scapulanis heredibus. Fortasse pro eius parte confiscata interveniebant procuratores Caesaris. Di-

stio mihi nulla est δυσωπία. Nec enim eius causa hunc debeo: et, si emero, quid erit, quod postulet? sed videbis, ne is, quum sit in Africa, ut Coelius. De nomine, tu videbis cum Cispio: sed, si Plancus destinat, tum habet res difficultatem. Te ad me venire uterque nostrum cupit: sed ista res nullo modo relinquenda est. Othonem quod speras posse vinci, sane

---

cit igitur Cicero, non inani verecundia absterreor de Virgilii parte emenda. Accedit quod hic Virgilius erga Ciceronem exsulem parum amice se gesserat, ut patet ex Ciceronis oratione pro Plancio c. 40. *Gronov.*

δυσωπία] nulla me absterret verecundia, ne emam hortos Scapulanos, propterea quod eorum pars ad Virgilium pertinet.

debeo] obligatus ei nihil sum.

ut Coelius] faciat, quod Coelius qui a Caesarianis partibus ad Pompeianas partes transiit. *Ernesti.* At haec Ernestii interpretatio nullo modo quadrat; quam quidem eandem praeiverat Bosius. Nam Virgilius semper Pompeianus fuerat. Vereor ne hic verba quaedam exciderint, nec proficitur aliquid, si sic verba iungamus, quod Corrado placebat, *sed videbis ne is quum sit in Africa ut Coelius de nomine*; q. d. videbis ne Virgilius de nomine idem faciat in Africa quod Coelius in Cilicia. Quod quid sit haud intelligo. Mongaltius putabat Ciceronem vereri, ne Virgilius reliquias partium Pompeianorum colligat in Africa, seque eas tradendo in Caesaris benivolentiam insinuet; quod si fecisset, verendum fuisse, ne pars hortorum Scapulanorum, quae ad ipsum pertinuerat, ei reddenda esset. At si Cicero hortos Scapulanos emerat, profecto nullo modo cogi poterat, ut eorum partem cohaeredi redderet.

videbis cum Cispio] videbis ut mihi Cispius solvat, quod debet. Ep. 142. scripserat: *Cispiana explicabis.*

destinat] hortos Scapulanos emere.

tum habet res difficultatem] ita Bosius scripsit e Cod. decurtato et Crusell. Malaspina aliam lectionem attulit: *sed si Plancus destinatum habet, habet res difficultatem.* Lambinus desiderabat *sibi* ante *destinat.* Ernestio *tum* particula displicebat.

bene narras. De aeſtimatione, ut ſcribis; quum agere coeperimus: etſi nihil ſcripſit niſi de modo agri. Cum Piſone, ſi quid poteris.

3 Dicaearchi librum accepi: et *καταβάσεως* exſpecto.

4 Negotium dederis; reperiet ex eo libro, in quo ſunt ſenatus conſulta Cn. Cornelio, L. Mummio conſulibus. De Tuditano autem, quod putas, *εὔλογον* eſt, tum illum, quoniam fuit ad Corinthum (non enim temere dixit Hortenſius) aut quaeſtorem aut tribunum militum, idque potius, fuiſſe credo. Tu de Antiocho ſcire poteris, quo anno quaeſtor, aut tribunus militum fuerit; ſi neutrum quadret, in praefectis, an in contubernalibus fuerit; modo fuerit in eo bello.

---

de aeſtimatione] Non intelligendum, quod nonnulli putabant, hortorum Scapulanorum; nam hi quidem proſcripti erant, ut auctione venderentur; ſed de aeſtimatione praedii Fabериani ex lege Caeſaris. Cf. ep. 592.

4. *negotium dederis*] Hic manifeſtum eſt quaedam verba excidiſſe; ſic enim fere ſcripſerat Cicero: *De decem legatis Antiocho* (vel aliud liberti aut ſcribae nomen hic poſuerat) *negotium dederis* (ſc. quaerendi).

εὔλογον eſt] coniectura tua ſatis probabilis eſt et conſentanea.

tu de Antiocho ſcire poteris, quo anno] Vulgo *tu — poteris. Vide etiam quo anno.* Sed iſtud *vide etiam*, pro quo alii dederunt *videt etiam*, acceſſit a librario, qui quum poſt *poteris* puncti ſigno diſtinctum eſſet, ſententiae quae proxime ſequitur, hiatum explere vellet. Itaque hoc *vide etiam* delevi. Cicero ait: an coniectura tua vera ſit, de Tuditano, eum quoniam fuit ad Corinthum, non legatum quidem, ſed aut quaeſtorem aut tribunum mil. fuiſſe, facile tibi Antiochus expediet. Ex hoc nimirum ſcire poteris quo anno Tuditanus quaeſtor aut tribunus mil. fuerit.

an in contubernalibus] Mummii.

De Varrone loquebamur; lupus in fabula. Venit enim ad me, et quidem id temporis, ut retinendus esset. Sed ego ita egi, ut non scinderem penulam. Memini enim tuum; et multi erant, nosque imparati. Quid refert? paulo post C. Capito cum T. Carrinate. Horum ego vix attigi penulam; tamen remanserunt; ceciditque belle. Sed casu sermo a Capitone de urbe

---

5. *de Varrone loquebamur*] Manutius hic novae principium epistolae esse putabat, quod placeret, si certum esset, Atticum paulo ante, quam ista scriberet apud Ciceronem in Tusculano fuisse. *Loquebamur* tamen etiam de epistolis Attici et Ciceronis, in quibus de Varrone sermo fuerat accipi potest. Vel *loquebamur* ad colloquium cum alio quodam amico referendum.

ut retinendus esset] quum scil. hora coenae vel adventaret, vel iam adesset. *Manut.*

ut non scinderem penulam] i. e. non contendi vehementius ut manerent. Proverbialis locutio, similis Germanicae: *ich habe ihm den Aermel nicht ausgerissen*, vel Gallicae: *il ne s'est pas fait dechirer le manteau.*

memini enim tuum] scil. proverbium, quo in simili re uti soles, si honoris causa invitas quosdam, quos malis abire, quam remanere. Ernestius *tuum* interpretatur *morem*, Manutius praeferebat *memini enim tui* i. e. tuae in simili re consuetudinis.

ceciditque belle. Sed casu] Fortasse legendum: *ceciditque belle ut sermo a Capitone* (sc. fieret) *de urbe augenda*. Sic de Orat. I. c. 21. *valde optanti mihi cecidit ut in istum sermonem delaberemini.*

de urbe augenda] de pomoerio proferendo, quod post exactos reges unus protulerat L. Sulla. Minor autem de pomoerio a Caesare prolata nihil Suetonium, nihil Tacitum (XII. 23.) alioqui diligentissimos in historia tradidisse, quod tamen hic Cicero et infra ep. 35 (h. ed. ep. 620.) plane significat, et Gellius lib. XIII. c. 14. et Dio lib. XLIII. declarat his verbis: τοῦτό τε ἐποίει· καὶ νόμους ἐσέφερε, τό τε πωμήριον ἐπὶ πλεῖον ἐπεξήγαγε. Nec vero quis credat, quoties pomoerium proferretur, toties murorum ambitum una prolatum esse. Nam ut ostendit Dionysius Hal. lib. IV. mansere vete-

augenda. A ponte Mulvio Tiberim duci secundum montes Vaticanos; campum Martium coaedificari; illum autem campum Vaticanum fieri quasi Martium campum. Quid ais? inquam. At ego ad tabulam, ut, si recte possim, Scapulanos hortos. Cave facias, inquit. Nam ista lex perferetur. Vult enim Caesar. Audire me facile passus sum. Fieri autem, moleste

---

res muri a Servio rege conditi, sed ita permisti privatarum aedium multitudine, vix iam ut ipsius Dionysii aetate agnoscerentur. *Manut.*

a ponte — Vaticanos] Satis constat extra pomoerium fuisse campum Martium, quo populus ad comitia convenire solitus est. Post campum Martium interfluente Tiberi campus Vaticanus sequebatur, quod totum spatium a collibus Vaticanis ad Tiberim, hortis excultum amoenissimis frequentabatur a civibus Romanis animi caussa; iique horti Transtiberini vocabantur. Cogitabat autem Caesar pomoerium proferre et in urbem campum Martium includere; Tiberim autem, obducta vetere fossa, ita flectere, ut radices Vaticanorum montium allueret; campum autem illum Vaticanum, qui cis Tiberim futurus esset, quasi Martium campum efficere; id est, ut in eo, sublatis hortis, comitia fierent, quae fieri solita essent in campo Martio. Non enim centuriata comitia, quae Servius rex instituit, intra pomoerium fieri licebat. Propterea prolatis pomoerii finibus ultra campum Martium, quem Caesar aedificari volebat, alium campum, aequata planitie, qui populum caperet, comitiis habendis dicere opus erat. *Manut.*

at ego ad tabulam] usurus sum, ut emerem Scapulanos hortos, si recte, id est aequo pretio possim. Tabula proponebatur, adscriptis nominibus earum rerum, de quibus auctio futura erat. *Manut.*

possim] Hoc Ernestius dedit ex edd. pr. Vulgo *possem.*

cave facias inquit] scil. Capito. Ernestius festinatione aut calami errore lapsus scripsit Atticum hoc dixisse.

ista lex perferetur] et lege illa de pomoerio proferendo perlata horti Scapulani perituri erant, quum essent in illo campo siti, quem Caesar pro campo Martio comitiis destinabat.

fero. Sed tu quid ais? quamquam quid quaero? nosti diligentiam Capitonis in rebus novis perquirendis. Non concedit Camillo. Facies me igitur certiorem de Idibus. Ista enim me res adducebat. Eo adiunxeram ceteras; quas consequi tamen biduo, aut triduo post facile potero. Te tamen in via confici minime volo. Quin etiam Dionysio ignosco.

De Bruto quod scribis, feci ut ei liberum esset, 6
quod ad me attineret. Scripsi enim ad eum heri, eius opera mihi nihil opus esse.

---

de Idibus] An Idibus, ut putamus, auctio sit futura. Nam si auctio in eum diem non proscribitur, argumento est perlatum iri legem de augenda urbe; quis enim, quum eam legem perlatum iri videat, qua hortos, ut ibi quasi Martius campus fiat, solo aequari necesse erit, de hortis emendis cogitet? sin autem proscribitur, falsum est scilicet, quod de lege perferenda Tiberique secundum Vaticanos montes ducendo a Capitone audivi. Romae autem auctionis maxime causa Idibus esse velim. *Manut.*

adducebat] Romam; ut auctioni interessem.

ceterae res] quas Romae volebam expedire.

te tamen] etiamsi ego differam adventum meum, te tamen ad me nolo venire, ne quum tanti calores sint (haec enim scripta videntur exeunte Iunio,) itineris labore conficiaris. Et hoc dicit, quia scripserat Atticus se velle ad eum venire. ep. 31. (h. ed. ep. 590.) *Manut.*

Dionysio ignosco] quod ad me non veniat.

6. *heri*] Vulgo additur *Idib. Maiis*, in quo manifestum mendum esse iam Manutius viderat. Certe legendum esset *Idibus Quinctilis*. Sed totum addidit aliquis, qui putabat Ciceronem loqui de Bruti opera in auctione hortorum Scapulanorum sibi praestanda. Immo vero agitur de Bruti adventu in Tusculanum, quem Cicero scripsit ei liberum fore.

EPISTOLA DXCIII. (ad Att. XIII. 6.)

Scr. in Tusculano a. d. Non. Quintil. A. U. C. 708.

De aquaeductu et columnario 1. *de hereditate Herenniana* 2. *de epistola ad Brutum* 3. *de iudicatu cavendo* 4. *de quaestione de decem legatis* 5.

CICERO ATTICO S.

De aquaeductu probe fecisti. Columnarium,

Epist. DCXIII. 1. *de aquaeductu*] fortasse aqua Crabra ep. 18. l. XVI. ad Fam. et Frontin. de aquaeductibus, pro qua Cicero vectigal pendebat, orat. III. contra Rull. quam videtur etiam significasse lib. V. ep. 12. (h ed. 200.) vel de aquaeductu aliquo, qui per aedes Ciceronis transiret; certe esset in urbe. *Corrad.* *columnarium*] Columnarium erat tributum, quod in singulas columnas pendebatur, sicut ostiarium, quod in ostia; de quo Ciceronem hic loqui viri docti existimant, quibus minime assentior. Non enim credo Caesarem id genus tributi in urbe civibus imponere voluisse, quod a Scipione in provinciis exactum ipse graviter reprehendit lib. III. de B. C. c. 32. his verbis: *acerrime imperatae pecuniae tota provincia exigebantur; multa praeterea generatim ad avaritiam excogitabantur; in capita singula servorum ac libertorum tributum imponebatur; columnaria, ostiaria, frumentum, milites remigas, arma, tormenta, vecturae imperabantur.* Sed veri simile mihi quidem videtur Caesarem dictatorem quum multas leges ferret ad cohibendum populi Rom. luxum et fastum, ut de cultu et vestitu, de lecticis, de sumptibus coenarum et conviviorum, quas memorant Dio et Suetonius, etiam legem tulisse de ratione aedificiorum, cuius inter cetera caput de modo et numero columnarum, ut scilicet qui plures maioresve columnas, aut alio loco collocaret, quam lex permitteret, is columnarium penderet. *Pepma.*

vide, ne nullum debeamus. Quamquam mihi videor audisse a Camillo, commutatam esse legem.

Pisoni, quid est, quod honestius respondere possimus, quam solitudinem Catonis? nec coheredibus solum Herennianis, sed etiam, ut scis, (tu enim mecum egisti) de puero Lucullo: quam pecuniam tutor (nam hoc quoque ad rem pertinet) in Achaia sumpse- 2

---

vide ne nullum debeamus] Sic habet cod. Turnaei. Huius autem scripturae haec sententia est, si diligenter cogitabis, reperies, nos nullum debere columnarium. Manutius tamen, et Corradus et Malaspina malunt legi *ne ullum.* — *Lambin.* Et hic quidem verum vidit. Lectio *ne nullum* est in omnibus fere MSS. Ed. Romana habet *ne ullum.* — *Vide ne* sic interdum ponitur, ut idem sit ac *fortasse*, et respondet Graecorum ὅρα μή, quod aliis locis vertendum *verendum est ne*; aliis *cave ne*, aliis simpliciter reddendum *fortasse*; sic ep. 500. *vide ne — non possis* est i. q. *fortassis non possis*, vel *verendum est ne non possis.*

quamquam — commutatam esse legem] Ex his verbis Ernestius colligebat, lectionem *ne ullum debeamus* praeferendam esse, quia Cicero sine dubio voluerit dicere se debere; haec enim verba quae subiecerit, eo pertinere, ut non debere videatur. At enim nescimus quae sit illa commutatio in lege facta. Si Cicero loquitur, quod mihi quoque placet, de lege Caesaris sumptuaria, eiusque capite quod ad columnas pertinebat, poterat Cicero dicere se fortasse pro numero columnarum nihil ex illa lege pendere debere, nisi forte commutata sit, et numerus columnarum quem in aedibus immutiem habere licebat, nova praescriptione imminutus.

2. *Pisoni*] Pecuniam a Catone puero petenti, quam pater ipsi et aliis heredibus Herennii debuerat. *Ernesti.*

solitudinem Catonis] Pupillus solus esse dicitur, cui tutores, a quibus defendatur, praesto non sunt. Ideo Cicero solitudinem Catonis vocat absentiam eius tutorum. Fuit Cicero, ut hinc coniicimus, unus de tutoribus puerorum Catonis et Luculli, ac Luculli quidem tutelae meminit lib. III. de fin. c. 2. *Bosius.*

de puero Lucullo] Filio L.

rat. Sed agit liberaliter, quoniam negat se quidquam facturum contra nostram voluntatem. Coram igitur, ut scribis, constituemus, quemadmodum rem explicemus. Quod reliquos coheredes convenisti, plane bene fecisti.

3 Quod epistolam meam ad Brutum poscis, non habeo eius exemplum, sed tamen salvum est, et ait Tiro te habere oportere: et, ut recordor, una cum illius obiurgatoria tibi meam quoque, quam ad eum rescripseram, misi.

4 Iudiciali molestia ut caream, videbis.

5 Tuditanum istum, proavum Hortensii, plane non noram; et filium, qui tum non potuerat esse legatus, fuisse putaram. Mummium fuisse ad Corinthum, pro certo habeo. Saepe enim hic Spurius, qui nuper est mortuus,

---

Luculli, qui Ciceroni te monento patris commendatus erat, de Fin. III. 2. ubi tutor eius Cato traditur. *Ernesti.*

5. *obiurgatoria*] quo Brutus Ciceronem obiurgaverat, quod Tulliae morte gravius doleret, quam eum deceret.

4. *iudiciali molestia*] de munere iudicis capiendum, non (ut Manutius) de patroni laboribus. Nam illud poterat Atticus conveniendis Caesaris amicis cavere; hoc in Ciceronis potestate erat. Supra XII. 19 (h. ed. 535). *iudicatum* dixit. *Ernesti.*

5. *Tuditanum proavum Hortensii*] Cicero putaverat in decem legatis ad Mummium in Achaiam missis fuisse Tuditanum avum Hortensii, id autem non quadrabat ad rationes eius aetatis, cf. ep. 591. Iam autem Atticus scripserat Ciceroni, non Tuditanum avum Hortensii, sed patrem eius Tuditani, Hortensii proavum, in istis decem legatis fuisse.

Mummium fuisse ad Corinthum] Sp. Mummium cum Lucio fratre, qui eam delevit. *Manut.*

saepe enim hic Spurius] Nepos, ut opinor, Sp. Mummii, quem dicit ad Corinthum fuisse cum fratre. *Manut.*

mortuus] Hoc vocabulum quod vulgo male abest in antiquo libro lectum testatur Manutius.

epistolas mihi pronuntiabat versiculis facetis ad familiares missas a Corintho. Sed non dubito, quin fratri fuerit legatus, non in decem. Atque hoc etiam accepi, non solitos maiores nostros legare in decem, qui essent imperatorum necessarii, ut nos ignari pulcherrimorum institutorum, aut negligentes potius, M. Lucullum et L. Murenam et ceteros coniunctissimos ad L. Lucullum misimus. Illudque εὐλογώτατον, illum fratri in primis eius legatis fuisse. Operam tuam multam! qui et haec cures, et mea expedias, et sis in tuis multo minus diligens, quam in meis.

---

fratri] L. Mummio, ad bellum proficiscenti.

non in decem] illis legatis, qui postea ad componendam provinciam Achaiam missi sunt.

legare in decem] non solitos esse in decem legatis, qui ad componendas provincias ad imperatores mittebantur, imperatorum necessarios mittere, ne impedirentur necessitudine, quo minus imperatores accusarent, si quid peccassent, ut L. Furius et L. Aemilius Cn. Manlium accusarunt Liv. l. XXXVIIII. *Corrad.*

Lucullum et Muraenam] Fortasse ii fuerunt, qui ad L. Lucullum missi sunt, ad res Ponti componendas, de quibus ita Plutarchus in Lucullo, οἱ πρέσβεις, inquit, παρῆσαν αὐτῷ πρὸς τὴν διάθεσιν τῶν ἐν Πόντῳ πραγμάτων, ὡς ἤδη βεβαίως ἐχομένων. M. Lucullus frater fuit L. Luculli, et eius legatus in bello Mithridatico. De Muraena qua necessitudine coniunctus fuerit Lucullo non valde quaesivi. Illud constat Lucullos et Muraenas eiusdem gentis fuisse, puta Liciniae, et hunc L. Muraenam in bello Mithridatico sub Lucullo militasse. *Bosius.*

in primis illius legatis] qui cum ipso in provinciam ierunt; nam illi decem quasi secundi fuere; qui in illis sunt, in his esse non possunt. *Ernesti.*

EPISTOLA DXCIV. (ad Att. XIII. 4.)

Scr. in Tusculano a. d. VIII. Id. Quint. A. U. C. 708.

De quaestione qui decem legati fuerint expedita. 1. *de nominibus suis expediendis* 2. *de Bruti adventu.* 3.

CICERO ATTICO S.

Habeo munus a te elaboratum decem legatorum; et quidem sic puto. Nam filius anno post quaestor fuit, quam consul Mummius.

2 Sed quoniam saepius de nominibus quaeris quid placeat; ego quoque tibi saepius respondeo, placere. Si quid poteris cum Pisone, conficies; Aulus enim videtur in officio futurus.

3 Velim ante possis: si minus, utique simul simus, quum Brutus veniet in Tusculanum. Magni interest mea, una nos esse. Scies autem, qui dies is futurus sit, si puero negotium dederis, ut quaerat.

Epist. DXCIV. 1. *et quidem sic puto*] Addidi *sic*, quod in codd. abest. Nimirum Cicero concedit Attico, se erraſſe, quod in decem legatis, qui ad Mummium a senatu de ordinandis rebus Achaiae missi fuerant, Tuditanum Hortensii avum fuisse putaverit, quum re vera, quod illi demonstraverat Atticus, Tuditanus Hortensii proavus fuisset.

nam filius] C. Tuditanus, Hortensii avus.

2. *saepius de nominibus*] non de nominibus illorum legatorum, ut Manutius putabat, sed de nominibus i. pecuniis sibi debitis, expediendis, accipiendum.

Aulus] secutus sum lectionem a Manutio probatam. Alii legunt *Avius*. cf. ep. 449. ubi itidem Piso cum Aulo coniungitur.

3. *ut quaerat*] ut quaerat de familiaribus aut servis Bruti, quo die sit venturus in Tusculanum. *Manut.*

EPISTOLA DXCV. (ad Att. XIII. 5.)

Scr. in Tusculano a. d. VII. Id. Quintil. A. U. C. 708.

De Sp. Mummio fratris legato. 1. *breviter de aliis rebus imprimis de nominibus expediendis* 2 — 5.

CICERO ATTICO S.

Sp. Mummium putaram in decem legatis fuisse: sed videlicet εὔλογον fratri fuisse. Fuit enim ad Corinthum.

Misi tibi Torquatum. 2

Colloquere tu quidem cum Silio, ut scribis, et 3 urge. Illam diem negabat esse mense Maio, istam non negabat. Sed tu, ut omnia, istuc quoque ages diligenter. De Crispo et Mustela, scilicet, quum quid egeris.

Quoniam ad Bruti adventum fore te nobiscum 4 polliceris, satis est, praesertim quum hi tibi dies in magno nostro negotio consumantur.

Epist. DXCV. 1. *Sp. Mummium*] L. Mummii Achaici fratrem. In eo alter error Ciceronis, qui eum in decem legatis fuisse putarat, quum fuisset legatus fratris in exercitu. *Ernesti.*

sed videlicet] Vulgo legitur: *Sed videlicet; etenim εὔλογον fratri fuisse.* Graevius corrigebat: *sed videlicet eum legatum fratri fuisse.* Concinnius autem nobis visum: *sed videlicet εὔλογον fratri fuisse* sc. legatum. Particula *etenim* recte abest in cod. Balliol. et Helmst.

εὔλογον fratri fuisse] Erravi et tu recte demonstras legatum fratris fuisse, idque opportunum L. Mummio fratrem habere in legatis. *Ernesti.*

2. *Torquatum*] librum primum de Finibus. cf. ep. 591.

3. *illam — istam*] sunt duae diversae dies solutionis. *Ernesti.*

EPISTOLA DXCVI. (ad Div. VI. 21.)

Scr. videtur, in Tusculano mense Quintili A. U. C. 708.

Consolatur Torannium Corcyrae exsulantem, de filisque rebus praeter universae rei publ. interitum, nihil esse ei timendum confirmat.

CICERO TORANNIO S.

Etsi, quum haec ad te scribebam, aut appropinquare exitus huius calamitosissimi belli, aut iam illud actum, et confectum videbatur: tamen quotidie commemorabam, et te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, et me tibi; solosque nos vidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo, spe pacis exclusa, ipsa victoria futura esset acerbissima: quae aut interitum allatura esset, si victus esses; aut, si vicisses, servitutem. Itaque ego, quem tum fortes illi viri, et sapientes, Domitii, et Lentuli, timidum esse dicebant: (eram plane; timebam enim, ne evenirent ea, quae acciderunt) idem nunc nihil timeo, et ad omnem eventum paratus sum. Quum aliquid videbatur caveri posse, tum id negligi dolebam. Nunc vero, eversis omnibus rebus, quum consilio profici nihil possit, una ratio videtur, quicquid evenerit, ferre moderate: praesertim quum omnium rerum mors sit extremum; et mihi sim conscius, me, quoad licuerit, dignitati rei

---

Epist. DXCVI. *Toranniö*] Hanc scripturam, quam et lapides antiqui et scripti libri potiores confirmant auctore Martyni-Laguna praeferendam duxi vulgatae *Toranio*.

exitus huius — belli] nempe Hispaniensis. Falso enim Ubertinus et Hieron. Ragazonius eam cum altera illa ad Torannium scripta ad annum 707. retulere.

aut iam illud actum et confectum] Vulgo legitur: *aut iam aliquid actum et confectum.* Quod profecto absurdum esset; est enim gradatio in his membris: *aut appropinquat exitus belli, aut nunc quum scribo iam confectum est.*

publicae consuluisse; hac amissa, salutem retinere voluisse. Haec scripsi, non ut de me ipse dicerem, sed ut tu, qui coniunctissima fuisti mecum et sententia, et voluntate, eadem cogitares. Magna enim consolatio est, quum recordere, etiamsi secus acciderit, te tamen recte vereque sensisse. Atque utinam liceat aliquando aliquo reipublicae statu nos frui, inter nosque conferre sollicitudines nostras, quas pertulimus tum, quum timidi putabamur, quia dicebamus ea futura, quae facta sunt. De tuis rebus nihil esse, quod timeas, praeter universae rei publicae interitum, tibi confirmo. De me autem sic velim iudices, quantum ego possim, me tibi, saluti tuae, liberisque tuis summo cum studio praesto semper futurum. Vale.

EPISTOLA DXCVII. (ad Att. XIII. 7.)

Scr. in Tusculano a. d. VI. Id. Quintil. A. U. C. 708.

Quid Sextius e Caesaris literis et de Lentulo narraverit exponit 1. *Brutum in Tusculanum venisse nuntiat.* 2.

CICERO ATTICO S.

Sextius apud me fuit, et Theopompus pridie: venisse a Caesare narrabat literas; hoc scribere, sibi certum esse, Romae manere; caussamque eam adscribere, quae erat in epistola nostra, ne se absente leges suae negligerentur, sicut esset neglecta sumptuaria. Est εὔλογον: idque eram suspicatus. Sed istis mos gerendus est; nisi placet hanc ipsam sententiam

---

Ep. DXCVII. 1. *quae erat in epistola nostra*] quam Cicero ad Caesarem scripserat, deinde quum nollet eam e Caesarianorum, qui Romae essent, sententia corrigere, mittendam non putavit. cf. ep. 596. *sed istis mos gerendus est*] i. e. sed illos, Oppium, Balbum mihi morem gerere oportet, ut prorsus omittatur epistola. Sic de orat. I. c. 23. *gerendus est tibi mos adolescentibus.*

nes persequi. Et Lentulum, cum Metella certe fecisse divortium. Haec omnia tu melius. Rescribes igitur quidquid voles, dum modo quid. Iam enim non reperio, quod te rescripturum putem, nisi forte de Mustela, aut si Silium videris.

2 Brutus heri venit in Tusculanum post horam decimam. Hodie igitur me videbit: ac vellem, quum tu adesses. Iussi equidem ei nuntiari, te, quoad potuisses, exspectasse eius adventum, venturumque, si audisses, meque ut facio, continuo te certiorem esse facturum.

EPISTOLA DXCVIII. (ad Div. V. 9.)

Scr. ex castris Narona V. Id. Quintil. A. U. C. 708.

P. Vatinius, qui tribunatum plebis gesserat Caesare consule, omniaque ex eius libidine administraverat post consulatum (tribus ultimis mensibus cum Q. Fusio Caleno A. V. 706. gestum) in Illyricum a Caesare dictatore missus, commendat suam dignitatem Ciceroni contra malivolorum atque invidorum obtrectationes. Rebus enim prospere gestis, supplicationes, missis ad senatum literis petebat.

VATINIUS IMP. CICERONI SUO S. D.

S. V. B. E. E. V. Si tuam consuetudinem in patrociniis tuendis servas, P. Vatinius cliens advenit, qui pro se causam dicier vult. Non, puto, repudiabis

---

nes persequi] ut Caesari ipsum hoc suadeam ut Romae maneat; nam in epistola illa ei suaserat, ut rebus Romae constitutis iret ad Parthicum bellum.

et Lentulum] Refertur ad illud: Sextius narrabat. *Manut.* Perperam Ernestius putavit pendere ex verbis *hoc scribere*, quasi Caesar ex Hispania Romam potuisset nuntiare, quod Romae ageretur de Lentuli et Metellae divortio. Ceterum agitur de Lentulo Spinthere filio.

2. *in Tusculanum*] suum.

Epist. DXCVIII. 1. *cliens*] defenderat eum Cicero re-

in honore, quem in periculo recepisti. Ego autem, quem potius adoptem aut invocem, quam illum, quo defendente vincere didici? An verear, ne, qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit pro mea salute, is, pro honore meo, pusillorum ac malivolorum obtrectationes et invidias non prosternat atque obterat? Quare me si, ut soles, amas, suscipe me totum; atque hoc, quidquid est oneris ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta. Scis, meam fortunam, nescio quomodo, facile obtrectatores invenire, non meo quidem, mehercules, merito: sed quanti id refert, si tamen fato nescio quo accidit? Si quis forte fuerit, qui nostrae dignitati obesse velit, peto a te, ut tuam consuetudinem et liberalitatem in me absente defendendo mihi praestes. Literas ad senatum de rebus nostris gestis, quo exemplo miserim, infra tibi perscripsi.

Dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus 2
cum Vardaeis esse: de quo tu mihi nihil mandasti: ego tamen, terra marique ut conquireretur, praemandavi: et profecto tibi illum reperiam, nisi si in Dalmatiam aufugerit. Et inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. A. d. V. Idus Quintiles, ex castris, Narona.

---

gatu Caesaris, a Calvo de ambitione accusatum, quo iudicio absolutus est. Defendit et alio crimine, iudicio publico, ut Valerius Max. IV. 2. scriptum reliquit. *Manut.*

quare me si ut soles] melius sic legitur cum Martyni-Laguna quam ut vulgo *quare si me sicut soles.*

Literas ad senatum] quibus petierat ut imperatoris titulum sibi ab exercitu datum ratum haberent, et supplicationes decernerent.

miserim] Ita Martyni-Laguna. Vulg. *miseram.*

perscripsi] Martyni-Laguna dedit *scripsi.*

2. *tuus servus*] Dionysius.

cum Vardaeis] Dalmatiae populis.

Narona] et fluvius et castellum fuit. Plin. Ptolem. *Manut.*

EPISTOLA DXCIX. (ad Att. XIII. 8.)

Scr. in Tusculano a. d. IV. Id. Quintil. A. U. C. 708.

Breviter nonnulla ab Attico curanda mandat.

CICERO ATTICO S.

Plane nihil erat, quod ad te scriberem. Modo enim discesseras, et paullo post triplices remiseras. Velim cures fasciculum ad Vestorium deferendum: et alicui des negotium, qui quaerat, Q. Faberii fundus num quis in Pompeiano, Nolanove venalis sit. Epitomen Bruti Coelianorum velim mihi mittas, et a Philoxeno Παναιτίου περὶ προνοίας. Te idib. videbo cum tuis.

EPISTOLA DC. (ad Att. XIII. 9.)

Scr. in Tusculano XVI. Kal. Sextil. A. U. C. 708.

Scribit ad se venisse Trebatium, Curtium, Dolabellam, Torquatum. 1. quaerit an nuptiae Bruti cum Porcia confectae sint 2. sibi Arpinum eundum esse significat 3.

CICERO ATTICO, S.

Commodum discesseras heri, quum Trebatius venit, paullo post Curtius; hic salutandi caussa: sed mansit invitatus. Trebatium nobiscum habemus.

Epist. DXCIX. *triplices*] h. e. codicillos trium paginarum, in quibus aliquid ad te scripseram cum responso remiseras. Martial. VII. 82. *Bis senos triplices et dentiscalpia septem.* Et XIV. 6. *Tune triplices nostros non vilia dona putabis.* Videtur intelligi codicillos. Male Manutius *triplices* hic interpretatur trinas literas. *Gronov.*

et a Philoxeno] Mitte Panaetii librum de providentia a Philoxeno sumptum. *Manut.*

Hodie mane Dolabella. Multus sermo ad multum diem. Nihil possum dicere ἐκτενέστερον, nihil φιλοστοργότερον. Ventum est tandem ad Quintum. Multa ἄφατα, ἀδιήγητα: sed unum eiúsmodi, quod nisi exercitus sciret, non modo Tironi dictare, sed ne ipse quidem auderem scribere. Sed hactenus. εὐκαίρως ad me venit, quum haberem Dolabellam, Torquatus; humanissimeque Dolabella, quibus verbis secum egissem, exposuit. Commodum enim egeram diligentissime: quae diligentia grata est visa Torquato.

A te exspecto, si quid de Bruto. Quamquam 2 Nicias confectum putabat: sed divortium non probari.

Epist. DC. 1. *Dolabella*] confectum enim bellum erat in Hispania, cui Dolabella interfuit, et ante Caesarem in Italiam revertit. *Manut.*

ἐκτενέστερον] *polixius et largius in officiis promittendis et benivolentia significanda.* Sic X. 17. (h. ed. ep. 383.) ἐκτένεια de prolixa et larga studii et voluntatis declaratione. *Ernesti.*

φιλοστοργότερον] Significat Dolabellam Ciceroni ut socero amorem et pietatem sic ostendisse, ut nihil supra.

ventum est tandem] Sic auctore Manutio rescripsi pro vulg. *ventum est tamen.* Nam particulae *tamen* nullus est hic locus.

multa ἄφατα ἀδιήγητα] dicebat Dolabella a Q. filio dicta contra Ciceronem in Hispania, quae vix fas esset dicere aut narrare.

exercitus] Caesaris in Hispania. Non, inquit, secreto, aut inter paucos mihi maledixit Quintus, sed ita palam, ut omnis exercitus cognosceret. *Manut.*

Torquatum] Recte Manutius Aulum Torquatum, non Lucium eius fratrem, qui iam perierat, designari monuit.

2. *si quid de Bruto*] Significat Bruti novas nuptias. Nam dimissa Claudia, Appii filia, de qua III. 4. ad Fam. (h. ed. 194.) Porciam duxit Catonis Uticensis filiam, cuius et Plutarchus in Bruto, et Catone Uticensi: et Valerius Maximus lib. III. mentionem fecerunt. *Manut.*

Nicias] qui erat apud Ciceronem XII. 26. 53. (h. ed. 544. 582.) *Manut.*

Quo etiam magis laboro idem, quod tu. Si quid est enim offensionis, haec res mederi potest.

3 Mihi Arpinum eundum est. Nam et opus est, constitui a nobis illa praediola; et vereor, ne exeundi potestas non sit, quum Caesar venerit: de cuius adventu eam opinionem Dolabella habet, quam tu, quum coniecturam faciebas ex literis Messalae. Quum illuc venero, intellexeroque quid negotii sit; tum, ad quos dies rediturus sim, scribam ad te.

EPISTOLA DCI. (ad Att. XIII. 10.)

Scr. in Tusculano XIV. Kal. Sext. A. U. C. 708.

De Marcelli caede. 1. *de libro Dolabellae inscribendo.* 2. *de Bruti nuptiis.* 3. *de itinere suo.* 4. *de causa quae Magium ad caedem Marcelli impulerit.* 5.

CICERO ATTICO S.

Minime miror, te et graviter ferre de Marcello, et plura vereri periculi genera. Quis enim hoc timeret, quod neque acciderat antea, nec videbatur natu-

---

laboro idem quod tu] ut Porciam ducat Catonis filiam. In quo fallitur Plutarchus, qui Brutum ait eam uxorem accepisse a Catone avunculo; quum haec scripta sint post devictos in Hispania liberos Pompeii, i. e. post obitum Catonis. *Man.*

haec res] nuptiae Catonis filiae. Quos enim offendit Claudiae divortio, eos sibi reconciliabit Porciae coniugio. Et non ita multo post (ep. sequenti) eadem de re *Bruto* inquit, *quam primum agendum puto, praesertim si statuit, sermunculum enim omnem aut restinxerit, aut sedarit.* Erat enim Catonis nomen maxime populare, quod nemo umquam a libertate constantius stetisset. *Manut.*

3. *quam tu quum coniecturam*] Vulgo abest *quum*; quod inserendum putavit Lambinus, nec video quomodo abesse possit.

Epist. DCI. 1. *de Marcello*] cuius interitus paucis ante diebus e Sulpicii alio-

ra ferre, ut accidere posset? Omnia igitur metuenda. Sed illud παρὰ τὴν ἱστορίαν, tu praesertim: *me reliquum consularem.* Quid? tibi Servius, quid videtur? Quamquam hoc nullam ad partem valet scilicet, mihi praesertim, qui non minus bene actum cum illis putem. Quid enim sumus? aut quid esse possumus? domine, an foris? quod nisi mihi hoc venisset in mentem, scribere ista nescio quae, quo verterem me, non haberem.

Ad Dolabellam, ut scribis, ita puto faciendum, 2 κοινότερα quaedam et πολιτικώτερα. Faciendum certe aliquid est. Valde enim desiderat.

---

rumque literis Romam perlatis intellectus erat.

παρὰ τὴν ἱστορίαν] Scripserat Atticus Ciceroni, ut se diligentissime custodiret, praesertim unum reliquum Consularem. Hoc, inquit, est praeter historiam, contra veritatem. Quid enim? Ser. Sulpicius non et ipse consularis? *Manut.*

tu praesertim] qui errare non soles in historia. *Manut.*

me reliquum consularem] Marcello interfecto, me unum consularem sc. vere consularem reliquum esse; id reprehendit et laudem vere consularis etiam Sulpicio tribuit. *Ernesti.*

quamquam hoc — valet] haec cautio atque haec diligentia, quam in tuenda salute adhiberi vis, quem fructum afferet, mihi praesertim, qui in vita iam quod agam nihil habeo, neque domi neque foris; equidem sic existimo non minus bene actum cum illis, qui perierunt, quam nobiscum qui fortunae beneficio conservati sumus. *Manut.*

quod nisi] Recte sic Ernestius. Vulg. *quid nisi.*

ista nescio quae] libros philosophicos.

2. κοινότερα] subaudi, *mittenda.* Puto, inquit, quemadmodum scribis, librum aliquem ad Dolabellam nobis esse mittendum, qui contineat non τὰ φιλοσοφικὰ, sed potius κοινότερα quaedam et πολιτικώτερα, quod eius generis scripta magis viderentur Dolabellae convenire, qui non in studiis doctrinarum, sed in re publica et in communi quodam literarum genere versatus esset. *Manut.*

3 Brutus si quid, curabis ut sciam: cui quidem quamprimum agendum puto, praesertim si statuit; sermunculum enim omnem aut restinxerit, aut sedarit. Sunt enim qui loquantur, etiam mecum. Sed haec ipse optime, praesertim si etiam tecum loquetur.

4 Mihi est in animo proficisci XI kal. hic enim nihil habeo quod agam, ne hercule illic quidem; nec usquam; sed tamen aliquid illic.

5 Hodie Spintherem exspecto. Misit enim Brutus ad me; per literas purgat Caesarem de interitu Marcelli; in quem, ne si insidiis quidem ille interfectus esset, caderet ulla suspicio. Nunc vero, quum de Magio constet, nonne furor eius causam omnem sustinet? Plane, quid sit, non intelligo. Explanabis igitur. Quamquam nihil habeo, quod dubitem, nisi, ipsi Magio quae fuerit causa amentiae: pro quo quidem etiam sponsor Sunii factus est. Nimirum id fuit. Solvendo enim non erat. Credo eum petiisse a Marcello aliquid, et illum, ut erat, constantius respondisse.

---

3. *Brutus si quid*] si de Porcia in matrimonium ducenda certum constituerit.

sermunculum] cf. ep. 600.

4. *proficisci*] Arpinum.

XI. Kal.] Sextiles.

5. *Spintherem*] Lentulum Spintherem filium.

plane — non intelligo] quare Brutus Caesarem purget a suspicione; nam id rem suspectam fecerit. *Ernesti.*

nimirum id fuit] scil. quod sequitur. Quum enim Marcellus iam Sunii pro Magio spopondisset, nec tamen haberet Magius, unde aliis creditoribus solveret, credo eum petiisse a Marcello, ut sibi aliam insuper pecuniam mutuam daret.

constantius respondisse] Hoc Cicero coniecturam secutus opinabatur. Sed Valerius Max. lib. IX. aliam ponit eius amentiae causam, quod scil. Magius *indignatus sit, aliquos sibi amicorum a Marcello praeferri.* — *Manut.* Vulgo hic addebantur verba: οὐ ταυτὸν εἶδος, quae tamen certum est principium facere sequentis epistolae.

EPISTOLA DCII. (ad Att. XIII. 11.)

Scr. in Arpinati a. d. X. Kal. Sext. A. U. C. 708.

Rogat ut de omnibus rebus, quas scire sua intersit, scribat.

CICERO ATTICO S.

Οὐ ταυτὸν εἶδος. Credebam esse facile. Totum est aliud, posteaquam sum a te diiunctior. Sed fuit faciendum, ut et constituerem mercedulas praediorum, et ne magnum onus observantiae Bruto nostro imponerem. Posthac enim poterimus commodius colere inter nos in Tusculano. Hoc autem tempore, quum ille me quotidie videre vellet, ego ad illum ire non possem, privabatur omni delectatione Tusculani. Tu igitur, si Servilia venerit, si Brutus quid egerit,

---

Epist. DCII. Οὐ ταυτὸν εἶδος] Cicero, quod iam Victorius intellexit, respicit hos Euripidis versiculos in Ione v. 585.

Οὐ ταυτὸν εἶδος φαίνεται τῶν πραγμάτων
πρόσωθεν ὄντων, ἐγγύθεν θ' ὁρωμένων.

Non eadem facies est rerum quum procul sunt, et quum prope cernuntur. Recte autem Casaubonus monuit haec verba principium huius epistolae, non clausulam superioris facere, quod male est deinde ab editoribus neglectum.

onus observantiae] Quum enim uterque esset in Tusculano suo, Brutusque Ciceronem quotidie videre vellet, Cicero autem ad illum ire non posset, sequebatur, ut Brutus ad Ciceronem; quod Cicero nolebat, indignum existimans, Brutum ad se quotidie venire. Exivi igitur, inquit, e Tusculano, ne Bruto nostro quotidie ad me veniendi onus imponerem. — *Observare* est assidue cum aliquo esse honoris caussa. Unde illud ep. I. 1. (h. ed. ep. 10.) *Dies vero nullus est, quin hic Satrius domum meam veniat. Observat L. Domitium maxime. Me habet proximum.* — *Manut.*

privabatur] Mecum esse quotidie volebat, nec id poterat suo commodo, quum ei veniendum esset ad me; ita nullam delectationem capiebat ex Tusculano suo. *Manut.*

si quid egerit] de nuptiis.

et, iam si constituerit, quando obviam: quidquid denique erit, quod scire me oporteat, scribes. Pisonem, si poteris, convenies. Vides, quam maturum sit. Sed tamen, quod commodo tuo fiat.

EPISTOLA DCIII. (ad Att. XIII, 12.)

Scr. in Arpinati IX. Kal. Sextil. A. U. C. 708.

De Atticae valitudine. 1. *de oratione Ligariana* 2. *de libris ad Varronem scribendis* 3. *de Brinniana auctione* 4. *de Scapulanis hortis* 5.

CICERO ATTICO S.

Valde me momorderunt epistolae tuae de Attica nostra: eaedem tamen sanaverunt. Quod enim te ipse consolabare eisdem literis, id mihi erat satis firmum ad leniendam aegritudinem.

2 Ligarianam praeclare vendidisti. Posthac quidquid scripsero, tibi praeconium deferam.

3 Quod ad me de Varrone scribis, scis me ante orationes, aut aliquid id genus solitum scribere, ut Varronem nusquam possem intexere. Postea autem quam haec coepi φιλολογώτερα, iam Varro mihi denuntiaverat magnam sane, et gravem προςφώνησιν. Bien-

---

et, iam si constituerit] Sic erat scribendum, non *etiamsi*, ut vulgo. Volebat Cicero Atticum scribere, si iam certo constituisset Brutus Porciam ducere.

quando obviam] Intelligunt: quando obviam iturus sit Brutus Caesari ex Hispania redeunti.

quam maturum sit] hortos emere. Nam dies aderat auctionis hortorum Scapulanorum.

Epist. DCIII. 3. *φιλολογώτερα*] libros philosophicos, qui opponuntur orationibus, quae sunt populariter scriptae. *Ernesti.*

denuntiaverat — προσφώνησιν] dixerat, se mihi velle libros, de lingua forte Latina, inscribere et praefationem ad me dirigere. *Ern.*

nium praeteriit, quum ille Καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processerit. Ego autem me parabam ad id, quod ille mihi misisset, ut αὐτῷ τῷ μέτρῳ, καὶ λώϊον, si modo potuissem. Nam hoc etiam Hesiodus adscribit, αἴ κε δύνηαι. Nunc illam περὶ τελῶν σύνταξιν, sane mihi probatam, Bruto, ut tibi placuit, despondimus: idque tu eum non nolle mihi scripsisti. Ergo illam ἀκαδημικὴν, in qua homines, nobiles illi quidem, sed nullo modo philologi, nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. Etenim sunt Ἀντιόχεια; quae iste valde probat. Catulo et Lucullo alibi reponemus; ita tamen, si tu hoc probas: deque eo mihi rescribas velim.

Καλλιππίδης] Tragoediarum scriptor percelebris, Agesilai aetate, ob nimium motum in scena reprehensus, ut etiam a Mynisio histrione simia sit appellatus. Ostendit Aristoteles in arte poetica, quo in libro eum bis nominat; inde Graecum adagium in eos, qui sat agunt et nihil agunt. Sueton. in Tiber. et Plutarch. in Apophthegm. Καλλιππίδην igitur Varronem appellat, quod, assidue scribendo, nihilo tamen processisset magis, quam Callippides in cursu. *Manut.*

Hesiodus] Versus Hesiodi est: Αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον αἴ κε δύνηαι; quo versu eadem mensura iubet reddere, qua acceperis, et cumulatiore, si possis. Opp. et D. v. 350. cf. Cic. de off. I. 15. Brut. cap. 4. *Manut.*

περὶ τελῶν σύνταξιν] libros de finibus.

ἀκαδημικὴν] Sermo est de altera editione Academicorum, in qua e duobus libris, quorum alter Catulo alter Lucullo inscriptus erat, fecit quatuor eosque ad Varronem scripsit cf. ep. 13. init. (h. ed. 604.) *Ernesti.*

etenim sunt Ἀντιόχεια] quum ii libri sententiam Antiochi de Academia complectantur, Varro autem partes Antiochinas valde probet, recte ad eum transferentur; ep. 16. et 19. (h. ed. 605. 610.) *Manut.*

Catulo et Lucullo alibi reponemus] sc. quod nunc abstulimus transtulimusque ad Varronem. Gronovius conliciebat *Catulum et Lucullum.* — *Ernesti.*

4 De Brinniana auctione accepi a Vestorio literas. Ait, sine ulla controversia rem ad me esse collatam (Romae videlicet, aut in Tusculano me fore putaverunt) a. d. IIX kal. Dices igitur vel amico tuo, S. Vettio, coheredi meo, vel Labeoni nostro, paullum proferant auctionem; me circiter Nonas in Tusculano fore.

5 Cum Pisone Erotem habes. De Scapulanis hortis toto pectore cogitemus. Dies adest.

EPISTOLA DCIV. (ad Att. XIII. 13.)

Scr. in Arpinati a. d. VIII. Kal. Sext. A. U. C. 708.

De libris Academicis Varroni inscriptis 1. *de Atticae valitudine* 2.

CICERO ATTICO S.

Commotus tuis literis, quod ad me de Varrone scripseras, totam Academiam ab hominibus nobilissimis abstuli, transtulique ad nostrum sodalem, et ex duobus libris contuli in quatuor. Grandiores sunt

---

4. *ait — collatam*] ait coheredum omnium sententia magistrum auctionis me esse constitutum. In auctionibus enim hoc servabatur, ut ex iis, quorum res in auctione ageretur, unus auctionem gubernaret ac moderaretur, qui scilicet, quanti quaeque res venire deberet, ipse statueret arbitratu suo, sociis non repugnantibus. — *Manut.*

a. d. IIX. Kal.] Vulgatum *Quint.* a glossatoris manu accessisse certum est. Cicero enim fere semper diem tantum nominat, non adiecto mensis nomine. Et vero non IIX. Kal. Quint. sed *IIX. Kal. Sextil.* deberet esse, ex ratione et ordine epistolarum.

circiter Nonas] Sextiles.

5. *cum Pisone Erotem habes*] Nunc et Piso et Eros Romae sunt. Cum Pisone igitur, si potes, confice de auro; et ab Erote cognosce quantum nobis a Faberio et ab aliis debeatur. cf. ep. 2. (h. ed. 584.) *Manut.*

Epist. DCIV. 1. *et ex duobus*] Graevius coniicia-

omnino, quam erant illi; sed tamen multa detracta. Tu autem mihi pervelim scribas, qui intellexeris illum velle. Illud vero utique scire cupio, quem intellexeris ab eo ζηλοτυπεῖσθαι, nisi forte Brutum; id hercle restabat; sed tamen scire pervelim. Libri quidem ita exierunt, (nisi forte me communis φιλαυτία decipit) ut in tali genere ne apud Graecos quidem simile quidquam. Tu illam iacturam feres aequo animo, quod illa, quae habes de Academicis, frustra descripta sunt. Multo tamen haec erunt splendidiora, breviora, meliora. Nunc autem ἀπορῶ, quo me vertam. Volo Dolabellae valde desideranti. Non reperio, quid; et simul αἰδέομαι Τρῶας: neque, si aliquid, potero μέμψιν effugere. Aut cessandum igitur, aut aliquid excogitandum.

2 Sed quid haec levia curamus? Attica mea, obsecro te, quid agit? quae me valde angit. Sed crebro regusto tuas literas; in his acquiesco. Tamen exspecto novas.

---

bat, *et duos libros contuli in quatuor*. Recte. Refertur ad Academiam, quam e duobus libris in quatuor coniecerat. *Ernesti*.

qui intellexeris] Sic ed. Rom. At Iens. dedit *quid*. Sed *qui* (h. e. quomodo) verum esse patet ex ep. 18. (h. ed. 609) ubi idem est, ac subiecta ratio docet. *Ern.*

ζηλοτυπεῖσθαι] alicui ab eo invideri quod in libris meis loquens inducatur. *Ernesti*.

Brutum] cui Cicero libros de Finibus inscripserat. *Er.*

libri quidem] Academici.

ita exierunt] int. de manibus meis, ita effecti, elaborati sunt. *Ernesti*.

de Academicis] ex editione sc. priore.

breviora] Significat, quum in his libris quatuor Academicis plura dixerit, quam in illis duobus, quod attineat ad res, pressius tamen esse locutum, et brevitatem magis adamasse. *Manut.*

αἰδέομαι Τρῶας] ex Homeri Il. Z. 442. ut alibi e. c. epist. Vereor ne reprehendar a bonis, si quid scripsero in gratiam Dolabellae, qui contra rem publ. arma tulit Caesarem secutus. *Manut.*

EPISTOLA DCV. (ad Att. XIII. 16.)

Scr. in Arpinati a. d. VII. Kal. Sextil. A. U. C. 708.

De libris Academicis ad Varronem translatis 1. pauca addit de aliis. 2.

CICERO ATTICO S.

Nos, quum flumina, et solitudines sequeremur, quo facilius sustentare nos possemus, pedem e villa adhuc egressi non sumus; ita magnos, et assiduos imbres habebamus. Illam ἀκαδημικὴν σύνταξιν totam ad Varronem traduximus. Primo fuit Catuli, Luculli, Hortensii. Deinde, quia παρὰ τὸ πρέπον videbatur, quod erat hominibus nota non illorum quidem ἀπαιδευσία, sed in iis rebus ἀτριψία, simul ac veni ad villam, eosdem illos sermones ad Catonem Brutumque transtuli. Ecce tuae literae de Varrone. Nemini visa est aptior Ἀντιόχεια ratio. Sed tamen velim scribas ad me, primum placeatne tibi aliquid ad illum; deinde, si placebit, hocne potissimum.

2 Quid Servilia, iamne venit? Brutus ecquid agit, ecquando? De Caesare quid auditur? Ego ad Nonas, quemadmodum dixi. Tu cum Pisone, si quid poteris.

Epist. DCV. 1. *flumina et solitudines*] flumina intelligit Fibrenum et Lirim, amnes nobiles in agro Arpinati; de quibus lib. II. de Legg. c. 3. solitudines vocat loca sola et ab omni hominum frequentia remota, quibus se afflictum et debilitatum ex interitu Tulliae sustentabat. *Popma.*

non illorum quidem] Sic edidi pro vulg. *non illa quidem.* Sensus est: quia notum erat hominibus non illos quidem omnino illiteratos, sed tamen in philosophia Academica parum versatos esse.

2. *ad Nonas*] in Tusculano ero.

EPISTOLA DCVI. (ad Att. XIII. 14.)

Scr. in Arpinati a. d. VI. Kal. Sextil. A. U. C. 708.

Scribit se Brinnii libertum nolle ad se venire 1. *petit ut Atticus de Bruto et Caesare, quae rescierit, scribat* 2. *et de libris ad Varronem mittendis consideret.* 3.

CICERO ATTICO, S.

Brinnii libertus, coheres noster, scripsit ad me, velle, si mihi placeret, coheredes, se et Sabinum Albium ad me venire. Id ego plane nolo. Hereditas tanti non est. Et tamen obire auctionis diem facile poterunt, (est enim III id.) si me in Tusculano postridie Nonas mane convenerint. Quod si laxius volent proferre diem, poterunt vel biduum, vel triduum, vel ut videbitur. Nihil enim interest. Quare, nisi iam profecti sunt, retinebis homines.

De Bruto, si quid erit; de Caesare, si quid scies; 2 si quid erit praeterea, scribes.

Illud etiam atque etiam consideres velim, placeat- 3 ne tibi mitti ad Varronem quod scripsimus. Etsi etiam ad te aliquid pertinet. Nam scito, te ei dialogo adiunctum esse tertium. Opinor igitur consideremus; etsi nomina iam facta sunt. Sed vel induci, vel mutari possunt.

Epist. DCVI. 1. *hereditas tanti non est*] ut eius causa hanc molestiam hic subire debeam; quum huc venerim ut constituendis praediorum meorum mercedibus operam darem, non ut occupatus curanda auctione detinerer. *Manut.*

2. *de Bruto*] eius novis nuptiis. *Manut.*

de Caesare] de eius reditu ex Hispania. *Manut.*

3. *quod scripsimus*] quatuor libros Academicos. *Manut.*

EPISTOLA DCVII. (ad Att. XIII. 15.)

Scr. in Arpinati a. d. VI. Kal. Sext. A. U. C. 708.

De Atticae valitudine.

CICERO ATTICO S.

Quid agit, obsecro te, Attica nostra? nam triduo abs te nullas acceperam; nec mirum; nemo enim venerat, nec fortasse causa fuerat. Itaque ipse quod scriberem non habebam. Quo autem die has Valerio dabam, exspectabam aliquem meorum: qui si venisset, et a te quid attulisset, videbam non defuturum quod scriberem.

EPISTOLA DCVIII. (ad Att. XIII. 17.)

Scr. in Arpinati V. Kal. Sext. A. U. C. 708.

Petit ut se certiorem faciat, de Bruti nuptiis, et de Atticae valitudine.

CICERO ATTICO S.

Quinto Kalend. exspectabam Roma aliquid; non quo imperassem. Igitur aliquid tuis. Nunc eadem illa, quid Brutus cogitet, aut si aliquid egit, ecquid a Caesare. Sed quid ista, quae minus curo? Attica nostra quid agat, scire cupio. Etsi tuae literae (sed iam nimis veteres sunt) recte sperare iubent. Tamen exspecto recens aliquid.

Epist. DCVII. *quid agit*] Fortasse breve hoc epistolium appendix fuit superioris epistolae.

nec fortasse causa fuerat] cur quisquam veniret, cur quemquam ad me mitteres, quod rem, de qua scriberes, non haberes. *Manut.*

Epist. DCVIII. *non quo imperassem — tuis*] Sic Bosius edidit e cod. suo et Tornaes. Lambinus malebat: *non quo imperassem tuis. Igitur nunc eadem illa.* Bosius lectionem a se repositam sic explicabat: non quia imperassem quicquam mihi

EPISTOLA DCIX. (ad Att. XIII. 18.)

Scr. in Arpinati a. d. IV. Kal. Sext. A. U. C. 708.

De libris ad Varronem perfectis.

CICERO ATTICO, S.

Vides, propinquitas quid habeat. Nos vero conficiamus hortos. Colloqui videbamur, in Tusculano quum essem; tanta erat crebritas literarum. Sed id quidem iam erit. Ego interea admonitu tuo perfeci sane argutulos libros ad Varronem; sed tamen exspecto, quid ad ea, quae scripsi ad te: primum, qui intellexeris eum desiderare a me, quum ipse homo πολυγραφώτατος numquam me lacessisset; deinde, quem ζηλοτυπεῖν, nisi forte Brutum; quem si non ζηλοτυπεῖ, multo Hortensium minus, aut eos qui de re publica loquuntur. Plane hoc mihi explices velim; in primis, maneasne in sententia, ut mittam ad eum, quae scripsi, an nihil necesse putes. Sed haec coram.

Roma nuntiari. Igitur aliquid exspectabam tuis literis. Sed praestat illa verba *igitur aliquid tuis* sic explicare: igitur aliquid tuis literis, etsi satis veteribus, reponendum est.

Epist. DCIX. *conficiamus hortos*] emamus hortos, ut et habeam, non modo ubi fanum aedificare, sed etiam ubi ipse absim, et ab urbe tamen ne longe absim, ep. XII. 37. (h. ed. 562.) *Maxima est in Scapulae celebritas, propinquitas praeterea ubi sis, ne totum diem in villam. — Manut.*

quid ad ea] sc. rescripturus sis.

Hortensium minus] iam mortuum, cui Cicero inscripserat librum de philosophia.

de re publica loquuntur] omnes iam mortuos, ut iis Varro invidere non possit.

EPISTOLA DCX. (ad Att. XIII. 19.)

Scr. in Arpinati a. d. III. Kal. Sextil. A. U. C. 708.

Gratum sibi fuisse scribit, quod Atticae melius sit factum 1. *et quod Ligarianam praeclare commendaverit.* 2. *postremo de Academicis ad Varronem scriptis* 3.

CICERO ATTICO S.

Commodum discesserat Hilarus librarius IV Kal. cui dederam literas ad te, quum venit tabellarius cum tuis literis pridie datis: in quibus illud mihi gratissimum fuit, quod Attica nostra rogat te, ne tristis sis, quodque tu ἀκίνδυνα esse scribis.

2 Ligarianam, ut video, praeclare auctoritas tua commendavit. Scripsit enim ad me Balbus et Oppius, mirifice se probare; ob eamque causam ad Caesarem eam se oratiunculam misisse. Hoc igitur idem tu mihi antea scripseras.

3 In Varrone ista causa me non moveret, ne viderer φιλένδοξος: (sic enim constitueram, neminem includere in dialogos eorum qui viverent,) sed, quia scribis et desiderari a Varrone, et magni illum aestimare, eos confeci: et absolvi, nescio quam bene, sed ita accurate, ut nihil posset supra, Academicam omnem quaestionem libris quatuor. In eis, quae erant contra ἀκαταληψίαν praeclare collecta ab Antiocho, Varroni dedi; ad ea ipse respondeo: tu es tertius in

---

Epist. DCX. 3. *ne viderer φιλένδοξος*] Scripserat enim Atticus, non semper Ciceroni quaerendos esse Catulos et Lucullos, Africanos et Laelios, aut huiusmodi viros, quibus sermonem tribueret in suis libris, ne nimis ambitiosus in claros viros videretur, sed etiam dandum aliquid iis, qui minus illustres essent, proptereaque de Varrone cogitandum. *Manut.*

constitueram] Sic legendum esse vere coniecit Ernestius. Vulgo *constituebam*.

ſermone noſtro. Si Cottam, et Varronem feciſſem inter ſe diſputantes, ut a te proximis literis admoneor; meum κωφὸν πρόσωπον eſſet. Hoc in antiquis perſonis ſuaviter fit, ut et Heraclides in multis, et nos ſex de Re publica libris fecimus. Sunt etiam de Oratore noſtri tres, mihi vehementer probati. In eis quoque eae perſonae ſunt, ut mihi tacendum fuerit. Craſſus enim loquitur, Antonius, Catulus ſenex, C. Iulius, frater Catuli, Cotta, Sulpicius. Puero me hic ſermo inducitur, ut nullae eſſe poſſent partes meae. Quae autem his temporibus ſcripſi, Ἀριστοτέλειον morem habent; in quo ſermo ita inducitur ceterorum, ut penes ipſum ſit principatus. Ita confeci quinque libros περὶ τελῶν, ut Epicurea L. Torquato, Stoica M. Catoni, περιπατητικὰ M. Piſoni darem. ἀζηλοτύπητον id fore putaram, quod omnes illi deceſſerant. Haec Academica, ut ſcis, cum Catulo, Lucullo, Hortenſio contuleram. Sane in perſonas non cadebant. Erant enim λογικώτερα, quam ut illi de iis ſomniaſſe umquam viderentur. Itaque, ut legi tuas de Varrone, tamquam ἕρμαιον arripui. Aptius eſſe nihil potuit ad id philoſo-

---

Cottam] C. Cottam oratorem et Academicum Brut. 49. *Erneſti.*

Heraclides] cognomento Ponticus (ſive Pompicus a mollitia,) Platonis, deinde Ariſtotelis auditor, cuius ſcripta non exſtant. ep. III. 5. ad Q. fratr. (h. ed. epiſt. 154.) Tuſc. V. 3. Diog. Laërt. V. 6. *Manut.*

Ἀριστοτέλειον morem] quo in dialogis uſus eſt, qui iam nulli ſunt. Ipſi non ſatis placuere, et in dialogo ſcribere deſiit, quod aequare Platonis et Xenophontis copiam et venuſtatem non poſſet, iisque adeo poſtponeretur. *Erneſti.*

haec Academica — contuleram] Lambinus coniecit: *haec Academica, quae ut ſcis, in Catulum, Lucullum, Hortenſium contuleram.* Sed bene habet vulgata; et ſignificatur, ſe antea ſermonem de Academicis quaeſtionibus cum Catulo Lucullo et Hortenſio contuliſſe, ſ. ſe ipſum cum his viris diſputantem induxiſſe.

phiae genus, quo ille maxime mihi delectari videtur, measque partes, ut non fim confecutus, ut fuperior mea caufa videatur. Sunt enim vehementer πιθανὰ Antiochia: quae diligenter a me expreffa, acumen habent Antiochi, nitorem orationis noftrum; fi modo is eft aliquis in nobis. Sed tu, dandosne putes hos libros Varroni, etiam atque etiam videbis. Mihi quaedam occurrunt: fed ea coram.

EPISTOLA DCXI. (ad Att. XIII. 20.)

Scr. in Arpinati prid. Kal. Sextil. A. U. C. 708.

Breviter fcribit de variis rebus, in primis fe de fama, quod Romam venire nolit, nihil laborare.

CICERO ATTICO S.

A Caefare literas accepi confolatorias, datas prid. Kal. Mai. Hifpali. De urbe augenda quid fit promulgatum, non intellexi: id fane fcire velim. Torquato noftra officia grata effe, facile patior: eaque

---

measque partes] Edd. pr. habent *easque partes* quod etiam Gronovius praeferendum putabat. Sed verum eft *measque partes*, idque nuper monuit Erneftius. Vere explicat Manutius: Recte cecidit, ut Antiochia Varroni dederim, quae funt vehementer πιθανὰ, partes Philonis mihi fumpferim. Facile enim hac ratione fum confecutus, ne fuperior mea caufa videretur, quo maiorem a Varrone gratiam inibimus.

mihi quaedam occurrunt] cur non dandos putem ep. 22. 24. (h. ed. 613. 615.) *Man.*

coram] nam in Tufculano iam ero. *Manut.*

Epift. DCXI. *accepi confolatorias*] ob mortem filiae. *Hifpali*] quo Caefar ivit poft Pompeii filium acie victum, ut eft in libro de bello Hifpanienfi. *Manut.*

urbe augenda] ut a ponte Milvio fecundum montes Vaticanos Tiberis duceretur. Sic enim fiebat, ut Vaticanis montibus cis Tiberim

augere non desinam. In Ligarianam de uxore Tuberonis et privigna, neque possum iam addere, (est enim res pervulgata,) neque Tuberonem volo offendere. Mirifice est enim φιλαίτιος. Theatrum quidem sane bellum habuisti. Ego, etsi hoc loco facillime sustentor, tamen te videre cupio. Itaque, ut constitui, adero. Fratrem credo a te esse conventum. Scire igitur studeo, quid egeris. De fama nihil sane laboro; etsi scripseram ad te tunc stulte: *nihil melius.* Curandum enim non est. Atque hoc, *in omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportet discedere*, viden' quam φιλοσόφως? an tu nos frustra existimas haec in manibus habere?

---

inclusis, et ex fossa, qua prius Tiberis decurrisset exsiccata, magnam in amplitudinem urbs explicaretur. ep. 33. 35. (h. ed. 592. 619.) *Manut.*

In Ligarianam] Sic Gronovius scribi iussit, pro vulg. *ad Ligarianam.* Eodem modo ad Att. l. 13. (h. ed. ep. 18.) *in orationem Metellinam addidi quaedam.*

de uxore Tuberonis et privigna] Gronovius intelligit Tuberonem ab istis mulieribus instigatum esse, ad accusandum Ligarium apud Caesarem. Sed res est incerta.

est enim res pervulgata] significat orationem Ligarianam iam in multorum manibus esse.

offendere] Sic edidi ex Ernestii coniectura. Vulgatum *defendere* haud aptum est sequentibus.

φιλαίτιος] *accusandi et querendi cupidus.*

theatrum quidem] Hoc videtur pertinere ad orationem Ligarianam, quam Atticus in consessu virorum aliquot nobilium legerat. Ex quibus fortasse nonnulli fuerant, qui vellent aliquid inseri de Tuberonis uxore et privigna. Gronovius tamen hoc novum putat esse epistolae caput nihil commune habens cum superioribus; intelligitque de alia occasione quam habuerit Atticus commodam explicandae facundiae.

de fama] est initium novae rei. Dicit se non curare, quid homines Romae de se dicant, sc. ut supra est, quod abesset Roma, a curia et foro. *Ern.*

haec in manibus habere] intelligit libros philosophi-

δεδῆχθαι te nollem, quod nihil erat. Redeo enim rursus eodem. Quidquamne me putas curare in toto, nisi ut cui ne desim? id ago scilicet, ut iudicia videar tenere. μὴ γὰρ αὐτοῖς! vellem tam domestica ferre possem, quam ista contemnere. Putas autem me voluisse aliquid, quod perfectum non sit? non licet scilicet sententiam suam; sed tamen quae tum acta sunt, non possum non probare; et tamen non curare pulchre possum, sicuti facio. Sed nimium multa de nugis.

---

cos in quibus vel legendis vel scribendis versabatur.

δεδῆχθαι te nollem] Nollem te ista verba mea momordissent, quod stulte scripseram nihil fama melius.

in toto] in universo loco negotio defensionum forensium.

nisi ut cui] Ita scribendum duxi, Ernestio auctore, pro vulg. *nisi ut ei ne desim.*

id ago scilicet] Sensus est: quasi vero id mihi curae sit, ut in foro dominer, et primus oratorum esse videar. Sic *forum tenere* dixit in Bruto c. 28. *scenam tenere* Sueton. Tib. 7. *Gronov.*

μὴ γὰρ αὐτοῖς] neque enim illis scilicet nunc delector. *Gronov.* Videtur esse initium versiculi.

tam domestica] quae passus sum a fratre et filio eius; ab uxore Terentia, in morte filiae. *Gronov.*

me — perfectum non sit] iam olim sc. excellere in foro, et iam ipsum morari vetera vota et memet ipsum destituere. *Gronov.*

non licet scilicet] int. mutare. Dicitur ironice; immo licet. Pertinet ad superius vitae genus, in foro et in iudiciis, quod se dicit olim probasse, nunc iure suo contemnere ac relinquere. *Ernesti.*

quae tum acta sunt] quum quasi habitarem in foro, et assiduam operam amicis darem, eorum me non poenitet. *Gronov.*

tamen non curare pulchre possum] possum actionibus abstinere causarum, quando aliter scilicet tempus fert. *Grenov.*

EPISTOLA DCXII. (ad Att. XIII. 21.)

Scr. in Arpinati Kalendis Sextil. A. U. C. 708.

De epistola ad Hirtium scribenda 1. *de Torquati negotio.* 2. *de literis a Quinto fratre exspectatis* 3. *de vocabulo inhibere non reponendo* 4. *de libris de Finibus nondum divulgandis et de libris ad Varronem Academicis* 5. 6. *de aliis quibusdam* 7. *de homine non nominato, cui Atticus puellam despondere volebat.* 8.

CICERO ATTICO S.

Ad Hirtium dederam epistolam sane grandem, quam scripseram proxime in Tusculano. Huic, quam tum mihi misisti, rescribam alias. Nunc aliis malo.

2 Quid possum de Torquato, nisi aliquid a Dolabella? quod simul ac, continuo scietis. Exspectabam hodie, aut summum cras ab eo tabellarios; qui simul ac venerint, mittentur ad te.

3 A Quinto exspecto. Proficiscens enim e Tusculano XI kal. ut scis, misi ad eum tabellarios.

4 Nunc, ad rem ut redeam, *inhibere* illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum. Quamquam id quidem sciebam: sed arbitrabar sustineri remos, quum inhibere essent remiges iussi. Id non esse eiusmodi didici

---

Epist. DCXII. 1. *huic*] scil. Hirtii epistolae.

2. *de Torquato*] de A. Torquato; nempe ut in Caesaris gratiam reduceretur cf. ep. 600. Significat se nihil de eius negotio scribere posse, nisi aliquid a Dolabella rescierit, cui eius causam commendaverat.

quod simul ac] Sc. rescivero ex Dolabellae literis.

3. *XI Kal.*] ita scribendum erat, pro vulg. *IIX Kal.* Nam XI. Kal. profectus erat, quod ex epist. 601. intelligitur.

4. *inhibere illud tuum*] Cicero aliquo loco Academicorum priorum, quum de ἐποχῇ seu de assensione ex Academicorum sententia retinenda locutus esset, usus erat vocabulo *sustinere*

heri, quum ad villam nostram navis appelleretur. Non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id ab ἐποχῇ remotissimum est. Quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit. Dices hoc idem Varroni, si forte mutavit. Nec est melius quidquam, quam ut Lucilius:

Sustineat currum, ut bonus saepe agitator, equosque.

Semperque Carneades προβολὴν pugilis, et retentio-

---

ut in Lucullo s. Acad. IV. 31. Atticus ei vocabulum *inhibere*, ut in re nautica de sustinendo navis motu proprium, reponendum esse monuerat, idque Ciceroni valde arriserat. Deinde autem quum navis ad villam Arpinatem appelleretur, intellexit, quum nautae iuberentur *inhibere*, eos non sustinere navem, sed alio modo remigare, i. e. navem in puppim convertere. Hoc nimirum est *inhibere remis* (quod Gronovius docuit Obs. lib. IV. c. 26.) i. q. πρύμναν κρούεσθαι, ἀνακρούσασθαι, ἐπὶ πρύμναν κρούσασθαι. Cicero igitur meliora doctus vult in eo libro servari, ut fuerat, verbum *sustinere*.

dices hoc item Varroni] At vix est credibile Varronem istos Academicorum libros ex priore editione iam habuisse, quos Cicero exire nolebat. Itaque hic latere puto nomen servi Ciceronis literati. Suspicarer *Tironi*, nisi illum hoc tempore non Romae, sed apud Cic. in villa fuisse ex epist. 617. colligeretur. Fortasse *Marioni*; nam hoc nomine servum habuisse Ciceronem constat.

si forte mutavit] Vulgo *nisi forte mutavit*; sed hoc repugnat antecedentibus. Sensus enim hic est: dices, si forte mutavit verbum *sustinere*, et *inhibere*, quod tu suaseras, reposuit, ut illud *sustinere* restituat.

ut Lucilius] Ita recte Faërnus et Malaspina legendum censuerunt, frustra renitente Fr. Gronovio. Cur enim Lucullo in isto dialogo versiculus hexameter tribueretur? Itaque Cicero hoc versiculo Lucilii eo consilio utitur, ut significet, nihil melius esse, quam verbum *sustinere* de ἐποχῇ Academicorum usurpare, quod Lucilius de curru et equis hoc versiculo usurpaverit, praesertim quum ipse Carneades retentionem aurigae similem faciat ἐποχῇ.

προβολὴν] προβολὴ est in-

nem aurigae, similem facit ἐποχῇ. Inhibitio autem remigum motum habet, et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim. Vides, quanto hoc diligentius curem, quam aut de rumore, aut de Pollione. De Pansa etiam, si quid certius; (credo enim palam factum esse;) de Critonio, si quid esset: certene de Metello et Balbino.

---

terprete Budaeo in Comm. Gr. L. p. 390. *status pugilis in procinctu stantis occasionique inferendae plagae imminentis.* Inde etiam ad milites transfertur, qui in acie stant, proiectis scutis impetum hostium exspectantes et excipientes et tempus impetus faciendi idoneum speculantes, ap. Plutarch. in Caesare, quem locum idem ille attulit Budaeus l. I. De militibus Latini dicunt: *proiicere scutum.* Quadrigarius ap. Gell. IX. 13. Graeci προβάλλεσθαι ἀσπίδα ap. Aelian. Var. hist. 11. c. ult. et ab hac proiectione scuti status ille gladiatorius et militaris προβολή appellatur. Adiicere placet locum e Gellio de hac re insignem: *sicuti* (athletae) *ad certandum vocati proiectis alte brachiis consistunt, caputque et os suum manibus opposito quasi vallo praemuniunt* etc. unde de ea re χεῖρας ἀείρειν, χειρῶν ἀνάτασις dicitur. Vid. Cuper obss. L. 12. p. 88. qui etiam docet, hoc ipsum ἀνέχειν dici ap. Apollon. Rhod. II. 67. Ex his intelligi facile potest, quomodo Carneadi in mentem venerit, ut huic προβολῇ compararet ἐποχὴν suam *assensus retentionem.* — *Ernesti.*

de rumore] de rumore quem Atticus scripserat, de Cicerone, non esse bonum quod urbem et forum fastidiret fugeretque. *Gronov.*

de Pollione] de C. Asinio Pollione, qui erat cum Caesare in Hispania, sive de eo quod Pollio ad Ciceronem scripserat, de Q. filio lib. XII. 38. (h. ed. ep. 563.) sive Pollioni aliquid accidisse adversi. *Gronov.*

5. *de Pansa — Balbino.*] Totum hunc locum Graevius ita constituendum putabat: *Vides quanto hoc diligentius curem, quam aut de rumore, aut de Pollione, aut de Pansa etiam. At si quid certius, credo enim palam factum esse, de Critonio, sique quid esset certi de Metello et Balbino,*

5 Sed dic mihi, placetne tibi primum edere iniussu meo? hoc ne Hermodorus quidem faciebat, is qui Platonis libros solitus est divulgare; ex quo, λόγοισιν Ἑρμόδωρος. Quid illud? rectumne existimas cuiquam ante, quam Bruto? cui te auctore προσφωνῶ. Scripsit enim Balbus ad me, se a te quintum de Finibus librum descripsisse: in quo non sane multa mutavi: sed tamen quaedam. Tu autem commode feceris, si reliquos continueris, ne et ἀδιόρθωτα habeat Balbus, et ἕωλα Brutus. Sed haec hactenus, ne videar περὶ μικρὰ σπουδάζειν. Etsi nunc quidem maxima mihi sunt haec. Quid est enim aliud?

---

scil. id rogo significes. Gronovius tantum pro *certene* corrigebat *certe* totumque sic exponebat: „Vides quam hoc diligentius curem, quam aut de rumore, aut de Pollione, quam etiam curem de Pansa, si quid certius allatum esset; (credo enim conclamatum de eo esse) quam de Critonio, si quid esset veri in eo, quod fertur, sed nihil esse, et omne id vanum puto. Certe non curo de Metello et Balbino, quod narratur." Ceterum qui fuerint hi tres, quos postremo loco nominat, incertum est, nec tanti est coniecturis indulgere.

6. *Sed dic mihi*] Praeposui *sed*, ne abruptior sit transitus ad aliam rem.

primum] Nempe *primum* erat, quod Cicero reprehendebat, Atticum libros de finibus iniussu suo divulgare; alterum, quod rectum existimaret eos cuiquam ante quam Bruto dare.

hoc ne Hermodorus quidem] Hermodorus Platonis auditor in Sicilia libros Platonis a se descriptos vendere solebat.

λόγοισιν Ἑρμόδωρος] In proverbio erat: λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται, cuius meminit Suidas.

προσφωνῶ] cui illos libros inscripsi; eum in praefatione allocutus.

ne et ἀδιόρθωτα — et ἕωλα] ne Balbus libros incorrectos habeat, et Brutus obsoletos, i. e. ante a pluribus lectos, quam ad ipsum pervenerint.

περὶ μικρὰ σπουδάζειν], *in parvis rebus serio laborare.*

Varroni quidem quae scripsi te auctore, ita pro- 6
pero mittere, ut iam Romam miserim describenda. Ea si voles, statim habebis. Scripsi enim ad librarios, ut fieret tuis, si tu velles, describendi potestas. Ea vero continebis, quoad ipse te videam; quod diligentissime facere soles, quum a me tibi dictum est. Quod autem fugit me tibi dicere, mirifice Caerellia studio videlicet philosophiae flagrans describit a tuis: istos ipsos de Finibus habet. Ego autem tibi confirmo, (possum falli, ut humanus,) a meis eam non habere. Numquam enim ab oculis meis abfuerunt. Tantum porro aberat, ut binos scriberent; vix singulos confecerunt. Tuorum tamen ego nullum delictum arbitror, idemque te volo existimare. A me enim praetermissum est, ut dicerem, eos exire nondum velle. Hui quam diu de nugis? de re enim nihil habeo, quod loquar.

De Dolabella tibi assentior. Coheredes, ut scri- 7
bis, in Tusculano. De Caesaris adventu, scripsit ad me Balbus, non ante Kal. Sept. De Attica optime, quod levius, et quod fert εὐκόλως.

---

7. *quae scripsi te auctore*] quatuor libros Academicorum.

quod autem fugit] Olim edebatur, *quomodo a. f.* Lambinus voluit *quoniam a. f.* Alii ediderunt *quam autem fugit.*

ut humanus] In cod. Malasp. et Tornaes. legebatur *ut homo* quod probavit Lambinus. Attamen alibi sic poni *humanus* Graevius ad h. l. et Gronov. ad Liv. VIII. 4. docuerunt.

8. *coheredes*] Brinniani.

in Tusculano] me conveniant.

ante Kal. Sept.] Sic legendum est, non ut vulgo *ante Kal. Sext.* cf. ep. 627. Vere enim rediit Caesar ad urbem initio mensis Octobris.

quod levius] Vulgo *quod levius ac lenius* inepte. Iam Lambinus delendum censuerat *ac lenius;* in cod. Tornaes. erat: *quod levius ac levius*, qua ex mendosa eiusdem vocabuli repetitione alii fecerunt *levius ac lenius*, tautologia prorsus absurda. *quod levius* int. a morbo vexatur.

et quod fert εὐκόλως] quod

8 Quod autem de illa nostra cogitatione scribis, in qua nihil tibi cedo; ea, quae novi, valde probo; nomen, domum, facultates. Quod caput est, ipsum non novi: sed audio laudabilia de Scrofa. Proxime accedit, si quid hoc ad rem: εὐγενέστερος est etiam, quam pater. Coram igitur, et quidem propenso animo ad probandum. Accedit enim, quod patrem, ut scire te puto, plus etiam, quam non modo tu, sed quam ipse scit, amo, idque et merito, et iam diu.

---

aequo animo fert adversam valitudinem.

9. *de illa nostra cogitatione*] de Attica, proco alicui, (quem nonnulli putant Thalnam fuisse de quo supra ep. 588.) collocanda, quae deinde M. Vipsanio Agrippae nupsit.

nomen, domum] Vulgo *hominem, domum.* Sed si scripsisset *hominem novi*, quomodo statim scribere potuisset *ipsum non novi.* Ergo *nomen* reposui, i. e. gentem. Sic Catull. 60. *vetus nomen* dixit pro gente vetere et illustri.

Scrofa] a Gn. Tremellio Scrofa.

proxime accedit] Vulgo *etiam proxime accedit.* Sed illud *etiam* hic valde languet, nec dubito id a librariis e versiculo sequenti temere hic inculcatum esse. Mirum vero est, Manutium Popmam et Bosium hoc *proxime accedit* de habitatione illius proci accepisse, quasi Cicero dicat, hoc etiam habere illam conditionem commodi, quod procus habitet in vicinia Attici. Fortasse tamen aliter interpungendum: *etiam proxime* (i. e. etiam nuper admodum audivi de Scrofa.) *Accedit, si quid hoc* etc.

εὐγενέστερος] nobilior, sc. a matris prosapia.

EPISTOLA DCXIII. (ad Att. XIII. 22.)

Scr. in Arpinati a. d. IV. Non. Sextil. A. U. C. 708.

De libris ad Varronem mittendis, ac de iis, quae de Finibus scripserat, nondum divulgandis 1. *de negotiis pecuniariis* 2. *de Atticae valitudine* 3. *et Caesaris epistola* 4.

CICERO ATTICO, S.

De Varrone, non sine caussa, quid tibi placeat, tam diligenter exquiro. Occurrunt mihi quaedam. Sed ea coram. Te autem ἀσμενέστατα intexui, faciamque id crebrius. Proximis enim tuis literis primum, te id non nolle, cognovi. De Marcello, scripserat ad me Cassius antea; τὰ κατὰ μέρος Servius. O rem acerbam! Ad prima redeo. Scripta nostra nusquam malo esse, quam apud te: sed ea tum foras dari, quum utrique nostrum videbitur. Ego et librarios tuos culpa libero, neque te accuso; et tamen aliud quiddam ad te scripseram, Caerelliam quaedam habere, quae nisi a te non potuerit. Balbo quidem intelligebam satfaciendum fuisse: tantum nolebam, aut obsoletum Bruto, aut Balbo inchoatum dari. Varroni, simul ac te videro, si tibi videbitur, mittam. Quid autem dubitarim, quum videro te, scies.

Epist. DCXIII. 1. *quid tibi placeat*] de libris Academicarum quaestionum ad eum mittendis.

ἀσμενέστατα] lubentissime. Atticum enim ab eo his libris intextum esse constat ex libro primo, quem superstitem habemus.

τὰ κατὰ μέρος Servius] Cassius enim qui tum Brundisii erat, nisi forte ipse Athenas quoque venerit, breviter tantum caedem Marcelli nuntiaverat, a Ser. Sulpicio fuse narratam epist. 566.

inchoatum] Puto Ciceronem scripsisse *incorrectum*; voluit enim Latine dicere, quod supra ep. 612. graece dixerat ἀδιόρθωτον.

2 Attributos quod appellas, valde probe. Te de praedio Oviae exerceri, moleste fero. De Bruto nostro, perodiosum: sed vita fert. Mulieres autem vix satis humane, quae inimico animo ferant, quum utraque officio pareat. Tullium scribam, nihil fuit, quod appellares. Nam tibi mandassem, si fuisset. Nihil enim est apud eum positum nomine voti: sed est quiddam apud illum meum. Id ego in hanc rem statui

---

2. *Attributos quod appellas*] eos, qui pecuniam mihi ex attributione debitorum meorum, (nostri dicunt: *durch Assignation*) solvere debent, quod de solutione appellas, bene facis.

de praedio Oviae] Ita rescripsi pro vulg. de *praedio aviae;* quod sic intelligunt, Attico molestias quasdam ex praedio ab avia ei hereditate relicto creatas fuisse. At vix credibile hanc aviam Attici usque ad h. a. vixisse; altera enim iam XX annis ante decesserat. cf. ep. 8. Quum enim Atticus A. U. C. 708. sexaginta quatuor annos natus esset, aviam eius, si nuper demum decessisset, aetatem plus centum annorum attigisse oporteret; nec facile est intellectu quomodo in praedio aviae exerceri potuerit. Itaque mihi plane persuasi intelligendum esse praedium Oviae Lollii a Cicerone solutionis causa traditum, (de quo supra ep. 538.) quo in negotio tricae poterant oriri, quae Attico molestias facesserent.

de Bruto] lites erant ortae inter Porciam, novam coniugem Bruti, eiusque matrem Serviliam; eaeque non aliam ob causam, quam quod ζηλοτυπίᾳ mutua mulieres aegrotarent; quod socrus scilicet Porciae amorem mariti, nurus Serviliae amorem filii invideret; itaque Cicero ait, mulieres vix satis humane facere, quae inimico animo ferant, quum utraque officio pareat, h. e. quod Servilia Brutum ut filium, et Porcia eum ut maritum amet.

Tullium scribam] Tullium Lauream, Ciceronis libertum, qui eius, quum Ciliciam proconsule regeret, scriba fuerat.

nomine voti] Votum intelligit fanum Tulliae destinatum; quod ut exstrueret ep. 533. *quasi voto quodam et promisso se teneri* putabat. Atticus vero haud recte intel-

conferre. Itaque et ego recte tibi dixi, ubi esset: et tibi ille recte negavit. Sed hoc quoque ipsum continuo adoriamur. Lucum hominibus non sane probo, quod est desertior: sed habet εὐλογίαν. Verum hoc quoque, ut censueris; quippe qui omnia. Ego, ut constitui, adero: atque utinam tu quoque eodem die! sin quid, (multa enim) utique postridie. Etenim coheredes: a quis sine te opprimi, malitia est.

Alteris iam literis nihil ad me de Attica. Sed 3
id quidem in optima spe pono. Illud accuso, non te,

---

lexerat, quod erat a Cic. scriptum, pecuniam quandam apud Tullium scribam positam esse, quam statuerit ad fanum conferre. Ille Tullium scribam de illa pecunia, quam a Cicerone nomine voti haberet, appellaverat. Tullius negabat, sibi hoc nomine pecuniam traditam esse. Itaque Cicero dicere poterat: ego recte tibi dixi, ubi esset pecunia, qua uti volebam ad fanum aedificandum; et tibi ille recte negavit, sibi traditam esse a me pecuniam huius voti nomine.

lucum hominibus — εὐλογίαν] Non placet fana hominibus aedificanda in luco poni, ubi raro cernuntur, adeoque non habent vim ad memoriae celebritatem. Secus est in diis, qui per se noti sunt; sed habet εὐλογίαν i. e. speciem vel ex nominis reverentia, et inde probabilis videtur. *Ernesti.* At enim haec ratio interpretandi contortior est, quam ut probari possit. Suspicor Ciceronem scripsisse: *lucum, quod est desertior ab hominibus, non sane probo, sed habet εὐωνίαν*; i. e. sed habet tamen hoc commodi, quod modico pretio emi potest.

sin quid —] sin quid te Romae detinebit, multa enim possunt; utique postridie mecum sis; etenim coheredes eo die aderunt; i. e. postridie Nonas ep. 14. (h. ed. 606.) *Manut.*

a quis — malitia est] a quibus si opprimerer te absente, quasi astutia quadam me circumventum esse putarem. *Malitia* ponitur ambigue, ut vel in coheredes, vel ad Atticum referri possit, qui si Ciceronem in hoc negotio destituisset, malitiose egisse videretur.

sed illam, ne salutem quidem. At tu et illi, et Piliae plurimam: nec me tamen irasci indicaris.

4 Epistolam Caesaris misi, si minus legisses.

EPISTOLA DCXIV. (ad Att. XIII. 23.)

Scr. in Arpinati a. d. III. Non. Sextil. A. U. C. 708.

De Bruto Romae potius conveniendo, quam in Tusculano 1. *de libris suis ad Varronem et Brutum mittendis* 2. *de mandatis suis in re pecuniaria* 3.

CICERO ATTICO, S.

1 Antemeridianis tuis literis heri statim rescripsi: nunc respondeo vespertinis. Brutus mallem me arcesseret. Nam et aequius erat, quum illi iter instaret et subitum, et longum: et mehercule nunc, quum ita simus affecti, ut non possimus plane simul vivere, (intelligis enim profecto, in quo maxime posita sit συμβίωσις,) facile patiebar nos potius Romae una esse, quam in Tusculano.

2 Libri ad Varronem non morabuntur. Sunt enim effecti, ut vidisti; tantum librariorum menda tollun-

---

indicaris] Multo rectius, quam ut alii *iudicaris*. — *Manut.*

4. *epistolam Caesaris*] consolatoriam illam ep. 611.

Epist. DCXIV. 1. *me arcesseret*] mallem me Romam arcesseret, quam in Tusculanum ad me veniret.

iter] quum ire obviam Caesari constituisset ex Hispania redeunti. *Manut.*

maxime posita] posita est enim in iucunditate. Quum autem iucunde non liceat vivere, nulla potest esse συμβίωσις, nulla suavitas e convictu.

2. *non morabantur*] Vulgo *morabuntur*. Sed hoc tempus h. l. ineptum est. Ait enim moram nullam fore quo minus illi libri mox mittantur.

sunt enim effecti] Hic locus varie legitur. Edd. Rom. Asc. Ald. etc. habent *defecti*, quod non necesse erat Bosio ex uno Ms. proferre. Id quum manifeste vitiosum

tur; de quibus libris scis me dubitasse. Sed tu videris. Item, quos Bruto mittimus, in manibus habent librarii.

Mea mandata, ut scribis, explica; quamquam 3
ista retentione omnes ait uti Trebatius; quid tu istos putas? nosti domum. Quare confice εὐλόγως. Incredibile est, quam ego ista non curem. Omni tibi asseveratione affirmo, quod mihi credas velim, mihi maiori offensioni esse, quam delectationi, possessiunculas

---

sit, varie correctum est. Bosius fecit ex uno Ms. *delicti*, quod et Gruterus edidit, Bosius putabat esse pro *perfecti*. Cato R. R. 77. dixit *defingere panem* in partem bonam; *deformare* item alii, ut de figuris geometricis. Vid. Salmas. ad Solin. p. 766. Lambinus correxit *detexti*, eleganter, idque et Graevio placuit, qui tamen *defecti* servavit. Gronovius malebat *affecti*. Olim in clave conieci *descripti* ex ep. 21. ubi dicit Cicero se describendos misisse; nunc erant descripti. Denique in ed. Iensoni reperi *effecti*, quod est, ut saepe apud plures, absoluti, idque adeo in textum recipere non dubitavi. Si non est satis certa ea lectio, at ceteris omnibus per se melior est, et perspicua. *Ernesti*.

3. *ista retentione omnes uti*] Erat quidam debitor Ciceronis, qui ei satisfacere volebat domo, quam habebat, cedenda, ex lege Caesaris, qua *decrevit*, *ut debitores creditoribus satisfacerent per aestimationem possessionum, quanta quaeque ante civile bellum comparassent, deducto summae aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum aut perscriptum fuisset, qua conditione quarta pars fere crediti deperibat*. Suet. Iul. c 42.

nedum istos] Caesarianos. Nempe ille debitor qui Ciceroni debitum solvere volebat per aestimationem domus ei cedendae, eo magis hoc legis Iuliae beneficio utebatur, quod a partibus Caesaris stetisset.

nosti domum] non quod Ernestio placebat, domum aliquam, quam Cicero hereditate acceperat, et vendere volebat; sed domum a debitore ei cedendam.

εὐλόγως] Edidi lectionem veterem ex ed. Rom. Asc. P. Manut. Vict. Aldus deinde dedit, συναγῶς, quem Cra-

meas. Magis enim doleo, me non habere, cui tradam, quam gaudeo habere, qui utar. Atque illud Trebatius se tibi dixisse narrabat. Tu autem veritus es fortasse, ne ego invitus audirem. Fuit id quidem humanitatis: sed, mihi crede, iam ista non curo. Quare da te in sermonem, et perseca, et confice, excita, compella, loquere, ut te cum illo Scaeva loqui putes. Ne existimes eos, qui non debita consectari soleant, quod debeatur, remissuros. De die tantum videto, et id ipsum bono modo.

EPISTOLA DCXV. (ad Att. XIII. 24.)

Scr. in Arpinati prid. Non. Sextil. A. U. C. 708.

Quaerit an verum sit filium suum Corcyrae visum; addit de libris Academicorum ad Varronem mittendis.

CICERO ATTICO. S.

Quid est, quod Hermogenes mihi Clodius, Andromenem sibi dixisse, se Ciceronem vidisse Corcyrae?

---

tander et Lambinus imitati sunt. Bosius e Ms. suo dedit εὐαγώγως, quem Gruterus et Graevius secuti sunt. Id mihi non aptum videtur. Est contrarium τῷ ἀναγώγως, quod est *pertinaciter*, nec pertinet ad agentem, sed ad eum quocum agitur. At εὐλόγως est commoda aliqua ratione, *bono modo* ut in fine dixit. *Ernesti.*

me non habere cui tradam] Filia scil. mortua; uxore dimissa; filio autem tum suspecto, ut quid de moribus eius speraret, incertus esset.

quam gaudeo me habere] Vulgo tantum legitur *quam habere*, in quo sensus non constat; ut verba *gaudeo me* librariorum culpa exciderint necesse sit.

perseca — loquere] Tunstallus recte coniecit haec verba ex aliquo poeta comico desumpta esse; nec dubito verum esse, quod Ernestio in mentem venit, *Scaevam* illum ipsum personam comicam fuisse.

Epist. DCXV. *Hermogenes Clodius*] fenerator ille, cuius mentio facta est.

Ciceronem] intelligit filium suum, quem Athenas miserat.

Ego enim audita tibi putaram. Nil igitur ne ei quidem literarum? An non vidit? Facies ergo ut sciam.

Quid tibi ego de Varrone rescribam? Quatuor 2 διφθέραι sunt in tua potestate. Quod egeris, id probabo. Nec tamen αἰδέομαι Τρῶας: quid enim? sed, ipsi quam res illa probaretur, magis verebar. Sed quoniam tu suscipis; in alteram aurem.

EPISTOLA DCXVI. (ad Div. IX. 8.)

Scr. in Arpinati prid. Non. Sextil. A. U. C. 708.

Libros quatuor Academicarum quaestionum Varroni mittit.

CICERO VARRONI.

Etsi munus flagitare, quamvis quis ostenderit, ne populus quidem solet, nisi concitatus: tamen ego exspectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos. Nosti enim profecto os adolescentioris Academiae. Ex ea igitur media excitatos misi; qui metuo, ne te forte flagitent; ego autem mandavi, ut rogarent. Exspectabam omnino iamdiu, meque sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quam aliquid accepissem, ut possem te remunerari quam simillimo munere. Sed, quum tu tardius face-

---

ne ei quidem literarum] sc. dedit filius.

an non vidit] an omnino verum non est filium ab eo Corcyrae visum.

2. διφθέραι] quatuor libri Academicarum quaestionum in tot membranis scripti.

in alteram aurem] sc. dormio, securi sum animi de academicis, quando tu hoc suscipis fore ut Varroni placeant. *Manut.*

Epist. DCXVI. *os adolescentioris*] Vulgo *os eius adol. Ac.* Delevi *eius* quod et a Ms. nostro abest, et Gu. 1. edd. Rom. 1471. Med. Graevius dedit *illius* e MSS. duobus nec hoc male. *Ernesti.*

res, id est, ut ego interpretor, diligentius: teneri non potui, quin coniunctionem studiorum, amorisque nostri, quo possem literarum genere, declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, quum esset una Pomponius. Tibi dedi partes Antiochinas, quas a te probari intellexisse mihi videbar; mihi sumpsi Philonis. Puto fore, ut, quum legeris, mirere, nos id locutos esse inter nos, quod numquam locuti sumus. Sed nosti morem dialogorum. Posthaec autem, mi Varro, quam plurima, si videtur, et de nobis inter nos; sero fortasse; sed superiorum temporum fortuna rei publicae causam sustineat. Haec ipsi praestare debemus. Atque utinam quietis temporibus, atque aliquo, si non bono, at saltem certo statu civitatis, haec inter nos studia exercere possemus! Quamquam tum quidem vel aliae quaepiam rationes, honestas nobis et curas, et actiones darent: nunc autem quid est, sine his cur vivere velimus? Mihi vero cum his ipsis vix: his autem detractis, ne vix quidem. Sed haec coram, et saepius. Migrationem, et emptionem feliciter evenire volo, tuumque in ea re consilium probo. Cura ut valeas.

Antiochinas] Antiochi Ascalonitae, qui magister fuerat Varronis.

Philonis] academici, quem Cicero olim audiverat.

superiorum — sustineat] sed fortuna superiorum temporum rei publicae causam sustineat, quod ea operam nostram sibi vindicarit, nosque a literarum studiis et a consuetudine sermonisque societate abduxerit.

migrationem] in domum nuper emptam. *Manut.*

evenire] Lambinus addi volebat *tibi*.

EPISTOLA DCXVII. (ad Att. XIII. 25.)

Scr. in Nonis Sextil. A. U. C. 708.

Adduntur pauca ad ea quae ep. 614. de retentione, et ep. 615. de Andromene scripserat. 1. *de Bruto conveniendo* 2. *de libris ad Varronem et de epistola ad eum missa* 3.

CICERO ATTICO S.

De retentione rescripsi ad tuas accurate scriptas literas. Conficies igitur, et quidem sine ulla dubitatione, aut retractatione. Hoc fieri et oportet, et opus est. De Andromene, ut scribis, ita putaram. Scisses enim, mihique dixisses.

Tu tamen ita mihi de Bruto scribis, ut de te ni- 2
hil. Quando autem illum putas? Nam ego Romam pridie Idus. Bruto ita volui scribere, (sed quoniam tu te legisse scribis, fui fortasse ἀσαφέστερος) me ex tuis literis intellexisse, nolle eum me quasi prosequendi sui caussa Romam nunc venire. Sed quoniam iam adest meus adventus, fac quaeso, ne quid eum Idus impediant, quo minus suo commodo in Tusculano sit. Nec enim ad tabulam eum desideraturus eram. In tali enim negotio cur tu unus non satis es? sed ad testamentum volebam; quod iam malo alio die; ne ob eam

---

Epist. DCXVII. 1. *de retentione*] cf. ep 614.

de Andromene – ita putaram] falsum esse ab eo Ciceronem filium Corcyrae visum. cf. ep. 615.

2. *illum putas*] sc. profecturum.

pridie Idus] Sextiles.

sed — ἀσαφέστερος] sed quoniam tu meam epistolam ad Brutum, ut scribis, legisti, et aliter in ea atque sententia mea fuit, scriptum dicis, fieri potuit, ut verbis non satis dilucidis usus sim.

ad tabulam] ad auctionem Brinnianam,

ad testamentum] ut eum una cum aliis ad obsignandum testamentum adhibere possim.

caussam Romam venisse videar. Scripsi igitur ad Brutum, iam illud, quod putassem, Idib. nihil opus esse. Velim ergo totum hoc ita gubernes, ut ne minima quidem re ulla Bruti commodum impediamus.

3 Sed quid est tandem, quod perhorrescas, quia tuo periculo iubeam libros dari Varroni? Nihil est enim illis elegantius. Etiam nunc, si dubitas, fac ut sciamus. Volo Varronem, praesertim quum ille desideret: sed est, ut scis,

δεινὸς ἀνήρ. τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόωτο.

Ita mihi saepe occurrit vultus eius, querentis forasse vel hoc, meas partes in iis libris copiosius defensas esse, quam suas: quod mehercule non esse intelliges, si quando in Epirum veneris. Nam nunc Alexionis epistolis cedimus. Sed tamen ego non despero probatum iri Varroni: et id, quoniam impensam fecimus in macrocolla, facile patior teneri. Sed etiam atque etiam dico, tuo periculo fiet. Quare, si addubitas, ad Brutum transeamus. Est enim is quoque Antiochius. O Academiam volaticam, et sui similem, modo huc,

---

3. *quia tuo periculo*] Respicit ultima epistolae 615. verba.

nihil est enim illis elegantius] Haec verba huc transposui: Antea legebantur post verba *fac ut sciamus;* ubi non respondent antecedentibus.

volo Varronem] illos libros accipere ei inscriptos.

δεινὸς ἀνὴρ] *vehemens vir, et qui vel insontem accusare audeat* Homer. Iliad. Λ. 653.

si quando in Epirum veneris] ubi plus tibi erit otii ad hos libros legendos.

Alexionis epistolis cedimus] Nam nunc tibi facile concedo, ut omissa librorum meorum lectione, te occupatum habeant epistolae Alexionis procuratoris tui, de rebus Epiroticis.

in macrocolla] in membranas maiores et pretiosiores; in quibus exemplum Academicorum Varroni destinatum describendum curavi. Salmasius ad Vopiscum docuit non μακρόκωλα, sed μακρόκολλα scribendum esse.

o Academiam volaticam] Iocatur in libros Academi-

modo illuc. Sed, quaeso, epistola mea ad Varronem valdene tibi placuit? male mi sit, si umquam quidquam tale enitar. Ergo ne Tironi quidem dictavi, qui totas περιοχὰς persequi solet, sed Spintharo syllabatim.

EPISTOLA DCXVIII. (ad Div. XIII. 77.)

Scr. Romae mense Sextili, die incerto A. U. C. 708.

Officio suo in supplicatione decernenda narrato 1. commendat M. Bolanum 2. et ut Dionysium servum suum fugitivum restitui curet, roget 3.

M. T. CICERO P. SULPICIO, IMP. S. D.

Quum his temporibus non sane in senatum ventitarem; tamen, ut tuas literas legi, non existimavi,

---

cos, in quibus primo volebat Catulum, Lucullum et Hortensium inducere, deinde Brutum et Catonem, iam vero Varronem; quid quod nondum erat certum, utrum in hoc persisteret, an ad Brutum rediret. Id comparat cum inconstantia Academicorum philosophorum. Sic enim Antiochus e nova in veterem Academiam remigraverat. Cic. Acad. I.

epistola mea ad Varronem] nostrae editionis 616.

Si umquam quidquam tale enitar. Ergo ne Tironi] Vulgo legebatur: *si umquam quidquam tam enitar. Ergo. Ac ego ne Tironi.* Bosius reliquis servatis dedit e cod. decurtato *tam enitar* ἔργον Iunius in MSS. duobus invenit *tam enitar ergo. Ego.*

περιοχὰς] *totas verborum complexiones, s. periodos,* ubi facile poterat quaedam aliter scribere atque Cicero dictasset.

sed Spintharo syllabatim] scil. ut ne syllaba quidem aliter poneretur, atque ego vellem.

Epist. DCXVIII. 1. *P.* SULPICIO] Bernardinus Rutilius, qui opiniones quasdam suas in Familiares, ut vocant, Ciceronis epistolas, me puero, edidit, legendum arbitrabatur, *P. Vatinio*, adductus in hanc sententiam ea ratione, quia Cicero de servo suo Dionysio scribit in hac epistola, de quo idem Vatinius ad Ciceronem in duabus V. 9. 10. (h. ed. 598. 648.) et ad eum Cicero epist. 11. (h. ed.

me salvo iure nostrae veteris amicitiae, multorumque inter nos officiorum, facere posse, ut honori tuo deessem. Itaque affui, supplicationemque tibi libenter decrevi: nec reliquo tempore ullo, aut rei, aut existimationi, aut dignitati tuae deero. Atque, hoc ut tui

---

ep. 646.) Sensit idem postea Corradus in suis scholiis. Mihi non satis neque Rutilii neque Corradi sententia, quam alii postea secuti sunt, probatur. Nam ut illud omittam, quod haec huius epistolae verba: *salvo iure nostrae veteris amicitiae;* et quae sunt infra: *pro tuo perpetuo in me studio* non videntur in Vatinium convenire, cuius erga Ciceronem perpetuum certe studium non fuerat, inimicitiis, oratione adversus eum notissimis, interruptum; ut hoc, inquam, omittam, quod exigui ponderis non est, valde me movet ea ratio, quod post supplicationem decretam scribit Cicero de servo suo ad Sulpicium; et Vatinio decreta supplicatio videtur Octobri mense ut ex ep. 10. lib. V. (h. ed. 648.) non dubiam facere coniecturam licet. Scripsit enim Vatinius Nonis Dec. eam epistolam quum de supplicatione decreta iam e Ciceronis literis cognovisset. Ante Novembrem autem priorem eius epistolam acceperat Cicero datam V. Idus Quint. in qua de fuga servi Dionysii se audisse significavit. Quod quum ita sit, cui verisimile videatur, hanc epistolam, Sulpicio inscriptam, in qua de supplicatione decreta fit *mentio*, ad Vatinium de Dionysii fuga, multo ante supplicationem ei cognita, ut ignota de re missam esse? Ad hanc rationem accedit altera, ipsa quoque, ut arbitror, non contemnenda. Nam quum Cicero supplicationem decretam Sulpicio significat, eodem tempore M. Bolanum commendat. Vatinius autem in epistola sua de supplicatione sibi decreta respondens, verbum de Bolano nullum facit. Consensum omitto veterum librorum, quibus in omnibus perspicue scriptum video, ne una quidem litera veritatem obscurante, *P. Sulpicio*. Restat illa dubitatio: quum in Vatinii imperio urbs Narona fuerit, ut ex ipsius epistolis intelligitur, qui possit eadem urbs esse in imperio Sulpicii. Placere video doctis viris, id quod ego quoque semper existimavi, Vatinii,

necessarii sciant, hoc me animo erga te esse, velim facias eos per literas certiores, ut, si quid tibi opus sit, ne dubitent mihi iure suo denuntiare.

M. Bolanum, virum bonum, et fortem, et omnibus rebus ornatum, meumque veterem amicum, tibi magnopere commendo. Pergratum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, hanc commendationem sibi magno adiumento fuisse. Ipsumque virum optimum, gratissimumque cognosces. Promitto tibi, te ex eius amicitia magnam voluptatem esse capturum. Praeter-

---

qui tribunatum e Caesaris primum consulis voluntate gesserat, et Sulpicii, qui eiusdem Caesaris legatus fuerat in Gallia, communem fuisse provinciam Illyricum; et eo magis, quod iidem in re quoque maritima contra Octavium Pompeianum, praeclare gesta, collegae fuerant, ut apud Oppium de bello Alex. c. 44. scriptum est. At Vatinium de Illyrico sine Sulpicio triumphasse, fasti docent, ex quo sequi videtur, ut solus Illyrico praefuerit. Hoc refellere non difficile est. Potuit enim toto triennio, quo Vatinius Illyricum administravit, i. e. a quarto Caesaris consulatu ad Lepidum et Plancum consules aliquid in provincia Sulpicius offendere, aut a Caesare ipso revocari, aut post obitum Caesaris ab Octaviano rerum potito; potuit ante Lepidi et Planci consulatum interire; fortasse etiam hunc honorem Octavianus, quum omnia non iure, non more, sed ex dominantium libidine gererentur, uni Vatinio gratiae causa largiri voluit. *Manutius.* Bene hoc expedivit Manutius, et Hieronymo quoque Ragazonio idem placuit, hanc epistolam ad P. Sulpicium, non ad Vatinium scriptam esse. Quod autem Manutius ait in libro de bello Alexandrino c. 44. mentionem fieri Sulpicii, id secus est. Contra, quod Ragazonium non fugit in libro de bello Africano c. 10. haec verba leguntur: *Caesar cum cohortibus septem quae ex veteranis legionibus in classe cum Sulpicio et Vatinio rem gesserant, oppido Ruspina regressus, proficiscitur ad portum:* ex quibus intelligitur Sulpicium una cum Vatinio rebus Illyricis praefuisse.

ea a te peto in maiorem modum, pro nostra amicitia et pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores.

3 Dionysius, servus meus, qui meam bibliothecen multorum nummorum tractavit, quum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Is est in provincia tua. Eum et M. Bolanus, familiaris meus, et multi alii Naronae viderunt. Sed quum se a me manumissum esse diceret, crediderunt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere, quam mihi gratum futurum sit. Res ipsa parva, sed animi mei dolor magnus est. Ubi sit, et quid fieri possit, Bolanus te docebit. Ego si hominem per te reciperaro, summo me a te beneficio affectum arbitrabor.

EPISTOLA DCXIX. (ad Att. XIII. 35. 36.)

Scr. in Tusculano VIII. Id. Sext. A. U. C. 708.

De urbe per Atheniensem quendam augenda 1. de libris Academicis Varroni datis. 2. de Bruti erga se amore 3.

CICERO ATTICO S.

O rem indignam! Gentilis tuus urbem auget; quam hoc biennio primum vidit: et ei parum magna visa est, quae etiam ipsum capere potuerit. Hac de

---

Epist. DCXIX. 1. *gentilis tuus*] aliquis Atticus vel Atheniensis artifex Geometres, a Caesare adhibitus designando spatio proferendi pomoerii *Gronov.* Eum gentilem s. popularem Attici vocat, quod Athenae quasi altera Pomponii patria essent.

quam hoc biennio primum vidit] Gentilis tuus dominatur iure suo, et ex privatis facit publica in ea civitate, cuius ius proximo demum biennio adeptus est, quum scilicet Caesar omnes medicinam professos et liberalium artium doctores civitate donavit Sueton. Iul. 42. *Gronov.*

ei parum — potuerit] Ex hoc loco colligitur illum Geometram, Atheniensem

me igitur exspecto literas tuas. Varroni, scribis, te simul ac venerit. Dati igitur iam sunt; nec tibi integrum est; hui, si scias quanto periculo tuo; aut fortasse literae meae te retardarunt. Sed eas nondum legeras, quum has proximas scripsisti. Scire igitur haveo, quo modo res se habeat.

De Bruti amore, vestraque ambulatione, etsi mihi nihil novi affers, sed idem, quod saepe; tamen hoc audio libentius, quo saepius: eoque mihi iucundius est, quod tu eo laetaris; certiusque eo est, quod a te dicitur. 2

EPISTOLA DCXX. (ad Att. XIII. 37.)

Scr. in Tusculano VIII. Id. Sext. A. U. C. 708.

De Xenonis nomine 1. *de Quinti filii maledictis* 2. *de laudatione Porciae* 3. *de gladiatoribus* 4. *de auctione Cluvianorum bonorum proscribenda.* 5.

CICERO ATTICO, S.

Has alteras hodie literas. De Xenonis nomine, et de Epiroticis xxxx, nihil potest fieri nec commodius, nec aptius, quam ut scribis. Id erat locutus mecum eodem modo Balbus minor.

---

primum fuisse auctorem Caesari pomoerii proferendi; nam si tantum adhibitus esset negotio, quod Caesar suapte sponte decrevisset, nimis frigide hoc in illum Geometrum iaceretur. Mirum est, inquit, huic Graeculo parum magnam visam esse Romam, quae tamen tantum quoque hominem, quantus ille sibi scilicet videtur, capere potuerit.

ac venerit] sc. libros Academicos daturum.

quanto periculo] qui asseverasti, eos ipsi placituros, si non placeant. *Ernesti.*

de Bruti amore] hic vulgo nova epistola inchoatur. Cuius tamen argumentum est eiusmodi, ut potius appendix esse huius epistolae videatur.

Epist. DCXX. 1. *Xenonis nomine*] Xeno videtur Attici

2 Novi nihil sane, nisi Hirtium cum Quinto acerrime pro me litigasse; omnibus eum locis furere, maximeque in conviviis; quum multa de me, tum redire ad patrem; nihil autem ab eo tam ἀξιοπίστως dici, quam alienissimos nos esse a Caesare; fidem nobis habendam non esse; me vero etiam cavendum; (φοβερὸν ἦν, nisi viderem scire regem, me animi nihil habere) Ciceronem vero meum vexari. Sed id quidem arbitratu suo.

3 Laudationem Porciae gaudeo me ante dedisse Leptae tabellario, quam tuas acceperim literas. Eam tu igitur, si me amas, curabis, si modo mittetur, isto modo mittendam Domitio, et Bruto.

---

procurator fuisse, qui dederat pecuniam Ciceronis filio Athenis agenti; eo pertinent Epirotica XXXX i. e. 40000 HS. *Ernesti.*

2. *furere*] Sic recte Faërnus. Vulgo *facere.*

tum redire ad patrem] etiam de patre detrahere. Et venuste, *redire*, quasi domum. *Manut.*

scire regem] int. Caesarem, qui sibi nihil timendum esse a Cicerone, homine timido, videbat, adeoque contemnebat eius a se alienationem. *Ernesti.*

Ciceronem meum vexari] Hoc non sic accipiendum, ut fecit Manutius, quasi Cicero Marci filius a Quinto filio vexaretur; quod qui fieri potuisset, quum ille Athenis, hic in Hispania esset? Sed pendet hoc a verbo *dici.* Dicere igitur etiam hoc solebat Q. filius, Ciceronem Marci filium a patre vexari, quum scil. Athenis duriter haberetur et nimis parce; in quo Ernestius verum vidit; et iam ante eum viderat Gronovius; qui id crimen Q. filii in M. patrem coniectum apte comparavit cum Pomponii tribuni plebis facto, qui L. Manlio invidiam fecerat ob filium male tractatum Liv. VII. 4.

3. *Porciae*] Catonis sororis, quae L. Domitii Ahenobarbi uxor fuerat.

isto modo] ut est a me scripta, omissa, quam tu adhiberi velles, correctione. *Manut.*

Domitio et Bruto] filio illi Porciae et huic affini eiusdem. *Ernesti.*

De gladiatoribus, de ceteris, quae ſcribis ἀνεμο- 4
φόρητα, facies me quotidie certiorem.

Velim, ſi tibi videtur, appelles Balbum, et Offi- 5
lium de auctione proſcribenda. Equidem locutus ſum cum Balbo. Placebat; puto conſcripta habere Offilium omnia; habet et Balbus; ſed Balbo placebat, propinquum diem, et Romae; ſi Caeſar moraretur, poſſe diem differri. Sed is quidem adeſſe videtur. Totum igitur conſidera. Placet enim Veſtorio.

---

4. *de gladiatoribus*] de gladiatorum ſpectaculis, in ludis, qui inſtabant, exhibendis.

ἀνεμοφόρητα] *levia et digna quae ventis ferantur.*

quotidie] Corradus cum aliis rectius putabat *quoque*. Neque enim de his tantópere cuperet certior fieri, ut quotidie ſcribere Atticum iuberet. Sed notandum eſt, Ciceronem ab Attico quotidie literas de aliis rebus accepiſſe, ut facile quid in ludis quotidie geſtum eſſet, addere poſſet.

5. *Balbum*] qui Caeſaris, ut puto, coheredis res curabat ep. 50. (h. ed. 636.) *Manut.*

Offilium] ut coheredem.

auctione] Cluvianorum bonorum. Cluvius enim Puteolanus heredes ſcripſerat T. Hordeonium et Ciceronem, alios item, ut patet ex XIII. 46. XVI. 6. ad Att. inter coheredes autem de auctione convenerat, ut bonis in pecuniam redactis, ſuum quisque capere facilius poſſet. *Manut.*

omnia] Cluviana bona, quae in auctione venibant. *Manut.*

propinquum diem] auctionem proſcribi non longe a Caeſaris adventu, ſed propinquo die, ut poſt adventum fieri ſtatim poſſet; quod ſi Caeſar moraretur, futurum, ut eum diem, in quem proſcripta eſſet auctio, prorogare poſſemus, quoad ille in urbem ſe recepiſſet. Romae autem proſcribi auctionem, non Puteolis, Balbo placebat. *Manut.*

EPISTOLA DCXXI. (ad Att. XIII. 38.)

Scr. in Tusculano VII. Id. Sext. A. U. C. 708.

De contumeliosis Q. filii literis, et de ratione eum excipiendi.

CICERO ATTICO S.

Ante lucem quum scriberem contra Epicureos, de eodem oleo et opera exaravi nescio quid ad te, et ante lucem dedi. Deinde quum, somno repetito, simul cum sole experrectus essem, datur mî epistola a sororis tuae filio, quam ipsam tibi misi, cuius est principium non sine maxima contumelia; sed fortasse οὐκ ἐπέστησεν. Est autem sic; *Ego enim non probo; quidquid non belle in te dici potest.* Posse vult in me multa dici non belle; sed ea se negat approbare. Hoc quidquam pote impurius? Iam cetera leges, (misi enim ad te) iudicabisque. Bruti nostri quotidianis assiduisque laudibus, quas ab eo de nobis haberi permulti mihi renuntiaverunt, commotum istum aliquando, scripsisse aliquid ad me; credo et ad te; idque ut sciam, facies: nam ad patrem de me quid scripserit, nescio; de matre quam pie? *Volueram*, inquit, *ut quam plurimum*

Epist. DCXXI. *contra Epicureos*] Tusculanam secundam, quam scripsit de tolerando dolore, contra Epicuri sententiam, qui summum malum ponebat in dolore. *Manut.*

sororis tuae filio] Q. Cicerone.

οὐκ ἐπέστησεν] fortasse lapsus est per ignorantiam, quum non intelligeret, contumeliosum esse, quod scriberet. *Manut.*

scripsisse aliquid ad me] Pertinet manifeste ad epistolam Q. filii ad patruum Ciceronem. Itaque *scripsisse* dedi pro *scripsisti*, quod placuit Corrado, Gronovio; mihi, quum primum legi, sic in mentem venit. *Ernesti.* Recte quidem, sed post verba *aliquid ad me* vel excidit *puto;* vel intelligendum *credo* ex proxime sequentibus.

tecum essem, conduci mihi domum; et id ante scripseram: neglexisti. Ita minus multum una erimus. Nam ego istam domum videre non possum: qua de causa, scis. Hanc autem causam pater odium matris esse dicebat. Nunc me iuva, mi Attice, consilio, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον, ἢ σκολιᾶς ἀπάτας. Ut enim Pindaro, sic δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν. Omnino moribus meis illud aptius, sed hoc fortasse temporibus. Tu autem, quod ipse tibi suaseris, idem mihi persuasum putato. Equidem vereor maxime, ne in Tusculano opprimar. In turba haec essent faciliora. Utrum igitur Asturae? Quid, si Caesar subito? Iuva me, quaeso, consilio. Utar eo, quod tu decreveris.

πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον] Iam Victorius intellexerat Ciceronem hic uti loco Pindari, quem Plato adduxit de Republ. lib. II. ubi ille, ὥσπερ ἐπιπτόμενοι, inquit, συλλογίσασθαι ἐξ αὐτῶν, ποῖος τις ἂν ὢν καὶ πῇ πορευθεὶς τὸν βίον, ὡς ἄριστα διέλθοι, λέγοι γὰρ ἂν ἐκ τῶν εἰκότων πρὸς αὐτὸν κατὰ Πίνδαρον ἐκεῖνο τὸ, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον ἢ σκολιᾶς ἀπάτας ἀναβὰς καὶ ἐμαυτὸν οὕτω περιφράξας διαβιῶ. Quaerit igitur Cicero, utrum se cum Quinto filio agentem murum altum iustitiae an obliqui doli ascendere Atticus iubeat, h. e. ut recte Gronovius exponit, utrum suadeat Atticus, ut palam praeferat iustam iram, quam meruerat Quintus insectando et criminando patruum apud Caesarem et omnes, eaque de causa non modo obiurget, sed etiam excludat, ac nolit videre iuvenem, an vero animum minacem in eo frangat, et sic meminisse doloris eius dissimulet.

ὕψιον] Hic vulgo addebantur ista: *id est, utrum aperte hominem asperner et respuam,* quae rectissime iudicavit Valckenarius ad Eurip. fragm. p. 194. insititia esse.

δίχα — εἰπεῖν] *ambigit animus ad verum dicendum.* Pindari locus ex carmine deperdito.

in Tusculano opprimar] a Quinto filio.

quid si Caesar subito] melius esset Asturae Q. filium excipere, si tamen Caesar subito venerit, melius esset propius Roma abesse et in Tusculano manere.

EPISTOLA DCXXII. (ad Att. XIII. 39.)

Scr. in Tusculano VI. Id. Sext. A. U. C. 708.

De impiis Q. filii literis. 1. Romam se venturum sed invitum 2. Dicaearchi aliquot libros poscit 3.

CICERO ATTICO S.

O incredibilem vanitatem! ad patrem, domo sibi carendum propter matrem: plena pietatis. Hic autem iam languescit, et ait sibi illum iure iratum. Sed utar tuo consilio; σκολιὰ enim tibi video placere.

2 Romam, ut censes, veniam, sed invitus. Valde enim in scribendo haereo. Brutum, inquis, eadem scilicet. Sed nisi hoc esset, res me ista non cogeret. Nec enim inde venit, unde mallem; neque diu abfuit; neque ullam literam ad me. Sed tamen scire haveo, qualis ei totius itineris summa fuerit.

3 Libros mihi, de quibus ad te antea scripsi, velim mittas, et maxime Φαίδρου περισσῶν, et Ἑλλάδος.

Epist. DCXXII. 1. *O incredibilem vanitatem*] Q. scilicet patris et filii.

plena pietatis] ironice scilicet.

hic autem] Q. pater nimium filio indulgens iam languescit, et ait filium a se acerbius tractatum esse, ideoque sibi iure irasci.

2. *in scribendo haereo*] totus in scribendo sum. Scribebat autem quaestiones Tusculanas. *Manut.*

Brutum, inquis, eadem scilicet] Ais, eadem via, vel eadem opera si Romam venerim, me Brutum convenire posse, qui Caesari obviam ierat, iam redeuntem. Ita commodius cum Lambino et Bosio interpreteris, quam cum Manutio eandem de republica sententiam. *Sed nisi hoc esset*, inquit, quod tu putas Romae melius esse Quintum excipere, *res me ista*, ut Brutum viderem, *non cogeret.*

Φαίδρου περισσῶν et Ἑλλάδος] Hanc lectionem Bosius et Iunius in MSS. invenerunt; putantque utrumque librum esse Dicaearchi, alterum Φαίδρου περισσὰ inscriptum, in quo ille multa in Platonis Phaedro superflua et

EPISTOLA DCXXIII. (ad Att. XIII. 40.)

Scr. in Tusculano a. d. VI. Id. Sext. A. U. C. 708.

De Bruti ad Atticum literis, et de Q. filii adventu.

CICERO ATTICO S.

Itane nuntiat Brutus, illum ad bonos viros? εὐαγγέλια! sed ubi eos? nisi forte se suspendit. Hic autem ut stultum est! ubi igitur φιλοτέχνημα illud

---

redundantia esse docuerit, alterum vero eundem, qui βίος Ἑλλάδος, in quibus Dicaearchus regiones Graeciae Graecorumque populorum mores descripserat. Thomas tamen Reinesius, ut alias coniecturas minus probabiles praeteream, Var. lect. III. 3. pro Φαίδρου περισσῶν legendum censebat Φαίδρου περὶ Θεῶν, cuius auctorem putabat esse Phaedrum Epicureum Zenonis Sidonii filium, quem Cicero puer una cum Attico audiverat. Nusquam tamen eius libri mentio apud veteres reperta est. Ac verisimilem est utrumque librum, quem h. l. Cicero ab Attico poscit, Dicaearchi fuisse; etsi qui fuerit verus prioris titulus, incertum est.

Epist. DCXXIII. *illum ad bonos viros*] Caesarem ad bonos viros rediturum; i. e. ad optimates.

εὐαγγέλια] Rectius hoc absolute ponitur quam, ut Bosius fecit coniungitur cum superioribus, q. d. Caesarem missurum εὐαγγέλια ad bonos viros, quod illos iubeat in patriam redire.

ubi eos?] sc reperiet?

nisi forte se suspendit] sc. ut ad inferos veniat, ubi bonos viros reperiat. *Ernesti.*

hic autem ut stultum est] Sic bene Tunstallus p. 22. correxit vulgatam: *hic autem ut fultum est*, quod interpretabantur sic, quasi Cicero suppressisset verba: *Caesaris imperium.*

φιλοτέχνημα] fortasse leg. φίλον τέχνημα. Sed quale fuerit hoc opus artificiosum haud satis constat. Bosius intelligit statuas L. Iunii Bruti qui Tarquinium expulit, et Servilii Ahalae, qui Sp. Maelium occidit, quas Atticus in Parthenone haberit. Gronovius autem accepit de stemmate Bruti ab Attico composito; in quo ille a L. Iunio Bruto

tuum, quod vidi in Parthenone, Ahalam, et Brutum? Sed quid faciant? Illud optime, *sed ne is quidem, qui omnium flagitiorum auctor, bene de nostro.* At ego verebar, ne etiam Brutus eum diligeret. Ita enim significarat iis, quas ad me. Ac vellem aliquid degustasse de fabulis. Sed coram, ut scribis. Etsi, quid mi auctor es? advolone, an maneo? Equidem et

---

et Servilio Ahala deductus fuerit, duobus tyrannicidis.

quod vidi in Parthenone] Parthenon dicebatur templum Minervae in arce Athenarum. Sed hic haud dubie est pars aedium Attici aut praetorii alicuius vel villae lautioris, quemadmodum in Palatina Augusti domo erat cubiculum, quod dicebatur Syracusae Suet. Octav. 72. et aliud quod Hermaeum appellabatur Suet. Claud. 10. *Gronov.*

Ahalam et Brutum] supple: reperiemus?

sed quid faciant] Etiam si Ahala et Brutus sint, quid faciant, quum Caesar ita sit potens *Corrad.* Post Corradum alii lectionem *faciat* invexere, minus bene.

illud optime] illud optime scripsisti: *sed ne is quidem, qui* (Q. filio) *omnium flagitiorum auctor bene de nostro* hoc cognato iudicat.

omnium flagitiorum auctor] Hirtius potius, quam Caesar; nam is ad Caesarem Quinto filio aditum aperuit; Att. XI. ep. 20. (h. ed. epist. 425.) ut quaecunque flagitia Quintus committit, Caesaris gratia fretus, Hirtio ascribi iure possint. *Manut.*

ita enim significarat iis quas ad me] Ita Gronovius. Vulgo *quas ad meas.* Agitur autem de literis, quas a Quinto filio acceperat. In iis significarat aliquid, e quo Cicero colligebat eum a Bruto diligi.

ac vellem — de fabulis] h. e. vellem aliquid de sermonibus, quos Brutus cum Q. filio habuit, rescissem. Haec enim, quod recte Popma monuit, verba sunt Ciceronis, non Attici, ut nonnulli crediderunt. Sed Popma sic interpretabatur: Vellem Brutus aliquid degustasset de fabulis et fictis sermonibus, quos Q. filius de me et de te habuit, certe illum non amaret. Gronovius vero, quod minime placet, illa verba ex epistola Q. filii ad Ciceronem sumpta esse putabat, et pro *degustasse* reponendum *degustasses* hoc sensu: tu patrue, M. Cicero vellem gu-

in libris haereo, et illum hic excipere nolo: ad quem, ut audio, pater hodie ad Saxa Acronoma. Mirum, quam inimicus ibat, ut ego obiurgarem. Sed ego ipse κεκφοῦμαι. Itaque posthac. Tu tamen vide, quid de adventu meo censeas; et τὰ ὅλα, cras si perspici potuerint, mane statim ut sciam.

EPISTOLA DCXXIV. (ad Att. XIII. 41.)

Scr. in Tusculano V. Id. Sext. A. U. C. 708.

De epistola ad Attici sororem Q. fratri missa, et de ratione eius filium accipiendi.

CICERO ATTICO S.

Ego vero Quinto epistolam ad sororem misi. Quum ille quereretur filio cum matre bellum, et se ob

---

stasses aliquid de suavitate sermonum, quos cum Bruto habui, quum una in Hispania sumus. At verba quae proxime sequuntur, *sed coram, ut scribis*, satis declarant, Ciceronem cupidum fuisse e literis Bruti ad Atticum datis intelligendi, quae Brutus cum Quinto filio locutus esset. Ceterum, etsi parum interest, rescripsi *ac vellem*, quum vulgo legatur *at vellem.*

ad Saxa Acronoma] scil. profectus est. Sed lectio incerta. Nam quum corrupte in MSS. legeretur *ad saxa acrimonia*, Victorius ex aliis codd. rescripsit *ad saxa acrunomia*; Lambinus e Turnaes. et Bosius e cod. decurtato *acronoma.* Pithoeus autem in margine libri sui scripserat *ad saxa Archerontia*, quod sive ex ingenio, sive ex libro fuerit, Ernestius haud absurdum putabat. Nam *Archerontia urbs* Apuliae in alto saxo iacebat, unde nidum Acherontiae appellat Horatius. Carm. III. 4.

ut ego obiurgarem] quod nimis iratus esset filio.

κεπφοῦμαι] est *levitate quadam animi huc illuc impellor.* Nam Suidas κέπφους ait vocari τοὺς ἐλαφροὺς φρεσίν, et interpres Aristophanis Plut. 913. τοὺς ἀλογίστους καὶ ἀνοήτους. Hesychio etiam κεπφωθεὶς est ὁ ὀξέως ἑλκυνόμενος. *Bosius.*

Epist. DCXXIV. *Quinto — misi*] Quinto fratri episto-

eam caussam domo cessurum filio diceret; dixi illum commodas ad matrem literas, ad te nullas. Ille alterum mirabatur: de te autem suam culpam, quod saepe graviter ad filium scripsisset de tua in illum iniuria. Quod autem relanguisse se dicit, ego ei tuis literis lectis σκολιᾶς ἀπάτας significavi me iratum non fore. Tum enim mentio Canae. Omnino, si id consilium placeret, esset necesse. Sed ut scribis, ratio est habenda gravitatis; et utriusque nostrum idem consilium esse debet: etsi in me graviores iniuriae, et certe notiores. Si vero etiam Brutus aliquid afferet, nulla dubitatio est. Sed coram. Magna enim res, et multae cautionis. Cras igitur; nisi quid a te commeatus.

Iam ab Attico ad sororem suam scriptam Cicero misit, ut ex illa intelligeret, quid Atticus scripserit sorori. Ita recte Graevius h. l. explicavit.

quod autem relanguisse se dicit] nempe Quintus pater quum antea filio nimium iratus esset, iam se mitiorem factum rescripserat. Ut enim volaticum erat Quinti patris ingenium, in horas mutabatur.

σκολιᾶς ἀπάτας significavi me iratum non fore] Vulgo abest *iratum*, quod nec sensus nec structura verborum abesse patitur. Sensus est: ego σκολιᾶς ἀπάτας τεῖχος ἀναβὰς h. e. obliquo dolo usus, non ex animi sententia locutus, cf. ep. 621. significavi me Quinto filio iratum non fore.

Canae] quam despondere volebant Quinto filio.

esset necesse] ut ego iracundiam meam premerem.

si — afferet] Si Brutus novas contumelias in me a Q. filio coniectas afferet, nulla dubitatio est, quin graviter mihi, si venerit, obiurgandus sit.

cras igitur nisi — commeatus] Cras, inquit, ad te veniam, nisi mihi scripseris me nondum desiderari, licere mihi diutius abesse; commeatus enim est longius manendi in agro potestas. Commeatum autem dedisse Atticum innuit ep. 43. (h. ed. 625.) quum literis Attici acceptis biduo serius Romam se venturum scriberet, et diceret: *ego vero utar prorogatione diei* q. d. commeatu impetrato a

EPISTOLA DCXXV. (ad Att. XIII. 43.)

Scr. in Tusculano a. d. IV. Id. Sext. A. U. C. 708.

Gratias agit quod sibi de prorogatione diei, quo Romam veniendum sit, scripserit.

CICERO ATTICO S.

Ego vero utar prorogatione diei: tuque humanissime fecisti, qui me certiorem feceris, atque ita, ut eo tempore acciperem literas, quo non exspectarem; tuque ut ab ludis scriberes. Sunt omnino mihi quaedam agenda Romae; sed consequemur biduo post.

EPISTOLA DCXXVI. (ad Att. XIII. 44.)

Scr. in Tusculano prid. Id. Sext. A. U. C. 708.

De Caesaris statua in pompa Circensi gestata. 1. de libris Academicis Varroni datis 2. de Atticae ludorum spectatione 3. de libris aliquot mittendis et loco Ligarianae corrigendo.

CICERO ATTICO S.

Suaves tuas literas! etsi acerba pompa. Verumtamen scire omnia non acerbum est, vel de Cotta.

---

te utar, et meum ad vos iter differam. *Graevius.*

Epist. DCXXV. *ut ab ludis*] Circensibus Caesaris iussu institutis, quorum spectatio te poterat impedire.

Epist. DCXXVI. 1. *acerba pompa*] Pompam intelligit Circensem, qua Caesaris signum inter deorum signa gestatum est, decreto senatus. Dio hist. lib. XLIII. Sueton. in Iul. c. 76. *Manut.*

vel de Cotta] vel id, quod scribis de Cotta percrebescere. Percrebuerat enim, ut ait Suetonius in Iulio c. 79. L. Cottam XV virum-sententiam dicturum proximo senatu, ut quoniam libris fatalibus contineretur Parthos nisi a rege non posse vinci, Caesar rex appellaretur. Quae causa coniuratis maturandi fuit destinata negotia, ne assentiri necesse esset. Idem in secundo de divina-

Populum vero praeclarum, quod propter malum vicinum, ne Victoriae quidem ploditur. Brutus apud me fuit; cui quidem valde placebat, me aliquid ad Caesarem. Annueram; sed pompam videret.

2 Tu tamen ausus es Varroni dare? exspecto quid iudicet. Quando autem perleget?

3 De Attica, probo. Est quiddam etiam animum levari quum spectatione, tum etiam religionis opinione, et fama.

---

tione c. 54. legitur, ita scriptum: *Sibyllae versus observamus quos illa furens fudisse dicitur: quorum interpres nuper falsa quadam hominum fama dicturus in senatu putabatur, eum, quem re vera regem habebamus, appellandum quoque esse regem, si salvi esse vellemus.— Manut.*

propter malum vicinum] Quum in pompa signum Victoriae, quae apud Romanos ut dea colebatur, per ora populi veheretur, populus contra consuetudinem plausum non dedit, ne Caesari dare videretur, cuius signum prope Victoriae signum gestabatur; sed Cicero circuitione utens, Victoriae malum vicinum Caesarem appellat. *Manut.*

aliquid ad Caesarem] scribere, scil. de re publica ordinanda.

annueram, sed pompam videret] annueram, ante quam epistola tua venisset, qua mihi de pompa illa Circensi Caesarisque statua inter deorum signa gestata scripseras; qua accepta Brutum monui, ut *pompam videret*, h. e. ut cogitaret, an ad eum eiusmodi aliquid scribendum sit, qui iam ut deus colatur, et quicquid scripsero, ob superbiam sit aspernaturus. Ita fere Manutius. Recte opinor. Mongaltius vero sic reddidit. *Brutus a passé ici; il voudroit fort, que j'écrivisse quelque chose pour César; je m'y étois engagé, mais Brutus n' a qu' à voir cette belle procession;* sensu quidem non incommodo, sed tamen haud admittendo, nisi legamus: *sed pompam viderit.* Ceterum in Mss. quibusdam erat: *sed pompa deterret.*

2. *Varroni dare*] libros Academicos.

3. *de Attica probo*] quod ei concesseris, ut ludos Romanos spectaret.

Cottam mihi velim mittas. Libonem mecum 4
habeo, et habueram ante Cascam. Brutus mihi T. Ligarii verbis nuntiavit, quod appellatur L. Curfidius in oratione Ligariana, erratum esse meum: sed, ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Curfidium pernecessarium Ligariorum: sed eum video ante esse mortuum. Da igitur, quaeso, negotium Pharnaci, Antaeo, Salvio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.

EPISTOLA DCXXVII. (ad Att. XIII. 45.)

Scr. in Tusculano Id. Sext. A. U. C. 708.

De adventu Caesaris in epistola eius nuntiato, et de divisione hereditatis Cluvianae.

CICERO ATTICO S.

Fuit apud me Lamia post discessum tuum; epistolamque ad me attulit missam sibi a Caesare: quae quamquam ante data erat, quam illae Diocharinae, tamen plane declarabat illum ante ludos Romanos esse venturum. In qua extrema scriptum erat, ut ad ludos omnia pararet, neve committeret, ut frustra ipse properasset. Prorsus ex his literis non videbatur esse du-

---

4. *Cottam — Libonem — Cascam*] Libri horum hominum intelligendi; et de Libonis annali iam supra scripserat ep. 591. Popma tamen putabat libros Attici significari ex opere de familiis, de quo Cornel. Nepos in vita c. penult.

μνημονικὸν ἁμάρτημα] memoriae lapsum.

Pharnaci, Antaeo, Salvio] librariis tuis.

tollatur] idque factum. Nam in oratione Ligariana Curfidius nusquam appellatur. *Manut.*

Epist. DCXXVII. *Diocharinae*] literae a Diochare Caesaris liberto scriptae, qui nominatur XI. 6. (h. ed. ep. 398.) *Manut.*

ad ludos omnia pararet] ad ludos Romanos. Erat enim aedilis. Caesar nimirum ad urbem esse cogitaverat initio Septembris.

bium, quin ante eam diem venturus esset: idemque Balbo, quum eam epistolam legisset, videri Lamia dicebat. Dies feriarum mihi additos video: sed quam multos, fac si me amas, sciam. De Baebio poteris, et de altero vicino Egnatio. Quod me hortaris, ut eos dies consumam in philosophia explicanda; currentem tu quidem: sed cum Dolabella vivendum esse istis diebus vides. Quod nisi me Torquati causa teneret, satis erat dierum, ut Puteolos excurrere possem, et ad tempus redire. Lamia quidem a Balbo (ut videbatur) audiverat, multos nummos domi esse numeratos, quos oporteret quamprimum dividi. Magnum pondus argenti, praeter praedia: auctionem primo quoque tempore fieri oportere. Scribas ad me velim, quid tibi placeat. Equidem, si ex omnibus esset eligendum, nec diligentiorem, nec officiosiorem, nec nostri studiosiorem facile delegissem Vestorio: ad quem

---

quin ante eam diem venturus esset] Neque tamen venit; nam non prius quam mense Octobri ad urbem rediit.

dies feriarum mihi additos esse] Brinniana scil. auctione dilata cf. ep. 603. 609.

Torquati causa] nempe Auli Torquati. Cf. ep. 600. et 612.

Puteolos] ut cretionem Cluvii Puteolani et rationem testamenti cognoscerem. Hoc autem ei curandum erat, qui sciret se a Cluvio heredem institutum XIII. 46. (h. ed. 628.) *Manut.*

ad tempus] ut advenientem Caesarem possim excipere XIII. 46. (h. ed. 628.) *Manut.*

multos nummos] a Cluvio relictos.

praeter praedia] exceptis praediis Cluvianis, fortasse, ut integrum esset Caesari, si quod eorum concedere amicis aut familiaribus vellet. Et infra ep. 46. (h. ed. 628.) *etiam de hortis Cluvianis egi cum Balbo; liberalius; se enim statim ad Caesarem scripturum.* Horti enim auctionem non subibant, quum inter praedia numerarentur; et videtur unus ex coheredibus Caesar fuisse, cuius res Balbus curabat. *Manut.*

accuratiſſimas literas dedi, quod idem te feciſſe arbitror. Mihi quidem hoc ſatis videtur. Tu quid dicis? unum enim pungit, ne negligentiores eſſe videamur. Exſpectabo igitur tuas literas.

EPISTOLA DCXXVIII. (ad Att. XIII. 46.)

Scr. in Lanuvino Id. Sextil. A. U. C. 708.

Scribit Pollicem ſibi praeſto fuiſſe. 1. Balbum a ſe conventum. 2. petit ut Veſtorium negligentiae accuſet 3. de Coſſinii morte dolet 4. Quinto fratri, ſi fieri poſſit, pecuniam delegaturum oſtendit 5. Veſtorium excuſat 6.

CICERO ATTICO S.

Pollex quidem, ut dixerat, ita mihi Lanuvii pridie Idus praeſto fuit; ſed plane Pollex, non index. Cognoſces igitur ex ipſo.

Balbum conveni; (Lepta enim de ſua vini curatione 2

---

literas dedi] de auctionis curatione. Erat autem Veſtorius hoc tempore Puteolis, h. e. in patria IV. 17. XIII. 43. (h. ed. 156. 625.) *Manut.*

Epiſt. DCXXVIII. 1. *ut dixerat*] Vulg. additur *ad Id. Sext.;* e gloſſa ſcilicet. Etenim repugnat hoc ei quod Pollex dixerat; qui dixerat ſe praeſto pridie Idus futurum, et apparuit quoque Ciceroni pridie Idus Sextilis, non ipſis Idibus.

ſed — non index] Nullas a Veſtorio literas attulit, ut cognoſcere quidquam poſſem de cretione Cluvii. Itaque fuit plane Pollex, non index. Locus in ambiguitate nominis. Pollex enim etiam digitus in manu, quem index pone ſequitur. *Manut.*

cognoſces — ex ipſo] Ex ipſo Pollice, quem ad te mitto cognoſces, cur ei Veſtorius nihil dederit literarum. *Manut.*

2. *de ſua vini curatione*] Sic Boſius e cod. decurtato. Alii corrupte *de ſua vi in curatione*, vel *de ſua re ac ratione.* Gronovius coniiciebat: *de ſua liguritione*, ut Cicero ſic per contemptum appellaverit petitionem curationis munerum et ludorum a Caeſare per regiones urbis dandorum. Tun-

laborans, me ad eum perduxerat) in eo autem Lanuvino, quod Lepido tradidit. Ex eo hoc primum: paulo ante acceperat eas literas, in quibus magnopere confirmat, ante ludos Romanos. Legi epiſtolam; multa de meo Catone, quo ſaepiſſime legendo ſe dicit copioſiorem factum; Bruti Catone lecto ſe ſibi viſum diſertum. Tum ex eo cognovi cretionem Cluvii (o Veſtorium negligentem!) liberam cretionem, teſtibus

---

Stello vero in mentem venit *de συνωνύμῳ curatione*, ingenioſe, ut ad nomen Leptae reſpiciatur, et illud curationis munus λεπτὸν appelletur, i. e. tenue et exiguum. Ceterum notum eſt Ciceronem poſt Hiſpanienſem victoriam duo prandia populo praebuiſſe. Lepta igitur optaverat, ut ſibi a Caeſare curatio vini ad has epulas mandaretur. Certe munera huius generis Leptam petiiſſe e Ciceronis ad illum ipſum epiſtola (h. ed. 630.) perſpicitur.

in eo autem Lanuvino] Balbus Lanuvinum praedium habuit, quod poſtea vendidit Lepido. In eo praedio Cic. cognoverat hoc primum, Caeſarem literis ad Balbum miſſis confirmaſſe, ſe ante ludos Romanos Romae futurum; in iisque Ciceronis Catonem laudaſſe. Deinde ex eodem Balbo cognovit quae de cretione Cluvii narrat.

acceperat] Ita correxi vulgatum *acceperam*, quod vulgo ſic interpretantur, quaſi verba: *paullo ante acceperam — Romanos* Balbi ſint, non Ciceronis. Sed hoc duriuſculum eſt.

Bruti Catone] M. Bruti libro de laudibus Catonis ſcripto, ſicut Fabius etiam Gallus ſcripſerat ad Fam. VII. 25. (h. ed. 638.) *Corrad.*

ſe ſibi viſum diſertum] Ciceronis Catonem laudavit Caeſar, quod ex eius lectione profecerit in copia, ex Bruti vero libro, tantum abeſſe ut profecerit, ut ſibi potius placuerit, et animo ſuo perſuaſerit, ſe, quum ſuum Anticatonem cum Bruti Catone conferat, diſertum quoque eſſe. *Graev.*

Tum ex eo] Graevio auctore praepoſui particulam, quae librariorum vitio exciderat.

Veſtorium negligentem] quod me de hac re certiorem non fecerit.

liberam cretionem] vel eam, ubi in teſtamento ſic ſcriptum erat, ut heres hereditatem certo dierum ſpa-

praefentibus, fexaginta diebus. Metuebam ne ille arceffendus effet. Nunc mittendum eft, ut meo iuffu cernat. Idem igitur Pollex. Etiam de hortis Cluvianis egi cum Balbo; liberalius; fe enim ftatim ad Caefarem fcripturum; Cluvium autem a T. Hordeonio legare et Terentiae H-S ɪↄↄↄↄ, et fepulchro, multisque rebus; nihil a nobis.

Subaccufa quaefo Veftorium. Quid minus pro- 3
bandum, quam Plotium unguentarium per fuos pue-

---

tio cerneret; QUIBUS SCIERIT POTERITQUE, quae cretio alias dicitur *vulgaris;* et opponitur continuae; vel eam; quae libera effet a quovis onere vel mutandi nominis, vel gentilitiorum facrorum; unde eiusmodi hereditas dicitur *fine facris hereditas*. Prior mihi ratio verior videtur.

arceffendus effet] metuebam ne Veftorius, quoniam nihil de Cluvii hereditate ad me fcripferat, ad me Lanuvium arceffendus effet. Bofius autem e cod. Decurtato recepit *arcendus effet*, quem alii fecuti funt. Id ille accepit de periculo, quod immineret Veftorio, ut arcendus et excludendus effet ab illa hereditate, quod illam intra dies praefcriptos non creviffet. At enim Veftorium ex coheredibus Cluvianis fuiffe, nusquam dicitur; neque vero Cicero eius negligentiam propterea accufat, quod eam hereditatem iufto tempore cernere neglexerit, fed quod fe de ea certiorem per literas non fecerit.

nunc mittendum eft] ad Veftorium.

idem — Pollex] ad Veftorium mittetur Puteolos.

cum Balbo; liberalius;] Sic melius interpungitur; quam ut vulgo *cum Balbo liberalius;* nimirum poft *liberalius* intelligendum: *mihi refpondit Balbus*. Hoc iam vidit Manutius. Corrado tamen placebat: *ille liberalius*, non male.

Cluvium autem] intellige: *Balbus mihi dixit.*

a. T. Hordeonio legare] i. e. in teftamento fcripfiffe, ut heres Hordeonius folveret Terentiae feftertium quinquaginta millia, et fepulcrum fibi ftrueret, et alia multa curaret, e portione fua. *Nihil a nobis*, meam portionem nullo legato oneravit. *Ernefti.*

ros omnia tanto ante Balbo; illum mi ne per meos quidem?

4 De Coffinio doleo; dilexi hominem.

5 Quinto delegabo, fi quid aeri meo alieno fuperabit, et emptionibus; ex quibus mi etiam aes alienum faciendum puto. De domo Arpini, nihil fcio.

6 Veftorium nihil eft quod accufes. Iam enim obfignata hac epiftola, noctu tabellarius nofter venit, et ab eo literas diligenter fcriptas attulit, et exemplum teftamenti.

EPISTOLA DCXXIX. (ad Att. XIII. 34.)

Scr. Afturae poft VIII. Kal. Sept. A. U. C. 708.

Scribit fe Afturam veniffe, petitque ut cum Publilio transigat.

CICERO ATTICO S.

Afturam veni VIII Kal. vitandi enim caloris caufa, Lanuvii III horas acquieveram. Tu velim,

---

3. *tanto ante Balbo*] nuntiaffe.

ne per meos quidem] me certiorem non feciffe de Cluviana hereditate, quamvis Pollicem fervum ad eum mififfem.

4. *de Coffinio*] his diebus mortuo. Eft autem L. Coffinius cuius libertum ep. 491. Servio commendaverat.

5. *Quinto delegabo*] Quum aes meum alienum diffolvero, et emero ea, quae mihi emenda funt, tum fi quid pecuniae fupererit tradam Quinto fratri, fed, puto fore, ut etiam aes alienum mihi fit faciendum ex emptionibus, tantum abeft, ut pecuniam fperem fuperaturam.

Epift. DCXXIX. *Afturam veni VIII. Kal.*] Haec epiftola in edd., turbato ut in aliis lib. XIII. ad Att. temporis ordine, collocatur ante 35. (h. ed. 619.) Olim etiam legebatur: *VIII. Kal. Iul.* quod nomen menfis perperam a fciolo additum effe iam alii viderunt. Nam debebat certe effe *Quintilis*. Verum ex ordine fequentium epiftolarum intelligitur Ciceronem exeunte men-

si grave non erit, efficias, ne ante Nonas mihi illuc veniendum sit. Id potes per Egnatium Maximum. Illud in primis, ut cum Publilio, me absente, conficias: de quo quae fama sit, scribes. *Id populus curat scilicet.* Non mehercule arbitror. Etenim haec decantata erat fabula. Sed complere paginam volui. Quid plura? ipse enim adsum; nisi quid tu prorogas. Scripsi enim ad te de hortis.

EPISTOLA DCXXX. (ad Div. VI. 19.)

Scr. Asturae circa VII. Kal. Sept. A. U. C. 708.

De munerum in ludis Caesaris curatione a Lepta petita.

CICERO LEPTAE S. D.

Maculam officio functum esse, gaudeo. Eius Fa-

---

se Sentili Asturae fuisse. Scilicet post epistolam superiorem paulo post Idus Sextiles Lanuvio redierat in Tusculanum; mox interiectis octo aut novem diebus iterum Asturam profectus est, ita ut Lanuvii, quod medium erat inter Tusculanum et Asturam tres horas acquiesceret. Suspicor autem post VIII. Kal. excidisse *vesperi*, quae enim sequuntur non eo pertinent, ut ostendat, cur postero demum die Asturam venerit, sed potius cur non eodem die aliquot horis citius eo venerit.

illuc] in Tusculanum.

cum Publilio] de dote eius sororis Publiliae, quam Cicero dimiserat, restituenda.

me absente] Vulgo *me paene absente.* Delevi autem *paene.* Nam cur hoc addatur? Et ep. 632. simpliciter est *me absente.*

de quo] Vulgo interpretantur, de quo negotio, i. e. de divortio cum Publilia facto. Haud scio tamen an aliud quid intelligatur, quod ipsum Publilium attinuerit.

id populus curat scilicet] Verba sunt Terentiana Andr. I.

non — arbitror] populum hoc nihil curare.

de hortis] Cluvianis, ep. 628.

Epist. DCXXX. *Maculam*] Fortasse Pompeium Maculam, curatorem Faustae, L. Sullae filiae de quo Macrobius lib. II. sat. *Manut.*

lernum mihi semper idoneum visum est deversorio, si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. Ceteroqui mihi locus non displicet: nec ea re Petrinum tuum deseram. Nam et villa et amoenitas illa commorationis est, non deversorii. De curatione aliqua munerum regionum cum Oppio locutus sum. Nam Balbum, posteaquam tu es profectus, non vidi. Tantis pedum doloribus afficitur, ut se conveniri nolit. Omnino de tota re, ut mihi videtur, sapientius faceres, si non curares. Quod enim eo labore assequi vis, nullo modo assequere. Tanta est enim intimorum

---

deversorio] quo Cicero uti volebat Caesari ex Hispania redeunti obviam iturus. Recte vero Martyni-Laguna coniecit, Ciceronem de deversoriis, quibus ei non uno loco opus erat, ad plures scripsisse, quod ex Att. XIII. 50. (h. ed. 636.) plane perspicitur.

Petrinum] Villae nomen, a vico Petrino, qui fuit in Sinuessano, Horat. I. ep. 13. *Sinuessanum Petrinum. Manut.*

curatione aliqua munerum] de hac curatione, quam Lepta appetebat, iam is ipse Ciceronem ad Balbum perduxerat, qui tum nihil certi Leptae promisisse videtur. Itaque Lepta postquam a Cicerone discesserat, alio profectus, eum rogasse videtur, ut Balbum denuo de ea de re adiret. Iam autem Balbus aeger erat, et se conveniri nolebat; ideoque Cicero significat se eum Oppio locutum. Cupit autem Leptam permovere, ut totum illud negotium prorsus abiiciat.

regionum] Nempe Caesar post reditum ex bello Hispaniensi non ludos solum *regionatim* faciendos curavit, sed etiam duo prandia populo praebuit. Itaque muneribus hisce apparandis, in primis vino providendo, parando, advehendo, conviviis distribuendo non unum arbitrum ac dispensatorem, praeter servos ministros, praeficiendum fuisse credibile est, quod bene monuit Martyni-Laguna. Quum autem Cicero infinite hic dicat, de *aliqua curatione*, epist. autem 628. definite de *vini curatione* locutus sit, (si vera ibi est lectio) haec loca ita inter se conciliari possunt, si ponamus, Leptam vini cura-

multitudo, ut ex iis aliquis potius effluat, quam novo sit aditus: praesertim qui nihil afferat praeter operam; in qua ille se dedisse beneficium putabit, (si modo id ipsum sciet,) non accepisse. Sed tamen aliquid videbimus, in quo sit spes. Aliter quidem non modo non appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me Asturae diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat. Vale.

EPISTOLA DCXXXI. (ad Div. VI. 20.)

Scr. Asturae exeunte Sext. A. U. C. 708.

Toranio exsulanti suadet, ne se citius quam opus sit loco, ubi sit, commoveat.

CICERO TORANNIO S.

Dederam triduo ante pueris Gn. Plancii literas ad te. Eo nunc ero brevior, teque, ut antea conso-

---

tionem appetisse quidem, sed ita, ut nisi hanc acciperet, aliorum quoque munerum aliquam curationem sibi mandari vellet. Ceterum lectionem *regionum* iam optime Manutius defenderat, advocato etiam Suetonii loco, alteramque lectionem *munerum regiorum* vel hanc ob causam reiiciendam esse viderat, quod Cicero vix ausus esset Caesarem invidiose *regem* in aliis epistolis appellare, quam in illis ad Atticum, cui ne intimos quidem animi sensus occultabat.

potius] Ernestio hoc displicebat, putabatque legendum *citius*, quod est sane verbum in huiusmodi sententia legitimum.

spes] scilicet te aliquid amplius eo labore assecuturum. Hanc lectionem, iam olim a Manutio assertam nuper recte revocavit Martyni-Laguna. Male pro ea alii substituerant *species*.

Epist. DCXXXI. *Dederam triduo ante*] Hoc non pertinet ad epistolam h. ed. 596. aliquot mensibus aut diebus ante hanc scriptam, sed potius ad aliam quae intercidit.

Gn. Plancii] qui Corcyrae exsulabat; unde recte Martyni - Laguna colligit

labar, hoc tempore monebo. Nihil puto tibi esse utilius, quam ibidem opperiri, quoad scire possis, quid tibi agendum sit. Nam praeter navigationis longae et hiemalis et minime portuosae periculum, quod vitaveris, ne illud quidem non quantivis, subito, quum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci. Nihil est praeterea, cur advenientibus te offerre gestias. Multa praeterea metuo, quae cum Cilone nostro communicavi. Quid multa? Loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti: ex quo te, quocumque opus erit, facillime et expeditissime conferas. Quodsi recipiet ille se: ad tempus aderis. Sin (quoniam multa accidere possunt) aliqua res eum vel impediet vel morabitur: tu ibi eris, ubi omnia scire possis. Hoc mihi prorsus valde placet. De reliquo, ut te saepe per literas hortatus sum, ita velim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere, quod tibi timendum sit, praeter communem casum civitatis: qui etsi est gravissimus, tamen ita viximus, et id aetatis iam sumus, ut omnia quae non nostra culpa nobis accidant, fortiter ferre debeamus. Hic tui omnes valent, summaque pietate te desiderant, et diligunt, et colunt. Tu et cura ut valeas; et te istinc ne temere commoveas.

Torannium quoque eandem exsulii sedem habuisse.

navigationis longae] Torannius videtur advenientibus Caesarianis non in Italiam occurrere, sed ad oram Hispaniae vel Galliae navigare voluisse, ut ibi eos, antequam in Italiam redirent, offenderet.

quodsi recipiet ille se] Martyni-Laguna recepit lectionem aliquot MSS. *quo recipiet ille se, ad tempus aderis.* Sed habet haec lectio illud incommodi, quod Ciceronem facit dubitantem, quo se recepturus esset Caesar, quum tamen illum ad urbem venturum esse certo sciret.

summaque pietate] Attamen immanis feritatis adolescens C. Torannius, cuius ap. Valerium Maximum IX. 11. 5. atrocissimae crudelitatis exemplum proponitur,

EPISTOLA DCXXXII. (ad Att. XIII. 47.)

Scr. Asturae exeunte Sextil. A. U. C. 708.

Post alia quaedam breviter tacta se Lepidi literis commotum mox ad urbem venturum significat.

CICERO ATTICO S.

Posteaquam abs ted, Agamemno, non ut venirem (nam id quoque fecissem, nisi Torquatus esset) sed ut scriberem, *tetigit aures nuntius*, extemplo omnia, quae

---

haud dubie huius Toranni, ad quem haec epistola scripta est, quod et Corradum existimasse video, filius fuit: qui triumvirûm partes secutus, proscripti patris sui, praetorii et ornati viri, latebras, aetatem, notasque corporis, quibus agnosci posset, centurionibus edidit, qui eum trucidando causa persecuti sunt. Talia generis humani monstra detestabilia illa civilium bellorum lerna peperit, ut omnem humanitatis sensum exueret filius, quem *pietatis* nomine cum reliquis Toranii his ipsis literis a Tullio commendatum existimari licet. *Martyni - Laguna.*

Epist. DCXXXII. *Posteaquam — tetigit aures nuntius*] Versiculus hic est ex Ennii, vel alius cuiusdam poetae tragoedia, quo Cicero hic festive ad Atticum utitur. Eum constitui de Iani Gulielmii sententia Plaut. quaest. p. 130. sic ut sit Trochaicus octonarius catalectus. *Posteaquam abs ted, Agamemno, tetigit aures nuntius.* Ita enim legitur in Mss. compluribus, etsi Balliol. et Helmst. non agnoscunt *aures nuntius.* Neque assentior Graevio, cui placebat: *Posteaquam abs te Agamemno ut venirem tetigit nuntius.* Sed illa verba *ut venirem*, si modo illius poetae verba fuerunt, certe in altero versiculo, fortasse etiam cum vocabulo *extemplo* posita fuere. Similis locus est Varronis apud Nonium: *Quem simulac Romam venisse mi attigit aures nuntius Extemplo meos in curriculum contuli propere pedes.* Ubi legendum est *tuli* pro *contuli*, quod metrum turbat.

nisi Torquatus esset] cuius causa me hic tenet. *Manut.*

extemplo omnia] Olim edebatur: *extemplo instituta*

in manibus habebam, abieci; quod iusseras, edolavi. Tu velim e Pollice cognoscas rationes nostras sumptuarias. Turpe est enim nobis, illum, qualiscumque est, hoc primo anno egere. Post moderabimur diligentius. Idem Pollex remittendus est, ut ille cernat. Plane Puteolos non fuit eundum, quum ob ea quae ad te scripsi, tum quod Caesar adest. Dolabella scribit se ad me postridie Idus. O magistrum molestum! Lepidus ad me heri vesperi literas misit Antio; nam ibi erat; habet enim domum, quam nos vendidimus; rogat magnopere, ut sim Kal. in senatu; me et sibi, et Caesari vehementer gratum esse facturum. Puto equidem nihil esse. Dixisset enim tibi fortasse aliquid Oppius; quoniam Balbus est aeger. Sed tamen malim venire frustra, quam desiderari, si opus esset. Moleste ferrem postea. Itaque hodie Antii: cras ante meridiem domi. Tu

---

omisi ea; sed *instituta omisi* ex interpretatione in textum venisse iam Graevius intellexit.

illum] Ciceronem filium.

qualiscumque est] etiamsi prodigus sit, et assignata pecunia non sufficiat. *Popma.*

cernat] ut Vestorius meo iussu hereditatem adeat. Cf. ep. 628.

Puteolos — eundum] cf. epist. 627.

quod Caesar adest] h. e. mox adfuturus videtur.

magistrum molestum] *Magistrum* etiam appellat eum ep. IX. 7. ad fam. (h. ed. 447. uti tamen vide notas) quia docebat Ciceronem, quonam modo se gereret adversus Caesarem et quibus maxime rebus posset illius animum recolligere. *Molestum*, quod apud Ciceronem frequentior erat, quam ille otii cupidus voluisset. *Manut.* Potest tamen etiam respici Dolabellae lautitia in coenando, propter quam eum coenandi magistrum appellavit epist. 450.

Lepidus rogat] Consul enim iam erat Caesaris loco.

Kalendis] Septembris. Nam hanc epistolam scriptam esse mense Sextili ex proxima superiore cognoscitur. *Man.*

nihil esse] nullam rem esse, cuius causa necesse sit me adesse in Senatu. *Manut.*

Balbus est aeger] cf. ep. 630.

velim, nisi te impedivisti, apud nos pridie Kal. cum Pilia. Te spero cum Publilio confecisse. Equidem Kal. in Tusculanum recurram. Me enim absente omnia cum illis transigi malo. Q. fratris epistolam ad te misi, non satis humane illam quidem respondentem meis literis, sed tamen quod tibi satis sit, ut equidem existimo. Tu videbis.

EPISTOLA DCXXXIII. (ad Att. XIII. 48.)

Scr. in Tusculano initio Sept. A. U. C. 708.

De Leptae hereditate, et de laudatione Porciae.

CICERO ATTICO S.

Heri nescio quid in strepitu videor exaudisse, quum diceres te in Tusculanum venturum: quod utinam! iterum utinam! tuo tamen commodo. Lepta me rogat, ut, si quid sibi opus sit, accurram. Mortuus enim Babullius. Caesar, opinor, ex uncia: etsi nihil adhuc: sed Lepta ex triente. Veretur autem, ne non liceat tenere hereditatem, ἀλόγως omnino; sed veretur tamen. Is igitur si accierit, accurram; sin minus, haud antequam necesse erit. Tu Pollicem, quum poteris. Laudationem Porciae tibi misi correctam; ac

---

cum Publilio] de dote Publiliae reddenda.

Kal. in Tusculanum] Kal. Sept. dimisso senatu statim in Tusculanum recurram. *Manut.*

quod tibi satis sit] in qua tamen ea de re scripta sint, quae tibi satis facere possint. *Manut.*

Epist. DCXXXIII. *heri nescio*] Videntur designari Kalendae Septembris, quibus Cicero dimisso senatu recurrere in Tusculanum volebat.

in strepitu] aliorum negotiorum, multisque aliis interpellantibus.

Babullius] qui, ut statim significatur, Leptam et Caesarem heredes instituerat.

quum poteris] sc. mittendum.

laudationem Porciae] cf. ep. 620.

eo properavi, ut, si forte aut Domitii filio, aut Bruto mitteretur, haec mitteretur. Id si tibi erit commodum, magnopere cures velim; et velim M. Varronis, et Lollii mittas laudationem; Lollii utique. Nam illam legi. Volo tamen regustare. Quaedam enim vix mihi credo legisse me.

EPISTOLA DCXXXIV. (ad Att. XIII. 49.)

Scr. in Tusculano initio Sept. A. U. C. 708.

De Tigellii iniqua erga se iracundia.

CICERO ATTICO S.

Atticae primum salutem, quam equidem ruri esse arbitror. Multam igitur salutem et Piliae. De Tigellio, si quid novi: qui quidem, ut mihi Gallus Fabius scripsit, μέμψιν ἀναφέρει mihi quandam iniquissimam, me Phameae defuisse, quum eius causam receperam contra pueros Octavios Gn. filios non libenter; sed et

---

Domitii filio] ex hac ipsa scil. Porcia.

Varronis et Lollii] qui et ipsi Porciam laudaverant. *Manut.*

Epist. DCXXXIV. *de Tigellio*] Hermogene Tigellio tibicine et cantore, Caesaris familiari, Phameae nepote. cf. ep. 635. et Horat. *Manut.*

Gallus Fabius] ad quem de eadem re est epist. 635.

μέμψιν ἀναφέρει] *reprehensionem s. accusationem intendit.*

Phameae] Tigellii avo.

contra pueros Octavios] Fuerunt, qui eius Octavii, qui pater Augusti fuit, filios interpretarentur. At enim huius liberos superstites ait Suetonius fuisse Octaviam maiorem, quam ex Ancharia, et Octaviam minorem item Augustum, quos ex Atia tulerit. Praeterea quod iam Mongaltius monuit, Augusti pater Octavius, Caii non Gnaei praenomine usus est. Mongaltius suspicatur hos pueros fuisse Gn. Octavii, qui ex consulatu a. 677. gesto Macedoniae proconsul fuerat, filios.

non libenter] ut contra orbos, boni viri filios, et Caesaris affines. *Corrad.*

Phameae caussa volebam. Erat enim, si meministi, in consulatus petitione per te mihi pollicitus, si quid opus esset: quod ego perinde tuebar, ac si usus essem. Is ad me venit, dixitque, iudicem operam dare sibi constituisse eo die ipso; quo de Sextio nostro lege Pompeia in consilium iri necesse erat. Scis enim dies illorum iudiciorum praestitutos fuisse. Respondi, non ignorare eum, quid ego deberem Sextio: quem vellet alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. Ita tum ille discessit iratus. Puto me tibi narrasse. Non laboravi scilicet, nec hominis alieni iniustissimam iracundiam mihi curandam putavi. Gallo autem narravi, quum proxime Romae fui, quid audissem; neque nominavi Balbum minorem. Habuit suum negotium Gallus, ut scribit. Ait illum, me animi conscientia, quod Phameam destituissem, de se suspicari. Quare tibi hactenus mando, de illo nostro, si quid poteris, exquiras; de me ne quid labores. Est bellum, ali-

---

perinde tuebar] h. e. eius prolixae voluntatis perinde memor eram, ac si ea usus fuissem.

lege Pompeia] de ambitu. Nam de vi multo ante lege Lutatia reus factus erat, quum eum Cicero oratione, quae exstat, defenderet.

praestitutos fuisse] ut iis diebus praetermissis in alios dies reiicere caussas non liceret. Quo fiebat, ut die praestituto caussam agere patronus cogeretur. *Manut.*

Balbum minorem] Non dixi, me id audisse a Balbo minore. Is enim, quum Tigellio familiariter uteretur, in consuetudine cognoverat, illius animum offensiorem esse Ciceroni propter Phameam, eaque de re certiorem fecerat Gallum. *Manut.*

Habuit suum negotium Gallus] i. e. non ei parum laboris et molestiae fuit, quum vellet Tigellium ad meliorem mentem revocare reprehendendo et admonendo. Vid. ad Div. VII, 25. (h. ed. 638.) *Ernesti.*

de illo nostro] Balbo minore.

quem libenter odisse; et quemadmodum non omnibus dormire, ita non omnibus servire. Etsi mehercule, ut tu intelligis, magis mihi isti serviunt, si observare servire est.

EPISTOLA DCXXXV. (ad Div. VII. 24.)

Scr. in Tusculano initio Sept. A. U. C. 708.

De iniqua Tigellii erga se iracundia.

CICERO S. D. M. FABIO GALLO.

Amoris quidem tui, quoquo me verto, vestigia: vel proxime de Tigellio. Sensi enim ex literis tuis, valde te laborasse. Amo igitur voluntatem. Sed pauca de re. Capius, (opinor) olim, *non omnibus dormio:* sic ego non omnibus, mi Galle, servio. Etsi quae est haec servitus? Olim, quum regnare existimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore observor a familiarissimis Caesaris omnibus, praeter istum. Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum iam dudum Calvi Licinii Hipponacteo praeconio. At vide, quid

---

et quemadmodum non omnibus dormire ita n. o. servire] Ita Lambinus explevit lacunam librariorum culpa hic exortam. Vulgo enim legitur tantum: *quemadmodum non omnibus servire.*

Epist. DCXXXV. *quoquo me verto*] Sic auctore Ernestio scripsi, pro vulg. *quoquo me verti.*

Capius] Apud Festum in *Non omnibus dormio* est *Cipius.* Optimi Codd. hic habent *Cicius* vel *Citius* unde legendum puto *Catius.*— *Ernesti.*

non omnibus dormio] Nimirum ille dormire se simulabat, quo liberius uxor moecharetur. Servo autem pocula clam auferente: *Non*, inquit, *omnibus dormio.* Festus et Plutarchus ἐν τῷ ἐρωτικῷ. *Manut.*

pestilentiorem patria sua] Sardinia, quae ob gravitatem coeli famosa.

eumque addictum — praeconio] Manutius hoc sic explicat: studiosum esse coe-

succenseat. Phameae causam receperam, ipsius quidem causa. Erat enim mihi sane familiaris. Is ad me venit, dixitque, iudicem sibi operam dare constituisse eo ipso die, quo de P. Sextio in consilium iri necesse erat. Respondi, nullo modo me facere posse: quem

---

pisse eorum versuum, quos contra me scripsit Calvus Licinius more Hipponactis poetae. Verum haec interpretatio non potest probari. Ego Hipponacteum carmen ab Licinio Calvo in ipsum Tigellium strictum fuisse censeo. Nam quid est studiosum esse versuum? Num libenter eos legere? Si quia docti et diserti erant, auctoris ingenio, non odio eius, in quem facti erant, placebant; sin quia Ciceronem oderat, et gaudebat eius contumelia, alia gravior praecesserat causa simultatum, neque pro magno putaret Cicero non coli ab homine carmina in ipsum scripta legente. Immo Calvus Tigellium olim probroso carmine infamaverat, et meritis, opinor, inusserat turpitudinis notis. Hoc dicit ἀλληγορικῶς Cicero *additum Hipponacteo praeconio.* Praeconum est proclamare venales, eorumque praedicare virtutes et artes, ut citius emptorem inveniant; iidem addicebant emptori, s. iubebant emptorem ducere emptum, ubi de pretio convenerat. Cic. pro Rab. Post. *tua, Postume, nummo sestertio a me addicuntur. O meum miserum acerbumque praeconium!* Ita proscripsit proclamavitque Hipponacteo carmine Tigellium, et praedicavit publicavitque eius scelera et vitia, et hominem ducturae in aeternum infamiae quasi addixit Calvus. Suspicor autem in vulgata lectione *eumque addictum iam tum puto esse Calvi L. H. p.* supervacanea esse duo verba, *puto esse*, ut fuerit: *non ferre hominem pestilentiorem patria sua, eumque addictum iam tum Calvi Licinii Hipponacteo praeconio.* Eum praesertim, inquit, quem iam ante tot annos praedicavit Calvus ut Hipponax Anthermum et Bupalum, quasi praeco venalem exposuit cum ornamentis omnibus tradiditque infamiae velut proprium et addictum. *Gronov.* Assentior Gronovio, nisi quod pro *iam tum* scribendum censui *iam dudum.* Ernestio placebat: *iam dum* pro *iam nunc.*

vellet alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. Ille autem, qui sciret, se nepotem, bellum tibicinem habere, et sat bonum cantorem, discessit a me, ut mi videbatur, iratior. Habes Sardos venales; alium alio nequiorem. Cognosti meam causam, et istius Salaconis iniquitatem. Catonem tuum mihi mitte. Cu-

---

cantorem] Ita legendum esse vidit Manutius. Lectio *unctorem* orta est ex ultima syllaba vocabuli *bonum* cum compendio scripturae *ctorem* coalescente. Inde alii fecerunt, *victorem*, *vietorem*, *auctorem*, *infectorem*. Tigellium vero *cantorem* fuisse, non solum tibicinem, ex Horatii satira I. 3. notissimum est.

Sardos venales] Nempe Phameam et M. Tigellium Hermogenem, nepotem illius, modulatorem optimum, in Sardinia natum; ut notat Acron. Proverbio hoc utebantur, de hominibus improbis nequitia et fraude inter se certantibus, ut qui alteri praeferendus sit, non facile possit intelligi. Proverbio dederunt originem Sardiniae captae venales; qui nequiter servierunt, et improbitatis ac nequitiae palmam tulerunt inter mancipia; non verò a Veientibus, qui quoniam Etrusci sunt, hi vero coloni Lydorum, quorum caput fuerit *Sardes*, ab eo Sardi dicti sint, ut Festus et Plutarchus docent. Nam a *Sardes* est *Sardianus*, a *Sardinia* vero *Sardus*. Sic recte hoc proverbium exponit, et pluribus refellit Festi et Plutarchi sententiam Gronovius IV. de Pec. Vet. c. 10. *Graev.*

Salaconis] *Salaconem* vocat, vel propter superbiam, vel propter mollitiam, aut utramque. Superbiam e Suida cognovimus, qui ait *Salaconem* istum quum esset pauper, se divitem simulasse; mollitiem ex Aristophanis interprete Vesp. v. 1164. Nam quum Poeta ibi dixisset: *τρυφερόν τι διασαλακώνισον*, subiunxit Schol. *ἁβρύνθητι, καὶ διαθρύφθητι. Οἱ δὲ, διασαλακώνισον, ἀπὸ τοῦ Σαλάκωνος μαλακοῦ, τοῦ Αὐτοὶ λύκου πατρός.* Hesychius: *Σαλάκων, ὁ πτωχὸς ἀλαζών. Σαλακωνία, ἡ ἐν πενίᾳ ἀλαζονεία. Σαλακωνίσαι, σαλακωνεῦσαι ἔλεγον τοὺς διαθρυπτομένους. Σαλάκωνας, ἀπὸ τοῦ ἁβρῶς καὶ μετὰ θρύψεως βαδίζειν. Ὁ δὲ Θεόφραστος σαλακῶνα φησὶν εἶναι τὸν δαπανῶντα ὅπου μὴ δεῖ.* *Man.*

Catonem tuum] Galli librum de laudibus Catonis Uticensis.

pio enim legere. Me adhuc non legisse, turpe utrique nostrum est.

EPISTOLA DCXXXVI. (ad Att. XIII. 50.)

Scr. initio Sept. A. U. C. 708.

De epistola ad Caesarem scripta 1. de Vestorii negotio 2. de conventu Caesaris 3. de Tigellio 4. de obviam itione Caesari 5.

CICERO ATTICO S.

Admonitus quibusdam tuis literis, ut ad Caesarem uberiores literas mitterem, quum mihi Balbus nuper in Lanuvino dixisset, se et Oppium scripsisse ad Caesarem, me legisse libros contra Catonem, et vehementer probasse; conscripsi de his ipsis libris epistolam Caesari, quae deferretur ad Dolabellam; sed eius exemplum misi ad Oppium, et Balbum; scripsique ad eos, ut tum deferri ad Dolabellam iuberent meas literas, si ipsi exemplum probassent. Ita mihi rescripserunt, nihil umquam se legisse melius, epistolamque meam iusserunt dari Dolabellae.

Vestorius ad me scripsit, ut iuberem mancipio 2 dari servo suo, pro mea parte, Hetereio cuidam fundum Brinnianum; ut ipse ei Puteolis recte mancipio dare posset. Eum servum, si tibi videbitur, ad me mittes. Opinor enim, ad te etiam scripsisse Vestorium.

Epist. DCXXXVI. 1. *mitterem*] Sic edd. pr. Vulgo *mittere institueram*.

contra Catonem] a Caesare scriptos.

2. *iuberem mancipio dare servum suum*] Ita correxit Hotomannus Obs. V. 5. vulgatam lectionem, quam vitiosam esse indicabat, *mancipio dari servo suo*. Scil. quum Vestorius ad Ciceronem ipse proficisci non posset, ut ei a Cicerone mancipio dari posset fundus ille Brinnianus, quam deinde ipse Hetereio Puteolano daret, cui Cicero vendere vo-

3 De adventu Caesaris idem, quod a te, mihi scriptum est ab Oppio, et Balbo.

4 Miror te nihildum cum Tigellio; velut hoc ipsum, quomodo acceperit, prorsus haveo scire, nec tamen flocci facio.

5 Quaeris, quid cogitem de obviam itione; quid censes, nisi Alsium? et quidem ad Murenam de hospitio scripseram: sed opinor cum Matio profectum. Silius igitur urgebitur. Scripto iam superiore versiculo, Eros mihi dixit, sibi Murenam liberalissime respondisse. Eo igitur utamur. Nam Silius culcitas non habet. Dida autem, opinor, hospitibus totam villam concessit.

---

lebat, voluit ad Ciceronem mittere servum suum, quem praesentem iuberet praesens legitima formula fundum illum mancipio dare Hetereio, ut ipse Vestorius, cui id per servi personam mandatum esset, Puteolos ire, et fundum recte, i. e. ex legibus Hetereio mancipare posset. *Ernesti.*

4. *cum Tigellio*] locutum esse, egisse, de iniuriis eius et reconciliatione. *Ernesti.*

velut hoc ipsum, quomodo acceperit] Ita rescripsi auctore Ernestio. Vulgo *vel ut hoc ipsum quantum acceperit*, quod Manutius de dono a Caesare accepto intelligebat, quum Tigellius ei obviam venisset. *Quomodo acceperit* int. id quod ego de ipsius iniuria per te questus sum.

5. *nisi Alsium*] me obviam iturum, non ultra.

Silius igitur] Vulgo est *Sallustius*. Sed quum postea idem homo Silius dicatur, vel utroque loco *Silius*, vel utroque *Sallustius* legendum. Equidem *Silius* praetuli, quod nomen occurrit supra ep. 533.

urgebitur] eius hospitio Alsii utemur.

EPISTOLA DCXXXVII. (ad Att. XIII. 51.)

Scr. in Tusculano initio Sept. A. U. C. 708.

De epistola ad Caesarem scripta 1. de Atticae valitudine 2. de Tigellio. 3. de Quinti filii adventu 4.

CICERO ATTICO S.

Ad Caesarem quam misi epistolam, eius exemplum fugit me tum tibi mittere; nec id fuit quod suspicaris, ne ridicule μικύλος, ut me puderet tui: nec mehercule scripsi aliter, ac si πρὸς ἴσον ὅμοιόνque scriberem. Bene enim existimo de illis libris, ut tibi coram. Itaque scripsi, et ἀκολακεύτως, et tamen sic, ut nihil eum existimem lecturum libentius.

De Attica nunc demum mihi est exploratum. 2 Itaque ei de integro gratulare.

Tigellium totum mihi, et quidem quamprimum; 3 nam pendeo animi.

Epist. DCXXXVII. 1. *ne ridicule μικύλος, ut me puderet tui*] Vulgo, *ut me puderet tui ne ridicule Micillus*; in quo pro Micillus Bosius e cod. decurtato edidit *hemicillus*, ἡμίκιλλος i. q. ἡμίονος). Ceteris e coniecturis optima est μικύλος, *pusillus, humilis*, in quod incidit Fr. Odinus apud Olivetum. Idque, donec forte meliores codd. aliud ostenderint, tenendum censui. Nam quod Gronovius voluit *humilis*, id ad sensum quidem bonum; sed ideo tamen verum esse non potest, quod id librarii non in vitiosas istas scripturas depravassent. Certum enim est Tullium hic graecum vocabulum, ut saepe in his epistolis ad Atticum, posuisse. Ceterum transposui verba, quia aliter constructio non constat. Atticus enim suspicatus erat, ne Cicero ita humiliter ad Caesarem scripsisset, ut eum sui puderet, ideoque sibi hanc epistolam non misisset.

de illis libris] Caesaris Anti-Catonibus.

2. *mihi est exploratum*] eam bene valere. *Manut.*

3. *Tigellium totum mihi*] Sunt qui subintelligant: restitue vel reconcilia. Qui si verum viderunt, timidus et

4 Narro tibi, Quintus cras. Sed ad me, an ad te nescio. Mi scripsit Romam VIII kal. sed misi, qui invitaret: etsi hercle iam Romam veniendum est, ne ille ante advolet.

EPISTOLA DCXXXVIII. (ad Div. VII, 25.)

Scr. in Tusculano a. d. Sextil. A. U. C. 708.

Epistolam conscissam non esse nuntiat; et monitus ut Tigellium placatum habeat, gratias agit; vicissimque numat, ut de Caesare cautius scribat, stilumque exercere pergat.

CICERO S. D. M. FABIO GALLO.

Quod epistolam conscissam doles, noli laborare. Salva est domi. Petes quum libebit. Quod autem me mones, valde gratum est: idque, ut semper facias, rogo. Videris enim mihi vereri, ne, nisi istum habuerimus, rideamus γέλωτα σαρδόνιον. Sed heus tu, ma-

---

inconstans fuerit Cicero necesse est, qui se flocci non facere iram Tigellii dixerat. Mongaltius vertit: *Rendez-moi compte de tout ce que vous aura dit Tigellius, et au plutôt; j'en suis fort curieux.* Id sane Cicerone dignius, etsi paulo durior est aposiopesis. Supplendum esset: narra, s. exhibe.

4. *Quintus cras*] Q. filius Romam veniet.

ille ante advolet] Caesar e bello Hispaniensi redux.

Epist. DCXXXVIII. *quod autem me mones*] Videtur Gallus Ciceronem monuisse ut sibi caveret a Tigellio, quoniam familiaris esset Caesaris.

ne nisi istum habuerimus] scil. placatum, nec amplius nobis iratum. Lectio *nisi istum* quae est in codd. Mediceo et Graevii primo, utique praeferenda alteri *si istum*. Nihil autem opus, quod Victorio placuit, *habuerimus* in *caverimus* mutare.

rideamus γέλωτα σαρδόνιον] Servus ad Virgilium narrat in Sardinia nasci herbam Sardoam, apiastri similem, quae comesa rictum diducat hominibus, eoque quasi ridentes interimat. Unde proverbium illud de risu Sardonio. Hoc autem Cicero suaviter utitur, cum respectu ad Sardum Tigellium, quem

num de tabula. Magister adest citius, quam putaramus. Vereor ne in Catonium Catoninos. Mi Galle, cave putes quidquam melius, quam epistolae tuae partem ab eo loco: *cetera labuntur*. Secreto hoc; audi, tecum habeto: ne Apellae quidem, liberto tuo, dixeris. Praeter duo nos, loquitur isto modo nemo: bene, malene, videro: sed, quidquid est, nostrum est. Urge igitur: nec transversum unguem (quod

---

superiore ad Gallum epistola perstrinxerat. Quod autem illa verba quidam ad Caesarem traxerunt, id propterea non est admittendum, quod verba proxima: *Sed heus tu*, indicant se ad aliam rem transire.

magister] Caesar; quem magistrum dicit, velut scholae; nam de libro et tabula dixit, quod pertinet ad scholam. *Citius* pertinet ad reditum ex Hispania, victis Pompeii filiis citius, quam putarant. *Ernesti*. Proverbium *manum de tabula* quod iam Manutius vidit, sumptum est, a pueris pingendi artem discentibus, qui magistro absente aliquid in tabula pingunt, magistro veniente statim manum de tabula tollunt; itaque ait, cavendum esse sibi et Gallo, ne pergant aliquid scribere, quod Caesaris animum offendere possit, quoniam uterque de laudibus Catonis scripserat.

vereor ne in Catonium Catoninos] h. e. ut iam Victorius exposuit, timeo ne Caesar commotus ira ad inferos demittat Catoni deditos et Catonem amantes, i. e. me ipsum et te, qui Catonis laudes scripsimus. Vox *Catonium* a Laberio usurpata est, ut Gellius refert N. A. XVI. 7. *tollet bona fide vos Orcus in Catonium.*

secreto hoc; audi, tecum habeto] Sic melius interpunxisse mihi videor. Vulgo est *secreto hoc audi; tecum habeto*. Benedictus e cod. Dr. I. et III. reposuit: *secreto hoc audii;* melius certe, quam vulgatum. Sed nostra ratio aptior videtur: *secreto hoc* scil. dictum sit; *Audi* sc. quaeso, quod dico, *tecum habeto*. Germani dicerent: *das bleibt unter uns, hörst du, behalt es in bey dir*. Nimirum liberius Gallus scripserat, de rei-publicae forma per Caesarem in peius mutata.

Urge igitur] haec non satis cohaerent cum superioribus. Fortasse aliquid excidit, hanc in sententiam:

aiunt) a stilo. Is enim est dicendi opifex. Atque equidem aliquantum iam etiam noctis assumo. Vale.

EPISTOLA DCXXXIX. (ad Div. VI. 11.)

Scr. initio Sept. A. U. C. 708.

Gratulatur de restitutione, quam Dolabellae beneficio ipsi impetraverat, hortaturque ut aequo animo iacturam fortunarum ferat.

M. T. TREBIANO, S. D.

Dolabellam antea tantummodo diligebam: obligatus ei nihil eram. Nec enim acciderat mihi opus esse; et ille mihi debebat, quod non defueram eius periculis. Nunc tanto sum devinctus eius beneficio, quod et antea in re, et hoc tempore in salute tua cumulatissime mihi satisfecit, ut plus debeam nemini. Qua in re tibi gratulor ita vehementer, ut te quoque mihi gratulari, quam gratias agere malim. Alterum omnino non desidero, alterum vere facere poteris. Quod reliquum est, quando tibi virtus et dignitas tua reditum ad tuos aperuit: est tuae sapientiae, magnitu-

---

Tu vero perge te ad eloquentiam exercere, sicut ego philosophicis libris scribendis operam do. Nihil enim hoc tempore melius aut tutius facere possumus. Urge igitur.

Epist. DCXXXIX. TREBIANO] Hanc quoque epistolam Martyni-Laguna L. TORQUATO inscripsit. Cf. quae notavimus ad ep. 527. Et hanc fortasse ad Aulum Torquatum scriptam esse coniecerit aliquis, quod non solum hoc tempore in Torquati causa se laborasse Cicero ipse dicit, ep. 627. sed etiam mentionem facit in hac epistola Syronis philosophi Epicurei, quem L. Torquati amicum fuisse discimus ex Fin. II. ideoque etiam fratris eius Auli amicum fuisse credibile est.

plus debeam nemini] Ita concinnius verba ordinavit Martyni - Laguna. Vulgo *nemini plus debeam*.

dinisque animi, quid amiseris, obliviſci; quid recuperaris, cogitare. Vives cum tuis, vives nobiscum. Plus acquiſiſti dignitatis, quam amiſiſti rei familiaris: quae ipſa tum eſſet iucundior, ſi ulla res eſſet publica. Veſtorius, noſter familiaris, ad me ſcripſit, te mihi maximas gratias agere. Haec praedicatio tua mihi valde grata eſt, eaque te uti facile patior, quum apud alios, tum mehercule apud Syronem, noſtrum amicum. Quae enim facimus, ea prudentiſſimo cuique maxime probata eſſe volumus. Te cupio videre quam primum.

EPISTOLA DCXL. (ad Div. XII. 17.)

Scr. Romae exeunte Octobri A. U. C. 708.

Q. Fabio Maximo C. Trebonio Coſſ. in tres ultimos menſes a Caeſare ſuffectis.

De Syriaco tumultu, et urbano otio ſeu negotiorum ceſſatione. 1. Librum de optimo genere dicendi Cornificio commendat, 2. et ſuum ei ſtudium confirmat. 3.

CICERO S. D. CORNIFICIO, COLLEGAE.

Grata mihi vehementer eſt memoria noſtri tua, quam ſignificaſti literis: quam ut conſerves, non quo de tua conſtantia dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuoſiora quaedam nuntiata ſunt. Quae, quia tibi ſunt propiora, quam nobis, tua me cauſa magis movent, quam mea. Ro-

---

Epiſt. DCXL. 1. COLLEGAE] nempe in augurata. Ceterum Q. Cornificius hoc tempore Africam pro praetore regebat.

rogandi] Erneſtio placet *rogare*.

Ex Syria tumultuoſiora quaedam] Seditionem faciente Q. Caecilio Baſſo, qui poſtea ſe cum legione C. Caſſio tradidit. Dio lib. XLVII. Strabo lib. XVI. ad Att. XIV. 9. *Manut.*

propiora] quum in Africa ſis. *Manut.*

mae summum otium est; sed ita, ut malis salubre aliquod, et honestum negotium: quod spero fore; video id curae esse Caesari.

2 Me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam et licentiam nactum, scribere audacius: et cetera quidem fortasse, quae etiam tu concederes: sed proxime scripsi de optimo genere dicendi: in quo saepe suspicatus sum, te a iudicio nostro, sic scilicet, ut doctum hominem a non indocto, paullulum dissidere. Huic tu libro maxime velim ex animo; si minus, gratiae causa suffragere. Dicam tuis, ut eum, si velint, describant, ad teque mittant. Puto enim, etiam si rem minus probaris, tamen in ista solitudine, quidquid a me profectum sit, iucundum tibi fore.

---

summum otium est] quum unus Caesar omnia regat.

honestum negotium] nempe vel in senatu, vel in foro, quod tum non erat. *Ernesti.*

Caesari] qui initio Octobris ex Hispaniis ad urbem reverterat.

2. *audacius*] Dubium an tantummodo dicat, se audaciorem factum ad scribendum, quum olim tardior fuerit, et erga doctorum iudicia verecundior; an simul Catonis laudationem innuat, propter audaciam libere de re publica sentiendi, in qua periculum erat, ne Caesaris animum offenderet.

de optimo genere dicendi] Oratorem intelligit ad M. Brutum, superiore anno scriptum.

ut doctum hominem] Scripsit et Cornificius de arte Rhetorica, ut auctor est Quintilianus lib. III. *Manut.*

dissidere] non solum Cornificio, sed etiam M. Bruto parum probata est de optimo genere dicendi Ciceroronis opinio. ad Att. XIV. 20. Differebant autem, nisi fallor, in eo, quod elocutioni Cicero tribuebat plurimum, Brutus autem rebus haud paullo plus, quam verbis. *Manut.*

gratiae causa] ut rationem habeas amicitiae nostrae.

probaris] Sic Ernestius rescripsit pro vulgato; *probabis*, cuius iudicio accedendum putavi.

Quod mihi exiſtimationem tuam, dignitatemque 3
commendas, facis tu quidem omnium more: ſed velim ſic exiſtimes, me, quum amori, quem inter nos mutuum eſſe intelligam, plurimum tribuam, tum de ſummo ingenio, et de ſtudiis tuis optimis, et de ſpe ampliſſimae dignitatis ita iudicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos.

EPISTOLA DCXLI. (ad Div. XIII. 4.)

Scr. Romae menſe Octobri, A. U. C. 708.

Quum Caeſar agrum militibus diviſurus eſſet, eique negotio praefeciſſet Q. Valerium, huic Volateranos commendat, ne eorum ager diviſioni ſubiiciatur.

M. T. CICERO Q. VALERIO, Q. F. ORCAE, LEG. PROPRAET. S. D.

Cum municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt. Magno enim meo beneficio affecti, cumulatiſſime mihi gratiam retulerunt. Nam nec honoribus meis, nec laboribus umquam defuerunt. Cum quibus ſi mihi nulla cauſa intercederet, tamen, quod te vehementiſſime diligo, quodque me a te plurimi fieri ſentio, et monerem te, et hortarer, ut eorum fortunis conſuleres, praeſertim quum prope praecipuam cauſam haberent ad ius obtinendum. Primum quod

---

Ep. DCXLI. LEG. PROPR.] Praepoſitus erat Valerius a Caeſare legatus agris dividundis, qui ei auctoritatem et poteſtatem auxit, addito propraetoris nomine. *Manut.*

beneficio affecti] quod legem a tribunis pl. promulgatam de agris eorum dividendis perferri conſul non ſum paſſus. *Manut.*

nec honoribus meis nec laboribus] Ita legendum arbitror, Erneſtio auctore. Manutio placebat *nec in h. m. nec in laboribus*. Perperam alii *nec in honoribus meis laboribus*; alii *nec in honoribus meis laboribusque*.

Sullani temporis acerbitatem, deorum immortalium benignitate subterfugerunt: deinde, quod summo studio populi Romani a me in consulatu meo defensi sunt. Quum tribuni plebis legem iniquissimam de eorum agris promulgavissent: facile senatui populoque Romano persuasi, ut eos cives, quibus fortuna pepercisset, salvos esse vellent. Hanc actionem meam C. Caesar primo suo consulatu in lege agraria comprobavit, agrumque Volaterranum, et oppidum omni periculo in perpetuum liberavit: ut mihi dubium non sit, quin is, qui novas necessitudines adiungat, vetera sua beneficia conservari velit. Quamobrem est tuae prudentiae, aut sequi eius auctoritatem, cuius sectam, atque imperium summa cum tua dignitate secutus es; aut certe illi integram omnem caussam reservare. Illud vero dubitare non debes, quin tam grave, tam firmum, tam honestum municipium tibi tuo summo beneficio in perpetuum obligari velis. Sed haec, quae supra scripta sunt, eo spectant, ut te horter, et suadeam. Reliqua sunt, quae pertinent ad rogandum: ut non solum tua caussa tibi consilium me dare putes, sed etiam quod mihi opus sit, me a te petere, et rogare. Gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos

---

Sullani temporis acerbitatem] quo quum Sylla agros divideret, Volaterranum publicavit quidem, sed neque dividere, neque Volaterranis civitatem eripere potuit, quum etiam tum essent in armis, et biennium cum proscriptis obsessi fuissent. *Corr.*

tribuni plebis] Rullus praesertim, contra quem sunt Ciceronis orationes, de lege agraria. *Manut.*

in lege agraria] quam de agro Campano et Stellate dividundo tulit. *Manut.*

tam grave] *grave* moribus; *firmum* opibus, *honestum*, splendore municipum. *Manut.*

obligari] Sic scr. et edd. pr. Male quidam *obligare*. Restituit illud etiam Graevius. *Ernesti.*

omnibus rebus integros, incolumesque esse volueris. Eorum ego domicilia, sedes, rem, fortunas, quae a diis immortalibus, et a praestantissimis in nostra republica civibus, summo senatus populique Romani studio, conservatae sunt, tuae fidei, iustitiae, bonitatique commendo. Si pro meis pristinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consuevi tueri meos; nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodesse possem, praetermitterem. Sed, quando apud te nihilominus hoc tempore valere me confido, quam valuerim semper apud omnes: pro nostra summa necessitudine, parique inter nos, et mutua benivolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut existiment, eum quasi divino consilio isti negotio praepositum esse, apud quem unum nos, eorum perpetui defensores, plurimum valere possemus.

EPISTOLA DCXLII. (ad Div. XIII. 5.)

Scr. Romae mense Octobri A. U. C. 708.

Curtium commendat, rogatque, ut eius Volaterranam possessionem ei integram servet.

M. T. CICERO Q. VALERIO, Q. F. ORCAE, LEG. PROPRAET. S. P. D.

Non moleste fero, eam necessitudinem, quae mihi tecum est, notam esse quam plurimis: neque tamen ob eam causam (quod tu optime existimare potes) te impedio, quo minus susceptum negotium, pro tua fide, et diligentia, ex voluntate Caesaris, qui tibi rem

---

quando apud te] *quando* pr. pro quo male irepsit pro vulgato *quum* etiam Graevius dedit e libris.

possemus] Sic MSS. et edd. *possumus.* Etiam sine libris sic correxissem. *Ernesti.*

magnam, difficilemque commisit, gerere possis. Nam quum multi a me petant multa, quod de tua erga me voluntate non dubitent, non committo, ut ambitione mea conturbem officium tuum. C. Curtio ab ineunte aetate familiarissime sum usus. Eius et Sullani temporis iniustissima calamitate dolui: et quum iis, qui similem iniuriam acceperant, amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriam voluntate omnium concedi videretur, adiutor incolumitatis fui. Is habet in Volaterrano possessionem, quum in eam, tamquam e naufragio, reliquias contulisset. Hoc autem tempore eum Caesar in senatum legit: quem ordinem ille, ista possessione amissa, tueri vix potest. Gravissimum autem est, quum superior factus sit ordine, inferiorem esse fortuna: minimeque convenit, ex eo agro, qui Caesaris iussu dividatur, eum moveri, qui Caesaris beneficio senator sit. Sed mihi minus libet multa de aequitate rei scribere, ne causa potius apud te valuisse videar, quam gratia. Quamobrem te in maiorem modum rogo, ut C. Curtii rem, meam putes esse: quidquid mea causa faceres, ut id C. Curtii causa quum feceris, existimes, quod ille per te habuerit, id me habere abs te. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

Epist. DCXLII. *quod ille per te*] Sic rescripsi pro vulg. *quod ille per me habuerit*. Sensus enim est: volo existimes, quicquid a te Curtio tributum sit, id perinde esse ac si mihi ipsi tribueris.

EPISTOLA DCXLIII. (ad Div. XIII. 8.)

Scr. Romae mense Octobri A. U. C. 708.

Rutilium rogat, ut in agrorum divisione Albini praedia ne attingat.

M. T. CICERO M. RUTILIO, S. P. D.

Quum et mihi conscius essem, quanti te facerem, et tuam erga me benivolentiam expertus essem, non dubitavi a te petere, quod mihi petendum esset. P. Sextium quanti faciam, ipse optime scio: quanti autem facere debeam, et tu, et omnes homines sciunt. Is quum ex aliis te mei studiosissimum esse cognosset, petivit a me, ut ad te quam accuratissime scriberem de re C. Albini senatoris; cuius ex filia natus est L. Sextius, optimus adolescens, filius P. Sextii. Hoc idcirco scripsi, ut intelligeres, non solum me pro P. Sextio laborare debere, sed Sextium etiam pro Albino. Res autem est haec: A M. Laberio C. Albinus praedia in aestimationem accepit: quae praedia Laberius emerat a Caesare de bonis Plotianis. Ea si dicam non

---

Epist. DCXLIII. RUTILIO] quem Caesar praefecerat agro in Gallia Cisalpina dividendo.

P. Sextium] qui tribunus pl. Ciceronem ab exsilio reduxit. *Manut.*

Albini] Postumiae gentis.

cuius ex filia] Orat. pro Sext. c. 3. duxit honestissimi et spectatissimi viri C. Albini filiam, ex qua hic est filius, et nupta iam filia. In eadem oratione praenomen Sextii pueri est *Publius*, idem quod patris, non *Lucius* — *Manut.* Olim legebatur in edd. *cuius ex familia*; id dudum correxerunt Victor. et Manut. frustra aliis ad lectionem *ex familia*, i. e. a frugibus ad glandes revertentibus.

in aestimationem] aestimata lege Caesaris, quanti fuerant ante bellum civile. cf. ad Div. IX. 15. (h. ed. 450.) *Manut.*

a Caesare] in ea auctione, quam de bonis Plotii Pompeianas partes secuti Caesar fieri iussit. *Manut.*

esse e re publica dividi, docere te videar, non rogare. Sed tamen quum Caesar Sullanas venditiones et assignationes ratas esse velit, quo firmiores existimentur suae: si ea praedia dividentur, quae ipse Caesar vendidit, quae tandem in eius venditionibus esse poterit auctoritas? Sed hoc quale sit, tu pro tua prudentia considerabis. Ego te plane rogo, atque ita, ut maiore studio, iustiore de causa, magis ex animo rogare nihil possim, ut Albino parcas, praedia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris non modo laetitia, sed etiam quodammodo gloria, si P. Sextius homini maxime necessario satisfecerit per me, quam ego illi uni plurimum debeam. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo. Maius mihi dare beneficium nullum potes. Id mihi intelliges esse gratissimum.

EPISTOLA DCXLIV. (ad Div. XIII. 7.)

Scr. Romae eodem mense A. U. C. 708.

Petit a Cluvio, Puteolano, quem Caesar agro in Gallia Cisalpina dividundo praefecerat, ne municipii Atellani vectigalis ager dividatur.

M. T. CICERO CLUVIO S. P. D.

Quum in Galliam proficiscens, pro nostra necessitudine tuaque summa in me observantia, ad me domum venisses, locutus sum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui esset in Gallia: quantoque opere eius municipii causa laborarem, tibi ostendi. Post

---

maxime necessario] Albino, socero suo.

Epist. DCXLIV. *de agro vectigali*] unde fructum capit Atellanum municipium, oppidum Campaniae inter Capuam et Neapolim. *Manut.*

qui esset in Gallia] quum reliqui Atellanorum agri essent in Campania. *Manut.*

tuam autem profectionem, quum et maxima res municipii honestissimi mihique coniunctissimi, et summum meum officium ageretur, pro tuo animo in me singulari existimavi, me oportere ad te accuratius scribere: etsi non sum nescius, et quae temporum ratio, et quae tua potestas sit, tibique negotium datum esse a C. Caesare, non iudicium, praeclare intelligo. Quare a te tantum peto, quantum et te facere posse, et libenter mea causa facturum esse arbitror. Et primum velim existimes, quod res est, municipii fortunas omnes in isto vectigali consistere: his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus pressum, summis affectum esse difficultatibus. Hoc etsi commune videtur esse cum multis: tamen mihi crede, singulares huic municipio calamitates accidisse. Quas idcirco non commemoro, ne de miseriis meorum necessariorum conquerens, homines, quos nolo, videar offendere. Itaque, nisi magnam spem haberem, C. Caesari nos causam municipii probaturos: non erat causa, cur a te hoc tempore aliquid contenderem. Sed quia confido, mihique persuasi, illum et dignitatis municipii, et aequitatis, etiam voluntatis erga se habiturum esse rationem: ideo a te non dubitavi contendere, ut hanc causam illi integram conservares. Quod etsi nihilominus a te peterem, si nihil audivissem te tale fecisse: tamen maiorem spem impetrandi nactus sum, posteaquam mihi dictum est, hoc idem a te Regienses impetravisse. Qui etsi te aliqua necessitudine attingunt: tamen tuus amor in me sperare me cogit, te, quod tuis necessariis tribueris, idem esse tributurum meis; praesertim quum ego pro his unis petam; habeam autem, qui simili causa laborent, complures necessarios. Hoc me non sine causa facere, neque aliqua levi ambi-

---

homines, quos nolo] Caesarianos.

et dignitatis — agetur] tribus rebus Atellanorum

tione commotum a te contendere, etsi te existimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas velim, me huic municipio debere plurimum; nullum umquam fuisse tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non huius municipii studium in me exstiterit singulare. Quapropter a te etiam atque etiam, pro nostra summa coniunctione, proque tua in me perpetua et maxima benivolentia, maiorem in modum peto atque contendo, ut, quum fortunas agi eius municipii intelligas, quod sit mihi necessitudine, officiis, benivolentia coniunctissimum, id mihi des; quod erit huiusmodi, ut, si a Caesare, quod speramus, impetrarimus, tuo beneficio nos id consecutos esse iudicemus; sin minus, pro eo tamen id habeamus, quum a te data sit opera, ut impetraremus. Hoc quum mihi gratissimum feceris, tum viros optimos, homines honestissimos, eosdemque gratissimos, et tua necessitudine dignissimos, summo beneficio in perpetuum tibi tuisque devinxeris.

EPISTOLA DCXLV. (ad Div. XII. 18.)

Scr. Romae mense Octobri A. U. C. 708.

Infrequentiam literarum excusat; Cornificii prudentiam et gravitatem laudat; praesentem rei publ. statum accusat, cum Caesaris excusatione.

CICERO CORNIFICIO COLLEGAE, S. D.

Quod extremum fuit in ea epistola, quam a te proxime accepi, ad id primum respondebo. Animum adverti enim, hoc vos magnos oratores facere nonnumquam. Epistolas requiris meas. Ego autem num-

---

causa nititur, dignitate municipii, aequitate rei, studio erga illum, apud quem agetur. *Manut.*

quam, quum mihi denuntiatum esset a tuis, ire aliquem, non dedi. Quod mihi videor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec ante, quam scisses, quo iste, nescio qui, Caecilius Bassus erumperet, quidquam certi constituturum: id ego et speraram, prudentia tua fretus, et, ut confiderem, fecerunt tuae gratissimae mihi literae: idque ut facias quam saepissime, ut, et quid tu agas, et quid agatur, scire possim, et etiam quid acturus sis, valde te rogo. Etsi periniquo patiebar animo, te a me digredi: tamen eo tempore me consolabar, quod et in summum otium te ire arbitrabar, et ab impendentibus magnis negotiis discedere. Utrumque contra accidit. Istic enim bellum est exortum; hic pax consecuta; sed tamen eiusmodi pax, in qua, si adesses, multa te non delectarent: ea tamen, quae ne ipsum Caesarem quidem delectant. Bellorum enim civilium hi semper exitus sunt, ut non ea solum fiant, quae velit victor, sed etiam, ut iis mos gerendus sit, quibus adiutoribus sit parta victoria. Equidem sic iam obdurui, ut ludis Caesaris nostri aequissimo animo viderem T. Plancum, audirem Laberii et Publii poëmata. Nihil mihi tam deesse scito, quam quicum haec familiariter docteque rideam. Is tu eris, si quam primum veneris. Quod ut facias, non mea solum, sed etiam tua interesse arbitror.

Epist. DCXLV. *Caecilius Bassus*] cf. epist. 640.

ludis] quos Caesar dedit victor ex Hispania reversus Sueton. *Manut.*

T. Plancum] Bursam, Ciceronis inimicum, lege de vi, stante re publ., damnatum, a Caesare restitutum. ep. 2. lib. VII. (h. ed. ep. 182.)

Laberii et Publii poëmata] mimos. Contendisse cum Laberio sene iuvenem Publium Syrum ait Macrobius lib. II. Saturn. *Manut.*

EPISTOLA DCXLVI. (ad Div. V. 11.)

Scr. Romae menſe Octobri aut Nov. A. U. C. 708.

Reſpondet epiſtolae, quae non exſtat, laudando gratum Vatinii animum, et ſtudium ſuum uxori, quam ille commendaverat, non defuturum pollicetur. Addit de Dionyſio fugitivo, et ſpe triumphi Dalmatici.

M. T. CICERO P. VATINIO, IMPERATORI, S. D.

Grata tibi mea eſſe officia non miror. Cognovi enim te gratiſſimum omnium: idque numquam deſtiti praedicare. Nec enim tu mihi habuiſti modo gratiam, verum etiam cumulatiſſime retuliſti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me ſtudio erga te, et eadem voluntate cognoſces. Quod mihi feminam primariam, Pompeiam, uxorem tuam, commendas: cum Sura noſtro ſtatim tuis literis lectis locutus ſum, ut ei mei verbis diceret, ut, quidquid opus eſſet, mihi denuntiaret; me omnia, quae vellet, ſummo ſtudio curaque facturum; itaque faciam, eamque, ſi opus eſſe videbitur, ipſe conveniam. Tu tamen ei velim ſcribas, ut nullam rem, neque tam magnam, neque tam parvam putet, quae mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur. Omnia, quae in tuis rebus agam, et non laborioſa mihi, et honeſta videbuntur. De Dionyſio, ſi me amas, conſice. Quamcumque ei fidem dederis, praeſtabo. Si vero improbus fuerit, ut eſt: duces eum inter captivos in triumpho. Dalmatis dii male faciant, qui tibi moleſti ſunt. Sed, ut ſcribis, brevi capientur, et illuſtrabunt res tuas geſtas. Semper enim habiti ſunt bellicoſi. Vale.

Epiſt. DCXLVI. *quae vellet*] Vulg. *quae ea vellet.* Erneſtius recte cenſuit *ea* inculcatum eſſe a gloſſatore.

duces eum inter captivos] Sic edidit Martyni-Laguna. Vulgo *duces eum captivum.* In quo *captivum* Erneſtius

EPISTOLA DCXLVII. (ad Div. VII. 29.)

Scr. Patris IV. Kal. Nov. A. U. C. 708.

Curius laudat Ciceronis erga se beneficia, petitque ut se Ser. Sulpicii successori commendat.

CURIUS M. CICERONI SUO S.

Si vales, bene est: sum enim χρήσει μὲν tuus, κτήσει δὲ Attici nostri. Ergo fructus est tuus, mancipium illius: quod quidem si inter senes coëmptionales proscripserit, egerit non multum. At illa nostra praedicatio quanti est, nos, quod simus, quod habeamus,

---

uncis inclusit, ut spurium. Quidam MSS. et ed. Rom. habent *duces eum captum.*

Epist. DCXLVII. *Sum enim χρήσει — nostri*] Usu et fructu tuus, inquit sum, possessione autem s. mancipio et nexu Attici. Vulgo legitur *sum enim χρήσει —*. At hoc *enim* hic prorsus ineptum est. Ac si vel maxime id ad SUO in inscriptione referamus, verbis S. V. B. E. vel omissis, vel neglectis, nihil ea ratione proficitur. Non enim, quod aliquis alterum *Suum* appellat, id ex eo duci potest, quod alterius fructu sit. Itaque vel legendum, quod Corradus in aliquot MSS. invenit; *Ego sum χρήσει*; vel si verum est *Sum enim*, dicendum Curium scripsisse M. CICERONI PATRONO SUO, et verba *Si vales bene est* delenda esse.

quod — multum] Per iocum Curius se ipsum abiicit et extenuat. Quum enim se Attici mancipium dixisset, ait Atticum haud multum lucraturum, si illud mancipium inter senes coemptionales proscripserit. Senes autem coemptionales, quod Gronovius docuit, sunt mancipia reiicula et vetula quae quod non ita facile emptorem invenirent, aut minimo aestimarentur, solebant vel plura in cumulum vendi, vel, quasi mantissa et appendix, dari melioribus, ut qui bene habitum conciliare cuperet, imparem contubernalem simul acciperet.

quod simus] vivamus, ut ad Div. VII. 30. (h. ed. 652.) Hoc verbo Curius vel eo respicit, quod in causa capitis a Cicerone defensus fuerat (vocat enim *patro-*

quod homines existimemur, id omne abs te habere? Quare, Cicero mi, persevera constanter nos conservare, et Sulpicii successori nos de meliore nota commenda, quo facilius tuis praeceptis obtemperare possimus, teque ad ver lubentes videre, et nostra refigere deportareque tuto possimus. Sed, amice magne, noli hanc epistolam Attico ostendere. Sine eum errare, et putare, me virum bonum esse, nec solere duo parietes de eadem fidelia dealbare. Ergo, patrone mi, bene vale, Tironemque meum saluta nostris verbis. Dat. a. d. IV. Kal. Novemb.

---

num suum) vel eo quod in consulatu foeneratores periculo exemerat. (ad Div. V. 6. (h. ed. 15.) Apte ad utrumque sequitur *persevera conservare.* — *quod habeamus*, bona nostra possideamus, *quod homines existimemur* humanitatis et urbanitatis laudem habeamus, quae sine dubio innotuerat ex illa defensione Curii, in qua Cicero de praecipua eius laude certe non tacuit. *Weisk.*

et nostra refigere] Sic Lambinus recte correxit lectionem omnium librorum *defigere.* Nam *refigere* est tollere ad asportandum. Volebat enim Romam migrare. Res est ita evidens, ut stultum sit eum non imitari. *Ernesti.*

duo — dealbare] iocatur in se ipsum, quod quasi sui partitionem fecerit inter Ciceronem et Atticum, et illi usu fructu, huic mancipio et nexu se proprium dixerat.

Tironemque meum] Patris aegrum Tironem Curius familiariter cognoverat, ad Div. XVI. 4. 5. (h. ed. 288. 289.) *Manut.*

EPISTOLA DCXLVIII. (ad Div. V. 10. extr.)

Scr. Naronae Nonis Decembr. A. U. C. 708.

In hoc fragmento epistolae, cuius initium periit, refert Vatinius, quae in Dalmatia gesserit, causamque suam Ciceroni commendat.

P. VATINIUS CICERONI SUO, S. D.

* *
* *

Ego post supplicationes mihi decretas, in Dalmatiam profectus sum; sex oppida vi oppugnando cepi; * * * * * Ulcinium; hoc, quod erat maximum, quater a me iam captum. Quatuor enim turres, et quatuor muros cepi, et arcem eorum totam: ex qua

---

Epist. DCXLVIII. *Ego post supplicationes*] Vulgo hoc fragmentum epistolae annectitur illis Vatinii literis, quae incipiunt his verbis. *S. V. B. E. E. Q. V. D. Dionysio tuo adhuc nihil extrico;* (quae est in hac editione 654.) ac Manutius putabat hanc ipsam particulam a Vatinio illi epistolae scriptae quidem, necdum tamen missae adiectam fuisse, quum scilicet certior factus esset de supplicationibus sibi decretis, de quibus Caesarem nondum retulisse in illa priore epistola querebatur. Assentior autem Martyni-Lagunae, qui epistolam cuius hoc fragmentum est, prius scriptam fuisse existimat, supplicationes autem, quas hic sibi decretas ait, ad res in Illyria gestas pertinere, ex qua deinde Vatinius in Dalmatiam profectus est, iterumque rebus ibi gestis aliae supplicationes ut sibi decernerentur, postulaverat.

Ulcinium] Vulgo legebatur sic: *sex oppida vi oppugnando cepi: unum hoc quod erat maximum.* In quo Weiskius putabat legendum: *oppida VI oppugnando cepi*, et in pronomine *hoc* post *unum* latere nomen urbis, e. c. *Doclea.* Mihi vero Martyni-Laguna verum vidisse videtur, qui nomina quinque urbium librariorum culpa excidisse, pro *unum hoc* autem, sic, ut eo auctore edidimus, legendum esse: *Ulcinium; hoc* etc.

me nives, frigora, imbres detruserunt: indigneque, mi Cicero, oppidum captum, et bellum iam confectum relinquere sum coactus. Quare te rogo, si opus erit, ad Caesarem meam causam agas, meque tibi in omnes partes defendendum putes; hoc existimans, neminem te tui amantiorem habere. Vale. Data Non. Decembribus, Narona.

EPISTOLA DCXLIX. (ad Div. IX. 12.)

Scr. in Puteolano mense Decembri A. U. C. 708.

Gratulatur Dolabellae de salubritate Baiarum oratiunculamque pro Deiotaro ei mittit.

CICERO DOLABELLAE.

Gratulor Baiis nostris; siquidem, ut scribis, salubres repente factae sunt; nisi forte te amant, et tibi assentantur, et tamdiu, dum tu ades, sunt oblitae sui. Quod quidem si ita est, minime miror, coelum etiam

---

sum coactus] Haud immerito ridet Martyni-Laguna imperatorem, qui in oppidis captis et arcibus expugnatis non hibernare potius, quam bellum confectum relinquere, et nivibus cedere mallet.

Epist. DCXLIX. *siquidem — salubres repente factae sunt*] Iocatur Cicero quod Dolabella scripserat Baias *repente* factas esse salubres. Atqui aquarum calidarum apud Baias salubritas erat notissima, ut non esset cur Dolabella scriberet, eas nunc demum repente salubres factas esse. Gronovius tamen iocum illum in ambiguitate vocabuli *salubris* ponit, quod interdum id opponatur *luxurioso*; nam famosa erat hominum Baias frequentantium luxuria. Attamen hoc minus convenire videtur verbis quae sequuntur: *coelum etiam et terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere.* Ergo potius sic accipiendum, Dolabellam laudasse aquas, quod earum salubritatem non sensim ut alii, sed repente h. e. statim et sine mora expertus sit.

et terras vim suam, si tibi ita conveniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi misi: quam velim sic legas, ut causam tenuem et inopem, nec scriptione magno opere dignam. Sed ego hospiti veteri et amico munusculum mittere volui levidense, crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu velim animo sapienti fortique sis; ut tua moderatio et gravitas aliorum infamet iniuriam.

EPISTOLA DCL. (ad Att. XIII. 52.)

Scr. in Puteolano post tertia Saturnalia XII. Kal. Ian. A. U. C. 708.

Narrat Caesarem a se hospitio acceptum, hospitemque tam gravem sibi tamen molestum non fuisse.

CICERO ATTICO S.

O hospitem tam gravem! mihi ἀμεταμέλητον.

---

habebam mecum] scil. in villa.

hospiti veteri] regi Deiotaro.

levidense] F. Ursinus malebat *leve, denso filo*. Octav. Pantagathus *levi dente* (i. e. levi pectine) *crasso filo*. At non est ut ab omnium codicum scriptura recedamus. *Levidense* enim munus est non valde excultum et pretiosum, quales solent esse vestes levidenses crassioris fili. Isidor. Orig. XIX. 22. *levidensis vestis, quod raro filo fit, leviterque densata. Pavitensis contraria levidensi dicta, quod graviter pressa atque densata sit* — Graev.

ipsius — munera] sc. Deiotari, quem et alibi ut parum liberalem notat. *Ernesti.*

Epist. DCL. *o hospitem — mihi ἀμεταμέλητον*] Vulgo: *o hospitem mihi tam gravem*, ἀμεταμέλητον. Transponendum vero erat *mihi*. Nam Caesar *hospes* universe dicitur *gravis*, propter impensas in eum et comitatum faciendas. Eius tamen se ipsum non poenitere significat. Ut autem in fine ait: *Habes hospitium sive ἐπισταθμίαν odiosam, mihi, dixi, non molestam;* sic h. l. necessario scribendum erat, o hospitem tam gravem, mihi

Fuit enim periucunde. Sed quum secundis Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa ita completa militibus est, ut vix triclinium, ubi coenaturus ipse Caesar esset, vacaret: quippe hominum clↃ clↃ. Sane sum commotus, quid futurum esset postridie; ac mihi Barba Cassius subvenit; custodes dedit. Castra in agro; villa defensa est. Ille tertiis Saturnalibus apud Philippum ad horam VII, nec quemquam admisit. Rationes opinor cum Balbo. Inde ambulavit in litore. Post horam VIII in balneum; tum audivit de Mamurra; vultum non mutavit; unctus est; accubuit;

ἀμεταμέλητον, *haud poenitendum.*

secundis Saturnalibus] XIII. Kal. Ian.

ad Philippum] L. Marcium Philippum, Caesaris affinem, quod Atiam Iulia Caesaris sorore natam, in matrimonio habebat, Octavii vitricum, cuius erat Puteolanum Ciceronis villae vicinum; (ad Att. XIV. 11.)

Barba Cassius] Hunc inter naufragia Caesaris amicorum nominat Philipp. XIII.

tertiis Saturnalibus] XII. Kal. Ian.

ad horam VII.] i. e. quum circa brumam horae diurnae breviores essent, ex nostra ratione fere ad primam horam pomeridianam (12h 50′)

inde ambulavit in litore] nempe quia illa praedia Puteolana sita erant ad mare.

post horam VIII.] i. e. ex nostra diei divisione sub horam diei secundam a meridie.

in balneum] nempe balneum ei praebuit Cicero in villa sua.

de Mamurra] de quo vid. epist. 298. Manutius intellexit de lege sumptuaria a Mamurra divite illo et luxurioso neglecta; melius vero est cum Lambino de contumelioso Catulli in Mamurram epigrammate accipere.

vultum non mutavit] Significat Caesarem, dum ei recitati sunt versus Catulli in Mamurram nihil esse commotum, ut ne vultum quidem mutarit. *Lambin.*

accubuit] ut ederet. Ungebantur statim post balneum; uncti statim accumbebant. Ne putemus Caesarem solum accubuisse in Ciceronis villa, nam et Ciceronem ipsum et praeterea Philippum et Balbum, for-

ἐμετικὴν agebat. Itaque et edit et bibit ἀδεῶς et iucunde; opipare sane, et apparate: nec id solum, sed

bene cocto
Condito sermone bono, et, si quaeris libenter

Praeterea tribus tricliniis accepti οἱ περὶ αὐτόν valde copiose. Libertis minus lautis, servisque nihil defuit. Nam lautiores eleganter accepti. Quid multa? homines visi sumus. Hospes tamen non is, cui diceres: Amabo te, eodem ad me quum revertere. Semel satis est. Σπουδαῖον οὐδὲν in sermone: φιλόλογα multa.

---

tasse etiam Cassiam in eodem triclinio cum eo coenatos esse credibile videtur. *Manut.*

ἐμετικὴν *agebat*] non est vomebat, (nam vomebatur post coenam, non ante, idque ratio medicinae postulat) itaque, quum vomere decrevisset, nullum genus cibi vitavit. *Manut.* Male a nonnullis redditur h. v. *curatio per vomitum* de qua Pantagathus accipiebat, qui et legendum coniiciebat *egerat* probante Graevio et Corrado. Non venit doctis hominibus in memoriam locus ex Or. pro Deiot. c. 7. de eodem Caesare, de quo hic sermo, apud Deiotarum deversante: *Quum vomere post coenam te velle dixisses in balneum te ducere coeperunt.* Ex quo intelligitur, post coenam ad vomitum isse homines, ut cibo alvum exonerarent, ne large sumptus noceret, Celsus 1. 3. *Reiectum esse ab Asclepiade vomitum video, nec reprehendo, si eorum offensus est consuetudine, qui quotidie eiiciendo vorandi facultatem moliuntur.* De hac igitur Caesaris consuetudine sermo: *accubuit,* ἐμετικὴν *agebat* i. e. volebat vomere post coenam, ideoque largius edebat. Adde Casaub. ad Sueton. Vitell. 13. *Ernesti.*

ἀδεῶς] sine ulla suspicione mali, aut sine metu, ne sibi noceret, edit et bibit iucunde.

bene cocto — libenter] versus sunt Luciliani, quibus utitur etiam de Fin. II. c. 8.

eodem ad me] Voculae *ad me* supervacaneae videbantur Manutio.

σπουδαῖον — φιλόλογα] serium nihil, at multa literata.

Quid quaeris? delectatus est, et libenter fuit. Puteolis se aiebat unum diem fore, alterum ad Baias. Habes hospitium, sive ἐπισταθμίαν odiosam, mihi, dixi, non molestam. Ego paulisper hic, deinde in Tusculanum. Dolabellae villam quum praeteriret, omnis armatorum copia dextra sinistra ad equum, nec usquam alibi. Hoc ex Nicia.

EPISTOLA DCLI. (ad Att. XIII. 42.)

Scr. in Tusculano exeunte Decembri A. U. C. 708.

Colloquium cum Q. filio habitum exponit 1. ad diem natalem suum Atticum invitat 2. se Lepidi rogatu Romam venturum ostendit 3.

CICERO ATTICO, S.

Venit ille ad me, *καὶ μάλα κατηφής·* et ego: *σὺ δὲ δή τι σύννους;* Rogas? inquit, cui iter instet, et iter ad bellum, idque quum periculosum,

---

ἐπισταθμίαν] i. q. Germani dicunt: *Einquartirung.*

nec usquam alibi] an quia solum Dolabellam timebat? minime, ut opinor, sed honoris caussa, ut placuit etiam Mongaltio. *Ernesti.*

hoc ex Nicia] Curtio Nicia Grammatico Dolabellae familiari. *Manut.*

Epist. DCLI. 1. *Venit ille ad me*] Nempe Q. fratris filius. Mongaltius putabat hanc epistolam mense Decembri anni superioris A. U. C. 707. scriptam esse. Verum ei opinioni repugnat hoc, quod mense Decembri illius anni Cicero Romae erat, ac propterea nullae exstant epistolae ad Atticum eo tempore scriptae.

καὶ μάλα κατηφής] *et admodum tristis.*

σὺ δὲ δή τι σύννους] *tu vero quid es cogitabundus?* Et videtur esse initium senarii. *Ernesti.*

idque quum periculosum] scil. iter in Asiam ad bellum Parthicum, ob tempestates metuendas periculosum.

tum etiam turpe. Quae vis igitur, inquam? Aes inquit, alienum: et tamen ne viaticum quidem. Hoc loco ego sumpsi quiddam de tua eloquentia. Nam tacui. At ille: sed me maxime angit avunculus. Quidnam? inquam. Quod mihi, inquit, iratus est. Cur pateris? inquam. Malo enim ita dicere, quam, cur committis? Non patiar, inquit. Causam enim tollam. Et ego, rectissime quidem. Sed si grave non est, velim scire, quid sit causae. Quia, dum dubitabam quam ducerem, non satisfaciebam matri, ita ne illi quidem. Nunc nihil mihi tanti est. Faciam quod volunt. Feliciter velim, inquam, teque laudo. Sed quando? Nihil ad me, inquit, de tempore, quoniam rem probo. At ego, inquam, censeo prius, quam proficiscaris. Ita patri quoque morem gesseris. Faciam, inquit, ut censes. Hic dialogus sic conclusus est.

Sed heus tu, diem meum scis esse III. Non. Ian. 2
aderis igitur.

Scripseram iam: ecce tibi, orat Lepidus 3
ut veniam. Opinor augures nil habere ad

---

tum etiam turpe] scil. quia aere alieno pressus Roma abiret. Mongaltius qui hanc epistolam, ut dixi, ad annum superiorem referebat, intellexit turpitudinem, quod Quintus sibi exprobraret, se ad Caesaris exercitum in Hispaniam ire. At hoc Quinto filio in mentem venire non poterat, quippe qui nimium esset Caesari addictus.

2. *aderis igitur*] in Tusculano.

3. *Lepidus*] M. Aemilius Lepidus, Caesaris dictatoris magister equitum.

augures nil habere] Haec sine dubio corrupta sunt. Legendum vel *augures nullum habere* scil. collegarum, qui templum effari aptius possit, praeter me; vel *augurem nullum habere* scil. illos Caesarem aut Lepidum, *ad templum effandum*, ideoque me arcessi.

templum effandum. Eatur! *μίασμα δρυός*! Videbimus te igitur.

---

templum effandum] intelligo qui locum templo Martis quem Caesar extruere volebat Suet. Iul. c. 44. consecrare et dedicare posset.

μίασμα δρυός] Vulgo corrupte legitur *μιᾶς κόρδου*, vel *μιᾶς σκόρδου*. Sed legendum opinor, *μίασμα δρυός*, quod proverbium est. Appendix Vaticana proverbiorum a Schotto editorum: *Μίασμα δρυός. Παρ' Εὐριπίδῃ ἐν Ἐρεχθεῖ αἰνιττόμενον τὸ Θηβαῖον παρανόμημα εἰς τὸ ἐν Δωδώνῃ μαντεῖον, ἀφ' οὗ καὶ ἡ παροιμία· Βοιωτοῖς μαντεύσατο. Ἠσέβησαν γὰρ εἰς τὴν ἱερείαν, ἐμβαλόντες αὐτὴν εἰς τὸν ἐν Δωδώνῃ λέβητα ἐρωτικῶς διατεθεῖσαν εἰς ἕνα τῶν θεωρῶν.* Sensus igitur, est: *ut fiat piaculum specie religionis.* Nam a Caesare tyranno exstructa templa pro sacrilegiis et piaculis habet. *Gronovius.* Equidem verum vidisse Gronovium arbitror, aliorumque coniecturas nihil moror. Attamen Gronovium fugit, hoc proverbium apud Suidam quoque occurrere, ubi tamen corrupte est *μυίας δάκρυον* pro *μίασμα δρυός*; est autem *μίασμα δρυὸς* dictum pro piaculo in quercum Dodonaeam h. e. in templum Iovis Dodonaei admisso.

M. T. CICERONIS

EPISTOLAE

A. U. C. DCCIX.

A KALENDIS IANUARII AD KALENDAS MARTIAS

C. IULIO CAESARE V.

M. ANTONIO COSS.

SCRIPTAE.

EPISTOLA DCLII. (ad Div. VII. 30.)

Scr. Romae initio Ianuarii A. U. C. 709.

C. Iulio Caesare V. M. Antonio Coss.

Narrat de Caninio ad aliquot horas consule creato et in locum Fabii Maximi mortui suffecto 1. Scribit se Curium Acilio Graeciae procos. diligenter commendasse 2.

CICERO CURIO S. D.

Ego vero te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas; quin hinc ipse evolare cupio, et aliquo pervenire, *ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.* Incredibile est, quam turpiter mihi facere videar, qui his rebus intersim. Nae tu videris multo ante providisse, quid impenderet tum, quum hinc profugisti. Quamquam haec etiam auditu acerba sunt, tamen audire tolerabilius est, quam videre. In campo certe non fuisti, quum H. II. comitiis quaestoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi consulem esse dicebant, posita esset: quo mortuo nuntiato, sella sublata est. Ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, cen-

Epist. DCLII. 1. *ubi nec Pelopidarum*] Caesaris et Caesarianorum. cf. ep. 472. ubi eodem versiculo veteris Tragici utitur.

quum hor. II.] h. e. secunda post exortum solem hora; et quum circa brumam breviores essent horae duodecim diurnae, ex nostra numerandi ratione significatur hora fere octava matutina.

quem illi] sc. Caesariani; nempe non creatus erat legitime, nec pro vero consule a multis habebatur. Sueton. Iul. c. 80. *Ernesti.*

ille autem] Caesar, qui Comitia habebat.

comitiis tributis] creabantur comitiis tributis minores magistratus, aedilis pl. quaestor, aedilis curulis. Centuriatis autem maiores, praetor, consul, censor. Utraque a consule haberi solita et locus hic et ep. ad Att. IV. 3. (h. ed. 89.) declarat. *Manut.*

auspicatus] ante lucem scilicet. Nam post mediam

turiata habuit; cos. H. VII. renuntiavit, qui usque ad kalendas Ian. esset; quae erant futurae mane postridie. Ita Caninio consule scito neminem prandisse. Nihil tamen eo consule mali factum est. Fuit enim mirifica vigilantia, qui suo toto consulatu somnum non viderit. Haec tibi ridicula videntur. Non enim ades. Quae si videres, lacrymas non teneres. Quid si cetera scribam? Sunt enim innumerabilia generis eiusdem: quae quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiae portum contulissem, et nisi haberem socium studiorum meorum, Atticum nostrum: cuius quum proprium te esse scribis mancipio, et nexu, meum autem usu, et fructu, contentus isto sum. Id enim est cuiusque proprium, quo quisque fruitur atque utitur. Sed haec alias pluribus.

2 Acilius, qui in Graeciam cum legionibus missus

---

noctem auspicari licebat. Exorto autem sole id agebant, super quo auspicati erant, auspicatique esse et egisse eodem die dicebantur. *Manut.*

cos. hor. VII.] i. e. hora fere secunda a meridie, ut nos numeramus.

renuntiavit] C. Caninium Rebilum, qui Caesaris legatus bello Gallico fuerat.

neminem prandisse] non dicit *coenasse;* nam semel quidem eo consule coenatum est, sed *prandisse*, quia post meridiem demum renuntiatus est. *Ernesti.*

somnum non viderit] Posteriores enim sex horae noctis habita civilis diei ratione, pertinent ad Kal. Ian. priores vero, qui pertinent ad pridie Kal. qui consulatus ultimus dies est, insomnes ab occupato praesertim consule ducuntur. Itaque perbelle Cicero iocum quaerens brevitatem consulatus ad vigilantiae laudem convertit. Vide Macrobium lib. II. Saturn. Plutarch. in Caesare. Dionem lib. XLIII. Tacitum lib. XIX. *Manut.*

cuius quum proprium — scribis] epist. 647.

2. *Acilius*] Is igitur successor fuit Sulpicii in Achaia provincia regenda.

est, maximo meo beneficio est. Bis enim est a me iudicio capitis, rebus salvis, defensus: et est homo non ingratus, meque vehementer observat. Ad eum de te diligentissime scripsi, eamque epistolam cum hac coniunxi: quam ille quomodo acceperit, et quid tibi pollicitus sit, velim ad me scribas.

EPISTOLA DCLIII. (ad Div. XIII. 50.)

Scr. Romae fortasse eodem tempore quo superior epistola.

M' Curium Patris negotiantem commendat.

M. T. CICERO AUCTO PROC. S. D.

Sumpsi hoc mihi, pro tua in me observantia,

---

bis enim est a me iudicio capitis — defensus] Ex hoc loco colligitur hunc Acilium esse eundem, qui A. U. C. 707. Siciliae proconsul fuit, et ad quem Cicero epistolas aliquas commendatitias dedit. (h. ed. 498. — 507.) Nam non aliis his temporibus memoratur Acilius, qui magistratus gesserit, et magistratus tamen hunc Acilium antea gessisse oportet, quum Cicero se eum bis in causa capitis defendisse dicat. Pighio quoque idem esse videtur Acilius, qui Siciliae procos. fuit et nunc in Graeciam missus esse dicitur.

Epist. DCLIII. AUCTO] Mire variant Codd. Mss. in hoc nomine. *Auto* erat in codd. Victor. item in Pal. I. 6. Hittorp. Antea legebatur *Aristo* Amstel. *Achico* Mentel. *Aueto* Dresd. 1. 2. 3. et Torgav. habent *Avio* non autem additur *Procos.* Vix tamen coniectura aliquis exputet, quomodo hic vir, ad quam haec epistola scripta est, nisi proconsul Achaiae fuisset, eam potuisset auctoritatem et potentiam habere, ut, quod Cicero eum rogat, M' Curium Patris negotiantem posset sartum et tectum ab omni incommodo, detrimento, molestia conservare. Itaque mihi animus in hanc partem inclinat, ut putem pro nomine *Aucto* substituendum esse *Acilii* nomen, et hanc epistolam eam ipsam esse, qua Cicero in literis ad Curium scriptis (h. ed. ep. 652.) se eum Acilio commendasse scribit.

pro tua in me observantia] Ep. 652. scribit Cicero se ab

quam penitus perspexi, quamdiu Brundisii fuimus, ut ad te familiariter et quasi pro meo iure scriberem, si quae res esset, de qua valde laborarem. M' Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse coniunctius. Multa illius in me officia, multa in illum mea; quodque maximum est, summus inter nos amor et mutuus. Quae quum ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes: si ea, quae in me officia et studia Brundisii contulisti, vis mihi etiam gratiora efficere; quamquam sunt gratissima: si me a tuis omnibus amari vides: hoc mihi da atque largire, ut M' Curium, sartum et tectum, ut aiunt, ab omni incommodo, detrimento, molestia conserves. Et ipse spondeo, et omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia et ex tuo in me officio maximum te fructum summamque voluptatem esse capturum.

Acilio vehementer observari.

si ullam in amicitia mea spem habes] Sic poterat Cicero ad eum scribere quem bis in iudicio capitis defenderat.

officia et studia Brundisii] ubi Cicero se tenuit A. U. C. 705 et 706. eoque tempore Acilius ibidem antequam in Siciliam propraetor iret, quam provinciam obtinuit A. U. C. 707. in eum officia sua et studia conferre potuit.

molestia] Vulgo addebatur: *sinceram integramque*. Ea verba Matius opinionum II. 2. pro glossis eiicienda censuit, habetque assentientem Ernestium. Equidem nullus dubito insititia esse; itaque delevi.

EPISTOLA DCLIV. (ad Div. V. 10.)

Scr. in provincia Illyria ineunte anno 709.

De Dionysio servo fugitivo Ciceronis, 1. *de C. Atilio pirata captivo*, 2. *de rebus a se gestis et supplicationibus decernendis*. 3.

P. VATINIUS CICERONI SUO S. D.

S. V. B. E. E. Q. V. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico; et eo minus, quod me frigus Dalmaticum, quod illinc eiecit, etiam hic refrigeravit. Sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam.

Sed tu omnia mihi dura imperas. De C. Atilio 2 nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligentissimae. Apage te cum nostro Sexto Servilio. Nam mehercules ego quoque illum amo. Sed huiuscemodi vos clientes, huiusmodi caussas recipitis? hominem unum omnium crudelissimum, qui tot ingenuos, matresfamilias, cives Romanos occidit, arripuit, disperdidit, regiones vastavit? Simius non semissis homo contra me arma tulit, et eum bello cepi. Sed tamen, mi Cicero, quid facere possum? Omnia mehercules cupio, quae tu mi imperas. Meam animadversionem et supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi, et condono.

Epist. DCLIV. 1. *Dionysio*] servo fugitivo. cf. ep. 618.

Sed tu omnia] Bene sic Ernestius correxit auctoritate ed. Med. vulg. *Sed tamen omnia.* Martyni - Laguna rescripsit *Omnia*... Sed hoc est paullo abruptius.

2. *C. Acilio*] Vulgo *Catilio.* Piraticam ille exercuerat.

nam mehercule] His verbis rationem reddit, cur Sextum Servilium *nostrum* dixerit. Nam nisi eum quoque ipse dilexisset, scripsisset: *apage te cum tuo Sex. Servilio.*

Simius non semissis homo] Martyni - Laguna edidit: *simul non sanus homo*, nescio qua auctoritate.

et condono] Inter haec

Quid illis respondere possum, qui ob bona direpta, naves expugnatas, fratres, liberos, parentes occisos, actiones postulant? Si mehercules Appii os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. Quid ergo est? faciam omnia sedulo, quae te sciam velle. Defenditur a Q. Volusio, tuo discipulo: si forte ea res poterit adversarios fugare. In eo maxima spes est.

3 Nos, si quid erit istic opus, defendes. Caesar adhuc mihi iniuriam facit; de meis supplicationibus, et rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert; quasi vero non iustissimi triumphi in Dalmatia res gesserim. Nam si hoc exspectandum est, dum totum bellum conficiam: (viginti oppida sunt Dalmatiae antiqua; quae socia sibi asciverunt amplius sexaginta;) haec nisi omnia expugno, si mihi supplicationes non decernuntur, longe alia conditione ego sum, ac ceteri imperatores.

---

verba, et ea quae sequuntur *quid illis* aliquot verba intercidisse putat Martyni-Laguna.

qui ob bona direpta — actiones postulant] Sic Martyni-Laguna. Vulgo *qui sua bona direpta — actiones expostulant*; in quo Manutius et Ernestius correxerunt: *actione expostulant*.

Appii] Iam Manutius negavit hunc esse eum Appium Claudium, qui Ciceronis antecessor fuerat in proconsulatu Ciliciensi. Repugnabat Ernestius, existimans, Vatinium in auguratu huic Appio, in bello civili mortuo successisse. At cur h. l. Vatinius eius rei mentionem faceret? Praeterea Cicero, si ad augurem scribit, eum solet collegam appellare. Id non fecit in epistola 646. ad Vatinium scripta. Itaque Manutio quicum consentit Gronovius assentior, alium quendam Appium, ante Vatinium Illyrico et Dalmatiae praefuisse.

Q. Volusio] eodem fortasse, qui Ciceronis comes in Cilicia fuit.

3. *quae socia sibi*] Vulgo *quae ipsi sibi*. Ernestius e Ms. correxit *quae ipsa sibi*. Martyni-Laguna edidit, *quae socia sibi*, quae lectio sane est aptissima, etsi, unde eam hauserit, non liquet.

EPISTOLA DCLV. (ad Div. XII. 19.)

Scr. Romae mense Februario A. U. C. 709.

Gratulatur Cornificio provinciam Syriam a Caesare tributam.

M. T. CICERO CORNIFICIO, S. D.

Libentissime legi tuas literas: in quibus jucundissimum mihi fuit, quod cognovi meas tibi redditas esse. Non enim dubitabam, quin eas lubenter lecturus esses. Verebar, ut redderentur. Bellum, quod est in Syria, Syriamque provinciam tibi tributam esse a Caesare, ex tuis literis cognovi. Eam rem tibi volo bene et feliciter evenire. Quod ita fore confido, fretus et industria et prudentia tua. Sed de Parthici belli suspicione quod scribis, sane me commovit. Quantum copiarum haberes, quum ipse coniectura consequi poteram, tum ex tuis literis cognovi. Itaque opto, ne se illa gens moveat hoc tempore, dum ad te legiones eae perducantur, quas audio duci. Quod si pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti consilio M. Bibuli; qui se oppido munitissimo, et copiosissimo tamdiu tenuit, quamdiu in provincia Parthi fuerunt. Sed haec melius ex re et ex tempore constitues. Mihi quidem usque curae erit, quid agas, dum, quid egeris, sciero. Literas ad te numquam habui cui darem, quin dederim. A te, ut idem facias, peto: in primisque, ut ita ad tuos scribas, ut me tuum sciant esse.

Epist. DCLV. *meas tibi redditas esse*] Significat epistolam h. ed. 645.

eam rem] Vulgo *eandem rem*. Sed cur *eandem?* quaerit Ernestius, conlicitque scriptum fuisse *eam quidem rem*. Mihi vero librarii *eam* in *eandem* depravasse videntur.

EPISTOLA DCLVI. (ad Div. VII. 31.)

Scr. Romae mense Februario A. U. C. 709.

Invitat ad mutua officia, et ut in urbem redeat veteris urbanitatis tuendae causa, rogat.

CICERO CURIO, S. D.

Facile perspexi ex tuis literis, quod semper studui, et me a te plurimi fieri, et te intelligere, quam mihi carus esses. Quod quum uterque nostrum consecutus est: reliquum est, ut officiis certemus inter nos; quibus aequo animo vel vincam te, vel vincar abs te. Acilio non fuisse necesse meas dari literas, facile patior. Sulpicii tibi opera intelligo ex tuis literis, non multum opus fuisse, propter tuas res ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. Equidem vellem, uti pedes haberent, ut aliquando redires. Vides enim exaruisse iam veterem urbanitatem; ut Pomponius noster suo iure possit dicere, *nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam*. Ergo is tibi, nos ei succedimus. Veni igitur, quaeso, ne tamen semen urbanitatis una cum re publica intereat.

Epist. DCLVI. *meas dari literas*] quas Curii rogatu ad eum scripserat Curioque miserat cum epistola 652.

res ita contractas] valde implicatas, quia tibi cum triconibus et hominibus non solvendo res est. *Gronov.*

nec caput nec pedes] nec initium nec finis appareat, quia sic turbatae sunt, ut nescias, ubi incipias ubi finias. *Gronov.*

M. T. CICERONIS
EPISTOLAE

ANNO ET MENSE INCERTO
INTRA A. U. C. DCCVI ET DCCIX.

SCRIPTAE.

EPISTOLA DCLVII. (ad Div. IX. 21.)

Scr. anno incerto.

Fulmina verborum Paetus Ciceroni tribuerat, quae imitari non posset, quod ridens confutat: 1. etiam quod Papirios ullos negaverat nisi plebeios fuisse. 2.

CICERO PAETO, S.

Ain' tandem? insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, ut scribis, fulmina? tum insanires, si consequi non posses. Quum vero etiam vincas, me prius irrideas, quam te, oportet. Quare nihil tibi opus est illud a Trabea, sed potius ἀπότευγμα meum. Verumtamen quid tibi ego in epistolis videor? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo. Quid enim simile habet epistola aut iudicio, aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo. Privatas causas, et eas tenues, agimus subtilius; capitis, aut famae, scilicet ornatius. Epistolas vero quotidianis verbis texere solemus.

Sed tamen, mi Paete, qui tibi venit in mentem 2 negare, Papirium quemquam umquam, nisi plebeium

---

Epist. DCLVII. 1. ἀπότευγμα *meum*] aberratio, quia non assequor id, quod cupio. Quum Papirius ostendere vellet Ciceroni, se frustra ipsius orationes imitari, Trabeae poetae verbis id ostenderat. Quod reiicit Cicero, ac potius sibi illud ipsum a Trabea opus esse affirmat. Nam quum Papirius non solum consequatur, sed etiam vincat, suum esse frustra conari affirmat. ἀπότευγμα *igitur meum*, subaudi *est*. Tu enim omnia quae vis, consequeris; quod ego non possum; itaque ἀπότευγμα meum est, non tuum. *Manut.*

fuisse? Fuerunt enim patricii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui censor cum L. Sempronio Atratino fuit, quum antea consul cum eodem fuisset, annis post Romam conditam CCCXII. Sed tum Papisii dicebamini. Post hunc, XIII fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primum Papisius est vocari desitus. Is dictator cum L. Papirio Cursore, magistro equitum, factus est, annis post Romam conditam CCCCXV, et quadriennio post consul cum K. Duilio. Hunc secutus est Cursor, homo valde honoratus: deinde L. Maso, aedilicius: inde multi Masones; quorum quidem tu omnium patriciorum imagines habeas volo. Deinde Carbones, et Turdi insequuntur. Hi plebeii fuerunt: quos conte-

---

2. *qui censor — quum antea consul*] Transposui verba *censor* et *consul*. Vulgo enim *qui consul — quum antea censor*. Nam prius consul, quam censor fuit, ut omnes, et fuit censor cum L. Sempronio Atratino. Monuit hoc dudum Pighius ad a. 310. Sed nemo editorum eum audivit. *Ernesti*. Idem monuerat Manutius ad h. l.

CCCXII] hunc annum Cicero de censura, non de consulatu intelligi voluit. Et ad hunc annum Livius quoque hos censores, qui primi hunc magistratum gesserunt, refert Lib. IV. c. 10.

annis post Romam conditam CCCCXV] Liv. VIII. c. 12.

cum K. Duilio] Edidi K. pro C., ne *Caio* legatur, pro *Kaesone* quod fuit praenomen Duilii. *Ernesti*. Consul fuit L. Papirius Crassus cum K. Duilio A. U. C. CCCCXIX. Liv. VIII. c. 16.

Cursor] idem scil. quem antea magistrum equitum fuisse memoraverat.

valde honoratus] nam quinquies consul fuit annis V. C. 429. 433. 434 438. 440. Idem dictator factus a. 430.

L. Maso aedilicius] L. Papirius Maso aedilis fuit A. U. C. 430.

multi Masones] inter quos C. Papirius L. F. Maso consul fuit A. U. C. 522.

mnas censeo. Nam praeter hunc C. Carbonem, quem Damasippus occidit, civis e re publica, Carbonum nemo fuit. Cognovimus Gn. Carbonem, et eius fratrem scurram. Quid his improbius? de hoc amico meo, Rubriae filio, nihil dico. Tres illi fratres fuere, P. M. C. Carbones. Publius Flacco accusante, condemnatus; fugit Marcus ex Sicilia; Caius, accusante L. Crasso, cantharidas sumpsisse dicitur. Is et tribunus plebis seditiosus, et P. Africano

---

hunc C. Carbonem, quem Damasippus occidit] Intelligitur C. Carbo, C. Carbonis illius eloquentissimi, quem L. Crassus accusavit, et qui paullo post cantharidas sumpsisse dicitur, filius. Occidit eum Damasippus praetor Marii iussu A. 671. eiusque mortem Cicero de Orat. III. 3. etiam L. Crasso, etsi ei patris ab eo accusati caussa inimicissimus esset, si eam vidisset, dolori futuram fuisse dicit. Ceterum recte Manutius ad h. l. et Pighius ad A. DCLXIX. docuerunt eos errasse, qui hunc Carbonem a Damasippo occisum, eius qui ter consul fuit fratrem fuisse opinati sunt.

civis e republica] h. e. utilis rei publicae s. ex optimatum partibus.

cognovimus Gn. Carbonem] Hic non est Gn. Carbo ter consul, qui nominatur infra. Potest autem is esse, quem elegantis conventus auribus minime dignum, turbulentis vero concionibus aptissimum se cognovisse auctor est Cicero in Bruto c. 60. *Manut.*

tres illi] qui sequuntur; Manutius in *illi* putat emphasin esse, q. d. insignes omnes improbitate. Ego vero nihil aliud arbitror significari, quam tres hi, quos iam nominabo, fratres fuere.

P. M. C. Carbones — ex Sicilia] Restitui lectionem edd. vett. Pro qua recentiores multi ediderunt sic: *C. Gn. M. Carbones. Marcus P. Flacco accusante condemnatus fur magnus ex Sicilia.*

fugit Marcus ex Sicilia] quum in ea praetor aut quaestor aut legatus esset. *Manut.*

Caius accusante L. Crasso] Hic C. Papirius Carbo consul fuit A. V. C. 633. et anno sequente, a L. Licinio Crasso, oratore adolescente accusatus, quamvis ipse

vim attulisse existimatus est. Hoc vero, qui Lilybaei a Pompeio nostro est interfectus, improbior nemo, meo iudicio, fuit. Iam pater eius accusatus a M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur. Quare ad patres censeo revertare. Plebeii quam fuerint importuni, vides.

---

fuisset egregius orator (Cic. Brut. c. 27.) tamen se a severitate iudicum voluntaria morte, cantharidibus sumptis, vindicavit.

vim attulisse] Idem scribit Pompeium dixisse, ad Q. Fr. II. 3. (h. ed. 99.) sed lib. II. de Orat. cap. 40. non ei vim Carbonem attulisse, sed conscium significat fuisse. Eius autem mortis culpa in Sempronium uxorem, Gracchorum sororem a pluribus confertur. Unde illud in Somnio Scipionis C.: *si impias propinquorum manus effugeris.* Carbonem et Semproniam in eo scelere coniungere Cicero videtur in lib. de Amicitia c. 12. *Hunc*, inquit, *etiam post mortem secuti amici et propinqui quid in P. Scipionem effecerint, sine lacrimis non queo dicere* — *Manut.*

Hoc vero] Gn. Carbone, qui ter consulatum adeptus (A. 668. 669. 671.) acerrime contra Sullam pugnavit, postremo victus et Italia pulsus, in Sicilia a Pompeio occisus est. *Manut.*

Pater eius] Gn. Carbo, ut Capitolini lapides testantur, et is fortasse, qui cum Metello Caprario consul fuit A. V. C. 640. Nam de illius dignitate argumentum capio ex accusatione M. Antonii oratoria laude clari. Non enim ignobilem aut humilem civem accusasset, quum praesertim et L. Crassus consularem virum C. Carbonem eloquentia praestantem, adolescentulus iam accusasset. *Manut.*

sutorio atramento absolutus] sutorium atramentum Graeci χάλκανθον [Germani *Kupfervitriol*] vocant. Galenus lib. XIII. meth. c. 20. nominat inter ea pharmaca quae non leviter nocendi vim habent, quam ille δύναμιν φθαρτικήν appellat; subiungitque non tuto medicamentis immisceri, quae per os assumuntur. Itaque licet opinari Carbonem hunc, sumpto atramento sutorio, voluntaria morte a iudicio liberatum. Non ignoro quibusdam *absolvi atramento sutorio* quasi proverbium esse visum, ut dixerit Cicero absolutum quidem, sed (ut

EPISTOLA DCLVIII. (ad Div. IX. 22.)

Scr. anno incerto.

Quum Paetus in epistola verbum obscenum usurpasset, Cicero Stoicorum sententiam explicat, quibus placuit nihil esse obscenum, nihil turpe dictu, ideoque suo quamque rem nomine appellandam; se tamen verecundiam potius loquendi quam istam Stoicorum licentiam amare ostendit.

CICERO PAETO.

Amo verecundiam, tu potius libertatem loquendi. Atque hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto: etsi Academiae nostrae cum eo magna rixa est. Sed, ut dico, placet Stoicis, suo quamque rem nomine appellare. Sic enim disserunt: Nihil esse obscenum, nihil turpe dictu. Nam, si quod sit in obscenitate flagitium, id aut in re esse, aut in verbo: nihil esse tertium. In re non est. Itaque non modo in comoediis res ipsa narratur: ut ille in Demiurgo;

---

opinio fuit) corrupto iudicio, quod ut obscurae sunt literae atramento sutorio conscriptae, sic obscurae fuerint iudicum sententiae. Horum probanda sit an condemnanda opinio, alii viderint. *Manut.* Equidem Manutii praefero sententiam. Sin altera ratio placeat, certe non de obscuris iudicum sententiis intelligendum illud proverbium, sed de ea absolutione, in qua reus, quamvis absolutus, infamiae tamen maculam haud effugerit.

Epist. DCLVIII. *tu potius*] Ita sine dubio legendum, quod iam Bernh. Rutilius et Lambinus monuerunt. Vulgo absurde: *vel potius*. Rutgersius emendabat: *ut porticus*, nempe *Στοά*. Verum tamen hoc admittendum non est, quia statim sequitur: *Atque hoc Zenoni placuit*, et paulo post: *Sed ut dico, placet Stoicis.*

atque hoc Zenoni] Recte Benedictus e codd. Dresd. 1. 3. 5. Asc. I. aliisque reposuit *atque*. Nam vulgatum *atqui* hic non quadrat.

ut ille in Demiurgo] nimirum Turpilius comicus, qui fabulam docuit sic inscriptam, quam Nonius Marcellus citat in v. *quaesti* aliisq.

(nosti canticum; meministi Roscium,) *ita me destituit nudum.* Totus est sermo verbis tectus, re impudentior. Sed etiam in tragoediis. Quid est enim illud: *Quae mulier una —?* Quid, inquam, est: *Usurpat ea duplex cubile —?* Quid illud: *Pheraei hic cubile inire est ausus —?* Quid est: *Virginem me quondam invitam per vim violat Jupiter —?* Bene, *violat;*

---

que locis. Ex nomine *Demiurgo* per corruptelam librariorum in codd. nonnullis factum est *Trinummo virgo.* Post *Demiurgo* vulgo addebatur *modo*, quam particulam cum Ernestio ex antecedenti versiculo temere repetitam arbitror.

nosti canticum] Vulgo *forte nosti c.* Non est autem Ciceronianum *forte* pro *fortasse;* debebat saltem esse *si forte.* Sed solet Cicero hoc *nosti* in huiusmodi formulis absolute fere ponere e. c. de Fin. II. 22. *nosti credo* illud: „*nemo pius est qui pietatem*" Epist. ad Div. VII. 28. (h. ed. 472.) *ut ibi esses*, „*ubi nec Pelopidarum*", *nosti cetera.*

meministi Roscium] illud canticum agentem s. gestus ei accommodantem.

sed etiam in tragoediis] Sequuntur quatuor exempla locorum e tragicis poëtis, in quibus de adulteriis et stupris agitur, honestis tamen verbis.

quae mulier una] Est ex Attio: nempe integer versiculus erat: *quae mulier una duûm virûm* Cic. Orat. c. 46.

usurpat ea duplex cubile] Vulgo *usurpata duplex cubile.* Ms. Ursini cum aliis tribus *usurpat d. c.* sex alii, ut Amst. et Pal. I. *usurpata.* Graevius coni. *usurparat.* Rescripsi autem *usurpat ea duplex cubile*, quod est pars senarii iambici; agiturque de moecha. Perperam vero quidam interpretes hunc versiculum cum superiore *mulier una* coniungendum putarunt.

Quid illud? Pheraei] Ita rectius cum edd. vett. legitur quam, ut postea ediderunt: *quid? huius Pheraei.* Ceterum accipiunt hoc de Alexandro Pheraeo, quem eius uxor Thebe, adiuvantibus fratribus, ob suspicionem pellicatus occidit. Sed ut nunc legitur versiculus, haud satis ei argumento convenit. Si scriptum esset: *Regis Pheraei haec cubile inire est ausa*, posset sane Thebe de pellice sic loqui.

Virginem — violat Iupiter] Loquitur una mulierum,

ſed alterum nemo tuliſſet. Atqui idem ſignificat. Vides igitur, quum eadem res ſit, quia verba non ſint, nihil videri turpe. Ergo ſi in re non eſt: multo minus in verbis. Si enim quod verbo ſignificatur, id turpe non eſt, verbum, quod ſignificat, turpe eſſe non poteſt. *Anum* appellas alieno nomine: cur non

---

quas Iupiter amavit. Sine ſenſu olim ſic interpungebatur: *violat. Iupiter bone! violat?*

bene; violat] Ita Benedictus edidit e Dresd. 1. 2. 3. al. recte opinor.

ſed alterum nemo tuliſſet; atqui idem ſignificat] transpoſui verba, quae vulgo praepoſtere ſic procedunt; *atqui idem ſignificat, ſed alterum nemo tuliſſet.* Senſus eſt: ſi pro iſto *violat* dictum eſſet, *ſubagitat*, hoc alterum nemo tuliſſet; atqui idem ſignificat, quod illud *violat*.

vides igitur — videri turpe] Haec verba nec propoſito recte conveniunt, nec a vitio librariorum immunia videntur. Quis enim ſic loquatur: *Vides — nihil videri turpe.* Cicero ſignificat, quum de ſtupris et adulteriis loquentem feramus, ſi modo tectis verbis, non propriis quibusdam utatur, facile intelligi, in re ipſa, nihil eſſe turpe, h. e. turpem non eſſe cogitationem illarum rerum, nec omnino turpem de illis ſermonem. Itaque ſic legendum arbitror: *Vides igitur, quum eadem res ſit* (quae partim honeſtis partim obſcenis verbis dici poteſt) *quum verba non ſint* (turpia) *nihil eſſe in re turpe.*

Ergo ſi in re non eſt] Addidi particulam *ſi*, quam nexus ſententiae poſcit.

Anum appellas] Nempe hoc vocabulum honeſtius erat, et a medicis uſurpatum. Illa vero *culus* et *podex* obſceniora erant, ideoque a Satyrarum et epigrammatum ſcriptoribus frequentantur. Alienum autem quod dicit *ani* nomen, ſignificare videtur id nuper demum uſurpari coeptum eſſe; quodcumque ſit eius etymon. Nam quod Manutius ait, alienum dici anum quaſi a vetula ſumptum, quod utrique ſimilis deformitas et foeditas, id ineptiſſimum eſt, quum duo illa vocabula declinatione, et genere, et quantitate primae ſyllabae diverſa ſint, ut nullo modo Ciceroni in

suo potius? Si turpe est, ne alieno quidem: si non est, suo potius. Caudam antiqui *penem* vocabant: ex quo est propter similitudinem penicillus. At hodie *penis* est in obscenis. At vero Piso ille Frugi in Annalibus suis queritur, adolescentes peni deditos esse. Quod tu in epistola appellas suo nomine, ille tectius *penem*. Sed quia multi, factum est tam obscenum, quam id verbum, quo tu usus es. Quid, quod vulgo dicitur, *Cum nos te voluimus convenire*, num obscenum est?

---

mentem venire potuerit, anum, i. e. podicem a similitudine cum anu i. e. vetula dictum esse.

si turpe est] de hac parte corporis loqui.

penicillus] In antiquis libris et *peniculus* est et *penicillus*. Festus *peniculum* appellat, quo calceamenta tergentur, et ait a *pene* deductum i. e. cauda. Plautus quoque in Menaechm. I. *iuventus* ait sub persona parasiti, *nomen fecit peniculo mihi, ideo quia mensam, quando edo, detergeo.* — *Manut.*

At vero] Manutio placebat *et vero*, non enim hoc adversari, sed consentire proximis superioribus verbis. Enim vero utique adversatur superioribus. Significat enim, quum hodie penis sit in obscenis, nondum ita fuisse Pisonis aetate, quippe qui non dubitaverit hoc vocabulum in historia ponere.

ille Frugi] qui sine ornatu scripsit historiam de Orat. II. 12. Brut. 27. Tusc. III. *Manut.*

quia multi] scil. deinde hoc vocabulum usurparunt.

quo tu usus es] scil. *mentula.*

num obscenum est] quia *cum nos* pronuntiatum videbatur sono ad vocabulum *cunnus* accedere. Mira enim fuit oratorum in his κακοφάτοις vitandis ac paene putida diligentia. cf. Cic. Orat. c. 45. Quintil. VIII. 3. 45. „iunctura deformiter sonat, ut si *cum hominibus notis loqui* nos dicimus, nisi hoc ipsum *hominibus* medium sit, in praefanda videmur incidere; quia ultima prioris syllabae (sc. CUM) litera, quae exprimi, nisi labris coëuntibus non potest, aut intersistere nos indecentissime cogit, aut continuata cum insequente in naturam eius corrumpitur.“

Memini, in ſenatu diſertum conſularem ita eloqui: *Hanc pulpam maiorem, an illam dicam?* potuit obſcenius? Non, inquis. Non enim ita ſenſit. Non ergo in verbo eſt. Docui autem in re non eſſe. Nusquam igitur eſt. *Liberis dare operam*, quam honeſte dicitur? Etiam patres rogant filios. Eius operae nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobiliſſimus fidicen. Is *Connus* vocitatus eſt. Num id obſcenum putas? Quum loquimur *terni*, nihil flagitii dicimus. At quum *bini*, obſcenum eſt. Graecis quidem, inquies. Nihil eſt ergo in verbo, quum et ego Graece ſcio; et tamen tibi dico, *bini;* idque tu facis, quaſi ego Graece, non Latine dixerim. *Ruta*, et *menta*, recte utrumque. Volo mentam puſillam ita appellare, ut *rutulam:* non licet. *Bella tectoriola:*

---

hanc pulpam] In vulgata lectione *hanc culpam* neſciunt viri docti ubi aliquid obſceni eſſe poſſit. Politianus, ut notat Gruterus in cod. ſcr. legere voluit *pulpam*, in quo aliquid obſceni eſſe poſſit, quia et Donatus in *pulpamentum* ap. Terentium Eun. III. 2. 36. notavit. Enim vero ſic plane habet ed. Rom. Itaque id edere non dubitavi. *Erneſti.* Lectio *hanc culpam* hoc habet commodi, quod ſenator in curia de imperatoris cuiusdam aut magiſtratus culpa quin loqui potuerit, nullum dubium eſt. Attamen hoc moleſtum eſt, quod in ea nec ſenſus nec ſonus obſcenitatis argui poteſt, niſi forte aliquis illud vocabulum ad ſimilem ſonum *vulvam* detorquere velit. In lectione *hanc pulpam* obſcenitas facilius deprehenditur; difficile autem eſt exputare, quo ſenſu aliquis in ſenatu *de pulpa maiore* dicere potuerit. Neque vero Ciceronem in hoc dicto: *hanc pulpam maiorem an illam dicam* obſcenitatem in ſoni deformitate, ſed in ἀμφιβολίᾳ ſenſus reperiſſe, ex eo colligitur quod addit: *At non ita ſenſit.* Itaque mihi de veritate huius lectionis nondum liquet.

bini obſcenum eſt] Nempe quia Grace βινεῖ eſt obſcenum.

non licet] quia pronuntiaretur, *mentula.*

dic ergo etiam *pavimenta* isto modo. Non potes. Viden' igitur nihil esse, nisi ineptias: turpitudinem nec in verbo esse, nec in re; itaque nusquam esse. Igitur in verbis honestis obscena ponimus. Quid enim, non honestum verbum est *divisio?* At inest obscenum, cui respondet *intercapedo.* Num haec ergo obscena sunt? Nos autem ridicule. Si dicimus: ille patrem *strangulavit;* honorem non praefamur. Sin de Aurelia aliquid, aut Lollia: honos praefandus est. Et quidem iam etiam non obscena verba pro obscenis sunt. *Batuit,* inquit, impudenter; *depsit* multo impudentius. Atqui neutrum est obscenum. *Testes,* verbum hone-

---

non potes] nam sonaret *pavimentula.*

divisio? at inest obscenum] sc. *visio,* flatum ventris emitto; ut *pedo* in vocabulo *intercapedo.* Aliud egit Manutius, quum in *divisio* et *intercapedo* obscenitatem cinaedorum tangi putavit. Immo hic ad verba *visio* (βδέω) et *pedo* (πέρδομαι) respici Quintilianus ostendit VIII. 3, 46. „Sed *divisio* quoque, inquit, affert eandem iniuriam pudori, ut si *intercapedinis* nominativo casu quis utatur.“ quo loco contra Manutii sententiam iam usus est Fr. Vavassor de epigr. 6. 11.

sin de Aurelia aliquid] Quid est *aliquid?* Certe vitiosum est, aut delendum, aut *aliquis* corrigendum. Si de *Aurelia* dicimus *strangulare* aut *aliquis* dicit hoc verbum. Apparet sensu obsceno dictum esse de mulieribus *Ernesti.* Praetulerim *aliquis;* sin *aliquis* dicat de Aurelia aut Lollia, scortis nobilissimis, eam strangulatam esse. Vel scriptum fuit: *sin: Aureliam aliquis aut Lolliam* scil. strangulavit.

iam etiam non] Recte sic Ernestius correxit vulgatum *iam non etiam.* At illud iam in edd. ante Victorium reperitur.

batuit] Batuere proprie est, verberare, deinde in mortario tundere. At hac significatione verbum translatum ad rem Veneream.

depsit] verbum proprie est *subigere* ut farinam, deinde ad sensum obscenum deflexit; composito *perdepsere* sic usus est Catullus.

atqui neutrum est obscenum] Hic vulgo addebatur:

stissimum in iudicio: alio loco, non nimis. At honesti *colei Lanuvini*: *Cliternini*, non honesti. Quid? ipsa res modo honesta, modo turpis. *Suppedit*, flagitium est. Iam si erit nudus in balneo, non reprehendes. Habes scholam Stoicam, ὁ σοφὸς εὐθυῤῥημονήσει. Quam multa ex uno verbo tuo? Te adversus me omnia audere gratum est. Ego servo et servabo, sic enim assuevi, Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quae apertissimis agunt Stoici. Sed illi etiam crepitus aiunt aeque liberos ac ructus esse oportere. Honorem igitur Kalendis Mart. Tu me diliges, et valebis.

---

stultorum plena sunt omnia; quod iam Stephanus schediasm. lib. I. c. 66. auctoritate cod. Ms. spurium iudicavit; idemque Cantero et Ernestio visum. Nec multum proficitur, si alteram rationem, quae Cantero in mentem venit, sequamur, ut corrigamus: *istorum plena sunt omnia.* Adscripsit aliquis in margine suum de hac re iudicium, unde in textum errore librarii irrepsit.

alio loco] si ponitur pro testiculis.

colei Lanuvini] sacci de corio facti, qui et cullei, qui optime Lanuvii fiebant, et inde portabantur Romam. *Gronov.*

Cliternini] Ut in Priapp. 13. *nos pudore pulso stamus sub Jove coleis apertis.* Cliternum quoque Italiae oppidum et incolae Cliternini. Sed videtur aliquis sic lusisse, respiciens ad vocabulum κλειτορὶς, quae et νύμφη et μύρτος appellatur. *Gronov.*

suppedit] suppedere i. q. visire.

iam erit] legendum videtur *idem si fecerit;* vel *idem, si fuerit*, sc. aliquis, nudus in balneo.

εὐθυῤῥημονήσει] Sic legendum auctore Toupio ep. crit. p. 146. (Opp. T. II. p. 582.) cui adstipulatur Ernestius. Vulg. εὐθυῤῥήμων ἔσῃ. Stoicorum praeceptum erat: *sapiens omnia libere et nudis verbis eloquetur.*

verbo tuo] scil. obsceno, quo in epistola usus erat Paetus.

Kalendis Mart.] int. habemus, qui pro verecundia pugnamus, quum Kalendae Martiae sint matronis solemnes et sacrae propter cultum Iunonis reginae. *Ernesti.*

EPISTOLA DCLIX. (ad Div. XVI. 22.)

Scr. in villa, A. ut videtur 707.

Valitudinis curandae admonet aegrotantem; librarios tamen regere iubet; addit de aliis.

TULLIUS TIRONI S. P. D.

Spero ex tuis literis, tibi melius esse: cupio certe. Cui quidem rei omni ratione cura ut inservias: et cave suspiceris, contra meam voluntatem te facere, quod non sis mecum. Mecum es, si te curas. Quare malo te valitudini tuae servire, quam meis oculis et auribus. Etsi enim et audio te et video libenter: tamen hoc multo erit, si valebis, iucundius. Ego hic cesso, quia ipse nihil scribo: lego autem libentissime. Tu istic, si quid librarii mea manu non intelligent, monstrabis. Una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facile legere soleo, de quadrimo Catone. De triclinio cura, ut facis. Tertia aderit,

---

Epist. DCLIX. *Tironi*] Tres quae proxime sequuntur ad Tironem epistolae a Ragazonio ad A. 708. referuntur. Mihi vero scriptae videntur statim Catone absoluto, A. U. C. 707. mense Sextili quo tempore Cicero in villis erat.

una — interpositio difficilior est] Cicero in autographo suo locum reliquis iam scriptis interposuerat, literis ita minusculis et perplexis scriptum, ut ipse vix illum legere posset.

de quadrimo Catone] sermo est, ut videtur, de libro, quem de laudibus Catonis Uticensis scripserat. Locum de quadrimo Catone intelligunt de constantia pueri, quum de fenestra praecipitare minarentur per iocum, ni promitteret, quod vellent, quum ille negasset se facturum; ipse autem maneret in sententia. *Ernesti.*

Tertia aderit] Putant M. Bruti sororem, C. Cassii uxorem intelligi, quam ad convivium affuturam. *Publium* nesciunt quem dicat. *Ernesti.* Corradus putabat intelligi posse de tertia pensione,

modo ne Publius rogatus sit. Demetrius iste numquam omnino Phalereus fuit: sed nunc plane Bilienus est. Itaque te do vicarium. Tu eum observabis. Etsi: verumtamen de illis: nosti cetera. Sed tamen si quem cum eo sermonem habueris, scribes ad me, ut mihi nascatur epistolae argumentum, et ut tuas quam longissimas literas legam. Cura, mi Tiro, ut valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

EPISTOLA DCLX. (ad Div. XVI. 17.)

Scr. in villa A. ut videtur 707.

Reprehendit vocabulum fideliter a Tirone in epistola alieno loco positum eique valitudinis curam commendat.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.

Video, quid agas. Tuas quoque epistolas vis referri in volumina. Sed heus tu, qui κανὼν esse

---

quam Dolabella debebat. Quod si placeat, sic intellexeris: Ad triclinium aedificandum et exornandum, praesto erit tertia Dolabellae pensio, nisi forte Publius rogatus sit, ut mihi solvat, cui ipse debeo. De convivio vix accipi potest; Cicero enim absens erat.

nunc plane Bilienus] Nempe dicebatur Demetrius Bellienus opinor; id nomen Cicero mutat levi παρονομασίᾳ in *Bilienus*, ad malitiam hominis perstringendum; non *Phalereus*, non doctus et prudens, ut ille Dem. Ph. Atheniensis. *Ernesti.*

etsi — verumtamen — de illis] haec facile supplere Tiro potuit, cui notae erant Patroni cogitationes. *Gronov.* Quia Cicero addit: *nosti cetera*, videtur Demetrius saepe illis verbis usus fuisse, ubi se excusare vellet, nec haberet quid diceret.

Epist. DCLX. κανὼν] regula. Miratur Cicero parum apte translato verbo Tironem usum esse, quem ipse iudicem suis in scriptis habere consuevisset. *Manut.*

meorum scriptorum soles, unde illud tam ἄκυρον VALITUDINI FIDELITER INSERVIENDO? Unde in istum locum FIDELITER venit? cui verbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multae. Nam et doctrina, et domus, et ars, et ager etiam, *fidelis* dici potest: ut sit, quomodo Theophrasto placet, verecunda tralatio. Sed haec coram. Demetrius venit ad me: quo quidem comitatu ἀνομιλήσας, satis scis. Tu eum videlicet non potuisti videre. Cras aderit. Videbis igitur. Nam ego hinc perendie mane cogito. Valitudo tua me valde sollicitat: sed inservi, et fac omnia. Tum te mecum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere putato. Cuspio quod operam dedisti, mihi gratum est. Valde enim eius causa volo. Vale.

EPISTOLA DCLXI. (ad Div. XVI. 20.)

Scr. in villa A. ut videtur V. C. 707.

Tironem iubet valitudinem curare, libros in Tusculano componere, eique Kalendis gladiatores spectandi veniam dat.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.

Sollicitat, ita vivam, me tua, mi Tiro, valitudo: sed confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, cito te firmum fore. Libros compone; indi-

---

ἄκυρον] improprium, alieno loco positum.

ἀνομιλήσας] Sic videtur legendum, non ἀφωμίλησα ut vulgo; i. e. quibus comitibus instructus. ἀνομιλεῖν est consuetudine alicuius uti, versari cum aliquo. *Gronov.* Si verum esset vulgatum, certe transponendum putarem sic; *Demetrius ad me venit, quo quidem comitatu, satis scis.* Ἀφωμίλησα i. e. *me ab eius colloquio separavi.*

Epist. DCLXI. *libros compone*] de bibliotheca Tusculana sermo est. Eam ordinari et indicem librorum fieri a Tirone volebat. Ordinationem quidem sine con-

cem, quum Metrodoro lubebit, quando eius arbitratu vivendum est. Cum olitore, ut videtur. Tu potes Kalendis spectare gladiatores, postridie redire: et ita censeo. Verum, ut videbitur. Cura te, si me amas, diligenter. Vale.

EPISTOLA DCLXII. (ad Div. XVI. 13.)

Scr. IV. Id. Apr. ut videtur A. U. C. 699. in Cumano.

Cohortatur Tironem ad valitudinem curandam.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.

Omnia a te data mihi putabo, si te valentem videro. Summa cura exspectabam adventum Menandri, quem ad te miseram. Cura, si me diligis, ut valeas: et, quum te bene confirmaris, ad nos venias. Vale. IV Idus April.

EPISTOLA DCLXIII. (ad Div. XVI. 14.)

Scripta eodem die quo proxime antecedens.

Sollicitudinem suam ob morbum Tironis significat et ut valitudinem curet hortatur.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.

Menandrus postridie ad me venit, quam exspectaram. Itaque habui noctem plenam timoris ac mi-

---

filio medici, quod in eo nullus labor, qui valitudini obsit. At iudicis conficiendi laborem suscipi volebat, si medicus Metrodorus sineret. *Ernesti.*

Epist. DCLXII. *Omnia*] Hanc epistolam Ragazonius retulit ad annum 704. quo Tiro Patris aegrotabat. Commodius tamen refertur una cum epp. 663. 664. 665. 666. ad A. U. C. 699, quo anno Tiro manumissus est.

Epist. DCLXIII. *Menandrus*] Vulgo scribitur *Andricus*. Variat scriptura in codd. In uno reperit Manutius *Atandrius*, in altero *Mandricus*; in tertio clarissimis literis *Menandrus*. Utroque enim modo *Menandrus* et *Menander* recte dicitur. In Dresd. et Pal. 3. *Menan-*

feriae. Tuis literis nihilo sum factus certior, quomodo te haberes: sed tamen sum recreatus. Ego omni delectatione literisque omnibus careo; quas ante, quam te videro, attingere non possum. Medico mercedis quantum poscet, promitti iubeto. Id scripsi ad Ummium. Audio, te animo angi, et medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas literas humanitatemque, propter quam mihi es carissimus. Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis. Id quum tua, tum mea causa facias, a te peto. Acastum retine, quo commodius tibi ministretur. Conserva te mihi: dies promissorum adest: quem etiam repraesentabo, si adveneris. Etiam atque etiam vale. IV Idus hora VI.

EPISTOLA DCLXIV. (ad Div. XVI. 15.)

Scr. prid. Id. April. eodem quo superior anno.

Suam de Tironis valitudine sollicitudinem significat.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.

Aegypta ad me venit pridie Idus Apriles. Is etsi mihi nuntiavit, te plane febri carere, et belle habere:

---

drius. Apertum est librarios nomen *Menandrus* hic in *Andricus* corrupisse.

ad Ummium] Veteres libri teste Manutio varie *Mumium*, *Munium*, *Numium*, *Vatinium*, *Ummium*; quae nomina omnia ille mendosa esse suspicatur. Quoniam vero hanc epistolam Manutius cum Ragazonio anno 704. alligandam putabat, coniecit legendum esse Manium, i. e. *M' Curium*, cui Tironem Patris aegrotantem Cicero commendaverat.

dies promissorum] h. e. manumittendi Tironis. Cicero enim Tironem anno 699. manumisisse videtur. cf. Matii Opinionum lib. II. c. 1.

quem etiam repraesentabo] non exspectabo diem dictam; manumittam te etiam ante, si adveneris. *Manut.*

tamen, quod negavit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, et eo magis, quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum sollicitudine de tua valitudine: qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura scriberem, si iam putarem, libenter te legere posse. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi tibique conservandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta iam epistola, Hermia venit. Accepi tuam epistolam, vacillantibus literulis: nec mirum, tam gravi morbo. Ego ad te Aegyptam remisi, quod nec inhumanus est, et te visus est mihi diligere, ut is tecum esset: et cum eo cocum, quo utere. Vale.

EPISTOLA DCLXV. (ad Div. XVI. 10.)

Scr. videtur A. U. C. 699. in Cumano.

Tironem ad se venire cupit, sed viam timet ne valitudini noceat.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.

Ego vero cupio te ad me venire: sed viam timeo. Gravissime aegrotasti: inedia, et purgationibus, et vi ipsius morbi consumptus es. Graves solent offensiones esse ex gravibus morbis, si qua culpa commissa est. Iam ad id biduum, quod fueris in via, dum in Cumanum venis, accedent continuo ad reditum dies quinque. Ego in Formiano a. d. III Kalend. esse volo. Ibi te ut firmum offendam, mi Tiro, effice. Literulae meae, sive nostrae, tui desiderio oblanguerunt. Hac tamen epistola, quam Acastus attulit, oculos paullum sustulerunt. Pompeius erat apud me, quum

---

Epist. DCLXIV. *Aegyptam remisi*] Sic Lambin. Vulgo *Aegyptam misi.*

Epist. DCXLV. *Pompeius erat apud me*] Ragazonius quia hanc epistolam

haec scribebam, hilare et libenter. Ei cupienti audire nostra, dixi sine te omnia mea mutà esse. Tu Musis nostris para ut operas reddas. Nostra ad diem dictam fient. Docui enim te, fides ἔτυμον quod haberet. Fac plane ut valeas. Nos ad summum. Valè. XIV Kal.

EPISTOLA DCLXVI. (ad Div. XVI. 18.)

Scr. in villa A. U. C. 708.

De valitudine Attici diligenter curanda, et quibusdam domesticis.

TULLIUS TIRONI S.P.D.

Quid igitur? non sic oportet? Equidem censeo sic: addendum etiam, *suo*. Sed, si placet, invidia vitetur: quam quidem ego saepe contempsi. Tibi διαφόρησιν gaudeo profuisse. Si vero etiam Tusculanum, dii boni! quanto mihi illud erit amabilius? Sed, si me amas: quod quidem aut facis, aut perbelle simulas,

---

ad annum 708. referendam putabat, quo anno Pompeius iam mortuus erat, legendum censebat *Pomponius*. Verum de Attico nihil opus erat dicere: eum *libenter* apud se fuisse. Praeterea quum manumissionis mox futurae mentionem iniiciat, sequitur hanc epistolam scriptam esse A. U. C. 699.

nostra ad diem dictam fient] manumissio scilicet Tironi promissa.

fides ἔτυμον quod haberet] docui te *fidem* inde dictam quia fiat id, quod promittitur. *Manut.*

Epist. DCLXVI. *quid igitur? non sic oportet*] pertinet ad inscriptionem quod Ciceronis nomen sine praenomine est, quod est familiaritatis; vid. lib. VII. 32. init. (h. ed. 229.) Maius etiam fuisset, si scripsisset *Tironi suo*; sed invidiosum. *Ern.*

διαφόρησιν] significat transspirationem quae fit per sudorem; unde διαφορητικὰ ἰάματα *medicamenta ad sudorem efficiendum accommodata et comparata.* Neque video quid causae sit, quare quum de imbecillae valitudinis homine Tirone ser-

quod tamen in modum procedit: sed ut est, indulge valitudini tuae: cui quidem tu adhuc, dum mihi deservis, servisti non satis. Ea quid postulet, non ignoras: πέψιν, ἀκοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. Fac bellus revertare. Non modo te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem. Parhedrum excita, ut hortum ipse conducat. Sic olitorem ipsum commovebis. Salaco nequissimus H-S ↀ da-

---

mo sit, cui διαφόρησις profuisse dicatur, in hac significatione verbi acquiescere nolimus et cum P. Manutio interpretari: *relaxationem animi*, quae potius altero illo indicatur: *si vero etiam Tusculanum profuit.* — *Ernesti.*

quod tamen in modum procedit] Haec Ernestius fatetur se nunquam concoquere potuisse; ac sunt sine dubio vitiosa. Suspicor *perbelle* transpositum esse. Certe si legatur: *quod quidem aut facis, aut simulas, quod perbellum tamen in modum procedit;* vel *quod perbelle tamen procedit*, nihil relinquatur, quod offendere possit.

πέψιν — κοιλίας] concoctionem, vitationem lassitudinis, ambulationem moderatam, oblectationem, facilitatem alvi. *Manut.*

Parhedrum] est nomen proprium. Manutius pro *vicino* accepit; quasi esset Graecorum πάρεδρον.

ut hortum ipse conducat] Cicero videtur hortum Tusculani locare voluisse alicui, ut certum inde reditum haberet, olitori primum, qui mercede colebat hortum; ille noluisse: hinc vicinum excitari a Tirone, ut conducere vellet, ita sperabat olitorem conducturum tanti, quanti ipse vellet. *Ernesti.* Assentior Ernestio; nam Manutius quidem a vero sensu aberravit. Is enim putabat, Ciceronem conducere hortum in Tusculano possessum a quodam olitore voluisse; qui nimium postulasset. Verum hoc plane repugnat verbis: *Salaco nequissimus — casa*, quae proxime sequuntur.

Salaco nequissimus] Ita legendum esse vidit Victorius auctoritate veteris cod. Ms. Nam *Helico* quod vulgo legitur, nihili est. Neque enim de alio homine hic loquitur Cicero, sed de illo ipso olitore; etsi Ernestio *Helico* videbatur Cice-

bat, nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. Iste nos tanta impensa derideat? calface hominem, ut ego Mothonem. Itaque abutor coronis. De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem

---

ronis hortum ante conductum habuisse, quem vocet *nequissimum*, quia aut pecuniam non solvisset, aut alio quo modo peccasset. Immo *Salaconem* vocat illum olitorem, quod hortum, nondum sic, ut nunc erat, excultum et ornatum, HS. CIƆ conduxerit, nunc vero, quum tot ornamenta accesserint, quanto aequum sit augere locationis pretium nolit. Ergo h. l. Salaco est δαπανῶν ὅπου μὴ δεῖ, quomodo Theophrastus hoc vocabulum est interpretatus. Cf supra ep. 635.

nullo aprico horto] Haec profecto vitiosa sunt. Recte vero Ernestius coniecit latere in hac scriptura aliquid operis, quod horto commendationem adderet, in quo sumptus factus erat a Cicerone, ut in reliquis. Fortasse igitur legendum: *nullo apiario, nulla cohorte;* vel simpliciter: *nulla avium cohorte.*

iste nos tanta impensa derideat] Ferendum non sit, inquit, ut quum tantam impensam fecerimus in istis operibus, quae nuper horto accesserunt, ut emissario, maceria, casa, nos irrideat ille, si ei hortum viliore pretio locemus.

calface hominem] incende eum, quovis modo, ut maiore pretio conducere hortum velit.

Mothonem] Hunc suspicor esse alium conductorem horti in alia Ciceronis villa, in qua forte Cicero tum versabatur. Ei hac lege hortum locaverat, ut praeter pecuniam Ciceroni daret quotidie florum copiam, ad corones. Id hodie quoque fieri videmus, ut possessores hortorum eos hortulanis ita locent, ut sibi praeter locationis pretium certum quendam florum aut fructuum numerum stipulentur.

de Crabra] Videtur Cicero ex aqua Crabra aliquid in suum fundum vel hortum ducere voluisse, de eaque re egisse cum Tusculanis, quorum illa aqua erat; patet ex eo quod sequitur. *Ernesti.* Iam olim Cicero videtur Tusculanis pro parte aquae Crabrae vectigal pependisse. Sic enim Agr. III. 3. *Ego inquit, Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, quia a municipio fundum accepi.*

etiam nimium est aquae, tamen velim scire. Horologium mittam, et libros, si erit sudum. Sed tu nullosne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. A. Ligurius, Caesaris familiaris, mortuus est, bonus homo et nobis amicus. Te quando exspectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.

EPISTOLA DCLXVII. (ad Div. XVI. 19.)

Scr. videtur paulo post ep. 661. A. U. C. 707.

Literas se exspectare scribit, et de Demetrio et Aufidiano nomine ut curet petit.

M. T. CICERO TIRONI S. P. D.

Exspecto tuas literas de multis rebus: te ipsum multo magis. Demetrium redde nostrum, et aliud,

---

nimium est aquae] Scil. ex inundationibus; ob quas Cicero emissarium faciendum curaverat.

libros] non quoscunque, sed nuper a se scriptos.

si erit sudum] ne horologium, scil. et libri ex pluvia madescant.

libellos] scil. tecum attulisti, a te scriptos. Non enim libris aliorum carere poterat Tiro, quum uteretur in Tusculano bibliotheca Ciceronis.

aliquid Sophocleum] Versiculos intelligi certum est; utrum vero *Sophocleum* simpliciter dictum sit pro versibus egregiis et Sophoclis ingenio dignis; an Tironem animum fortasse ad scribendam tragoediam appulisse significet, haud liquet.

A. Ligurius — mortuus esset] Is adhuc vivebat, quum Cicero scribebat epistolam 404. (ad Att. XI. 9.) quam scripsit III. Non. Jan. A. U. C. 706. Mortuus esse videtur A. U. C. 707. quo anno hanc epistolam scriptam esse credibile est, quum hic agatur de olitore cuius mentio fit ep. 661. Ragazonius eam retulit ad A. U. C. 708.

Epist. DCLXVII. *Demetrium*] de quo ep. 659. 660.

ſi quid poteſt boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor. Scio, tibi curae eſſe. Sed confice. Et, ſi ob eam rem moraris, accipio cauſam. Si id te non tenet, advola. Literas tuas valde exſpecto. Vale.

EPISTOLA DCLXVIII. (ad Div. XVI. 16.)

Scr. videtur in Britannia A. U. C. 699.

Quintus fratri de Tirone manumiſſo gratias agit et gratulatur.

Q. CICERO M. CICERONI FRATRI S.P.D.

De Tirone, mi Marce, ita te, meumque Ciceronem, et meam Tulliolam, tuumque filium videam, ut mihi gratiſſimum feciſti, quum eum, indignum illa fortuna, nobis amicum, quam ſervum eſſe maluiſti. Mihi crede, tuis et illius literis perlectis, exſilui gaudio, et tibi et ago gratias et gratulor. Si enim mihi Statii fidelitas et frugalitas eſt tantae voluptati: quanti eſſe in iſto haec eadem bona debent, additis literis, ſermonibus, humanitate, quae ſunt his ipſis commodis potiora? Amo te omnibus equidem maximis de cauſis, verum etiam propter hanc, vel quod mihi ſic, ut debuiſti, nuntiaſti. Te totum in literis vidi. Sabini pueris et promiſi omnia, et faciam.

---

de Aufidiano nomine] de pecunia quam debet Aufidius.

Epiſt. DCLXVIII. *De Tirone*] Ex hac epiſtola colligitur, Statium Quinti ſervum, prius manumiſſum eſſe, quam Marcus Tironi ſuo libertatem dederit. Statius vero manumiſſus eſt A. U. C. 695. Deinde ex verbis *ita te — videam* perſpicitur Quintum eo tempore longius abfuiſſe. Convenit igitur eam ſcriptam eſſe a. 699. quo tempore Quintus legatus Caeſaris erat in Gallia et Britannia. Et in hunc ipſum annum incidit manumiſſio Tironis.

EPISTOLA DCLXIX. (ad Div. XIII. 43.)

Scr. anno incerto, ante annum 709.

Oppium Gallio commendat.

M. T. CICERO QUINTIO GALLO S. P. D.

Etsi plurimis rebus spero fore, ut perspiciam, quod tamen iampridem perspicio, me a te amari: tamen nunc ea causa tibi datur, in qua facile declarare possis tuam erga me benivolentiam. L. Oppius, M. F., Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. Eum tibi unice commendo: eoque magis, quod quum ipsum diligo, tum quod negotia procurat L. Egnatii Rufi; quo ego uno equite Romano familiarissime utor; et qui consuetudine quotidiana, tum officiis plurimis maximisque mihi coniunctus est. Oppium igitur praesentem ut diligas, Egnatii absentis rem ut tueare, aeque a te peto, ac si mea negotia essent. Velim, memoriae tuae causa, des literarum aliquid, quae tibi, in provincia reddantur; sed ita conscribas, ut tum, quum eas leges, facile recordari possis huius meae commendationis diligentiam. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA DCLXX. (ad Div. XIII. 44.)

Scr. anno incerto ante A. 709.

Oppium iterum simulque Egnatii negotia commendat.

CICERO GALLO S.

Etsi ex tuis, et ex L. Oppii, familiarissimi mei

Epist. DCLXIX. *Philomeli*] Philomelium erat oppidum magnae Phrygiae. *des literarum aliquid*] Vult literas a Gallio dari, quae ab Oppio in provincia ei reddi possent, quo facilius eum sibi a Cicerone diligenter commendatum esse reminisceretur.

literis cognovi, te memorem commendationis meae fuisse, idque, pro tua summa erga me benivolentia, proque nostra necessitudine, minime sum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppium praesentem, et L. Egnatii, mei familiarissimi, absentis negotia commendo. Tanta mihi cum eo necessitudo est familiaritasque, ut, si mea res esset, non magis laborarem. Quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat, me a te tantum amari, quantum ipse existimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque ut facias, vehementer te rogo.

EPISTOLA DCLXXI. (ad Div. XIII. 45.)

Scr. anno incerto ante A. 709.

Egnatii servum et negotia commendat.

M. T. CICERO APULEIO PROQUAESTORI S. P. D.

L. Egnatio uno equite Romano vel familiarissime utor. Eius Anchialum servum, negotiaque, quae habet in Asia, tibi commendo, non minore studio, quam si rem meam commendarem. Sic enim existimes velim, mihi cum eo non modo quotidianam consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna et mutua inter nos esse. Quamobrem etiam atque etiam a te peto, ut cures, ut intelligat, me ad te satis diligenter scripsisse. Nam de tua erga me voluntate non dubitabat. Id ut facias, te etiam atque etiam rogo.

Epist DCLXX, *commendationis meae*] epistolae 669.

Epist. DCLXXI. *Apuleio Proquaestori*] Ragazonius putat eum proquaestorem Philippi proconsulis in Asia fuisse: illumque proconsulatum Pighius ad A. U. C. 708. refert. Quod si certum esset, et exploratum, hanc epistolam ut duas proxime antecedentes illi anno alligare liceret. Verumtamen

EPISTOLA DCLXXII. (ad Div. XIII. 46.)

Scr. eodem anno, pro superior.

Nostium coheredem commendat.

M. T. CICERO APULEIO PROQUAESTORI S. P. D.

L. Nostius Zoilus est coheres meus: heres autem patroni sui. Ea re utrumque scripsi, ut et mihi cum illo causam amicitiae scires esse, et hominem probum existimares, qui patroni iudicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat, hanc commendationem sibi apud te magno adiumento fuisse.

EPISTOLA DCLXXIII. (ad Div. XIII. 47.)

Scr. anno incerto, sed ante A. 709.

Egnatii negotium commendat.

M. T. CICERO SILIO S. P. D.

Quid ego tibi commendem eum, quem tu diligis? Sed tamen, ut scires, eum a me non diligi solum, verum etiam amari, ob eam rem tibi haec scribo. Omnium tuorum officiorum, quae et multa et magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris

---

men Philippi ad quem scriptae sunt epistolae XIII. 73. 74. (h. ed. 161. 1174) proconsulatus incidisse potius videtur in annum 698.

Epist. DCLXXII. *L. Nostius Zoilus*] Zoilus fuit servus L. Nostii cuiusdam, quem quum ille manumisisset, huius nomen assumpsisse patet, ut L. Nostius Zoilus appellaretur. Ei patronus partem bonorum, aliam Ciceroni in testamento legaverat.

Epist. DCLXXIII. *Silio*] Si certum esset hanc epistolam ad Silium scriptam esse, quum Bithyniam propraetore regeret, referenda fuisset epistola ad A. 702, quo

Egnatium, ut sentiat, et se a me, et me a te amari. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt. Utamur igitur vulgari consolatione: Quid si melius hoc? Sed haec coram. Tu fac, quod facis, ut me ames, teque amari a me scias.

EPISTOLA DCLXXIV. (ad Div. XIII. 48.)

Scr. anno incerto, sed post reditum Ciceronis e Cilicia.

Cyprios maximeque Paphios commendat.

M. T. CICERO C. SEXTILIO RUFO, QUAEST. S. P. D.

Omnes tibi commendo Cyprios, sed magis Paphios; quibus tu quaecumque commodaris, erunt mihi gratissima. Eoque facio libentius, ut eos tibi commendem, quod et tuae laudi, cuius ego fautor sum, conducere arbitror, quum primus in eam insulam quaestor veneris, ea te instituere, quae sequantur

---

anno plures sunt ad Silium Bithyniae propr. scriptae (h. ed. 233. 234. 235. 236. 251.) Sed nullo argumento affici potest, has literas ad Silium, quum in Bithynia esset, scriptas esse. Quid quod ne certum quidem est eas ad P. illum Silium pertinere. Quid si ad Aulum Silium, cuius mentio fit Att. XII. 27. 28. etc. (h. ed. 545. 546.) scripta sit?

est nostra] de re publica aut amissa propter Caesaris dominationem dignitate intelligi hoc non potest. Esset enim ridiculum et absurdum, si in tanta re consolatione illa vulgari uti vellet: Quid si melius hoc? Itaque sine dubio ad peculiare aliquod negotium pertinet, quod cum Silio ei commune erat, quodque iis parum processerat.

Epist. DCLXXIV. *quum primus — quaestor veneris*] antea enim quaestor Ciliciae idem erat Cypri. Manutius putat Sextilium A. U. C. 704. a Caesare, quum is Roma potitus esset, pro quaestore in Cyprum missum esse.

alii: quae, ut spero, facilius consequere, si et P. Lentuli, necessarii tui, legem, et ea, quae a me constituta sunt, sequi volueris. Quam rem tibi confido magnae laudi fore.

EPISTOLA DCLXXV. (ad Div. XIII. 51.)

Scr. anno incerto; fortasse A. U. C. 707.

P. Messienum commendat.

M. T. CICERO P. CAESIO S. D.

P. Messienum, equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meumque perfamiliarem tibi commendo ea commendatione, quae potest esse diligentissima. Peto a te et pro nostra, et pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, eiusque rem famamque tueare. Virum bonum tuaque amicitia dignum tibi adiunxeris, mihique gratissimum feceris.

EPISTOLA DCLXXVI. (ad Div. XIII. 52.)

Scr. anno incerto fortasse 708.

A. Licinium Aristotelem commendat.

CICERO REGI S. D.

A. Licinius Aristoteles, Melitensis, antiquissimus est hospes meus, et praeterea coniunctus magno usu familiaritatis. Haec quum ita sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit. Etenim ex multis cognosco, meam commendationem plurimum apud te vale-

---

P. Lentuli] olim Ciliciae proconsulis, quam qui regebat, etiam Cyprum obtinebat.

a me constituta sunt] in proconsulatu Ciliciae.

Epist. DCLXXV. *Caesio*] Hic est idem fortasse, quem Cicero XIII. 11. (h. ed. 481.) scribit Arpini una cum filio suo aedilem factum.

Epist. DCLXXVI. *Regi*]

re. Hunc ego a Caesare liberavi. Frequens enim fuerat nobiscum; atque etiam diutius est, quam nos, in causa commoratus; quo melius te de eo existimaturum arbitror. Fac igitur, mi Rex, ut intelligat, has sibi literas plurimum profuisse.

Hunc Q. Marcium Regem Pighius A. V. 708. propraetorem fuisse putat in Sicilia.

a Caesare liberavi] venia impetrata. *Manut.*

in causa] Pompeiana.

existimaturum arbitror] His verbis adducor, ut suspicer in causa Pompeii Regem fuisse. *Manut.*

M. T. CICERONIS
EPISTOLAE
AD ATTICUM
AD QUINTUM FRATREM
ET QUAE VULGO
AD FAMILIARES
DICUNTUR
TEMPORIS ORDINE
DISPOSITAE

RECENSUIT
SELECTISQUE SUPERIORUM INTERPRETUM
SUISQUE ANNOTATIONIBUS
ILLUSTRAVIT
CHRISTIANUS GODOFR. SCHÜTZ

TOMUS VI.

HALAE
IN LIBRARIA HEMMERDEANA
cIↃIↃCCCXII.

M. T. CICERONIS
EPISTOLAE

A. U. C. DCCIX.

INDE AB IDIBUS MARTIIS

SCRIPTAE

M. ANTONIO ET GN. CORNELIO DOLABELLA COSS.

EPISTOLA DCLXXVII. (ad Div. VI. 15.)

Scr. poſt Idus Martias A. U. C. 709.

Ineſt gratulationis et benivolentiae ſignificatio.

CICERO BASILO S.

Tibi gratulor; mihi gaudeo; te amo; tua tueor; a te amari, et quid agas, quidque agatur, certior fieri volo.

EPISTOLA DCLXXVIII. (ad Div. VI. 16.)

Scr. in Sicilia, menſe incerto A. U. C. 709.

Rogat Ciceronem ut ſe abſentem tueatur.

BITHYNICUS CICERONI S.

Si mihi tecum non et multae, et iuſtae cauſae amicitiae privatim eſſent, repeterem initia amicitiae ex parentibus noſtris: quod faciendum iis exiſtimo, qui paternam amicitiam nullis ipſi officiis perſecuti ſunt. Itaque contentus ero noſtra ipſorum amicitia: cuius fiducia peto a te, ut abſentem me, quibuscumque in rebus opus fuerit, tueare, ſi nullum officium tuum apud me intermoriturum exiſtimas. Vale.

Epiſt. DCLXXVII. *Baſilo*] Brevi huic epiſtolio hunc locum aſſignandum cenſui, auctoribus Glandorpio, Strothio, et Martyni-Laguna, quibus aſſentior exiſtimantibus hunc Baſilum fuiſſe eum, qui cum ceteris in Caeſarem coniuraverat. Quum igitur ſe ei gratulari ſcribit Cicero, gratulatur ei facinus Caeſaris occiſi, eumque amat ut τυραννόκτονον.

Epiſt. DCLXXVIII. *Bithynicus*] A. Pompeius Bithynicus Caeſarianus, Siciliae praetor erat hoc anno, quo Caeſar occiſus eſt, placetque viris doctis hanc epiſto-

EPISTOLA DCLXXIX. (ad Att. XIV. 1.)

Scr. in suburbano circa Nonas Apriles A. U. C. 709.

Refert quae Matius, ad quem deverterat, dixerit.

CICERO ATTICO S.

Deverti ad illum, de quo tecum mane. „Nihil perditius; explicari rem non posse. Etenim si ille tali ingenio exitum non reperiebat, quis nunc reperiet?" Quid quaeris? periisse omnia aiebat; quod haud scio an ita sit; verum ille gaudens; affirmabatque minus diebus xx tumultum Gallicum; in sermonem se post Idus Mart., praeterquam Lepidi, venisse neminis; ad summam, non posse isthaec sic abire. O pudentem Oppium, qui nihilo minus illum desiderat: sed loqui-

---

lam e provincia ad Ciceronem scriptam, ut si forte a Caesaris interfectoribus sibi aliquid timendum esset, Ciceronis auctoritate id averteretur. Quod quidem nec absurdum est, nec tamen certo argumento probatur. Nulla enim in hac epistola temporis nota deprehenditur.

Epist. DCLXXIX. *deverti ad illum*] Matium, qui Caesaris, cuius inter familiares fuerat, morte serio dolebat, eamque omnibus acerbam esse volebat. Is prudenter vidit, tantum abesse, ut Caesaris obitus utilis esset rei publicae, ut potius quanta omnium rerum perturbatio esset secutura, iam tum auguraretur.

nihil perditius] esse aiebat Matius hoc rerum statu.

etenim — reperiet] Sunt ipsa verba Matii. *Ille tali ingenio* est Caesar.

verum ille gaudens] sc. ista dicebat; laetabatur quippe interfectores Caesaris fructum caedis non capere.

tumultum Gallicum] futurum esse, ut Galli, audita Caesaris morte deficiant. *Manut.*

O pudentem Oppium] Recte Ernestius *pudentem* legi voluit pro vulgato *prudentem*, quod hic aptum non est. Comparat enim Cicero Oppium, alium Caesaris amicum, cum Matio, significatque eum, etsi ipse quoque Caesarem desideret, pudentius tamen quam Matium de caede eius loqui.

tur nihil, quod quemquam bonum offendat. Sed haec hactenus. Tu, quaeso, quidquid novi, (multa autem exspecto,) scribere ne pigrere. In his, de Sexto satisne certum; maxime autem de Bruto nostro; de quo quidem ille, ad quem deverti, Caesarem solitum dicere: *magni refert, hic quid velit; sed quidquid volet, valde volet;* idque eum animadvertisse, quum pro Deiotaro Niceae diceret; valde vehementer enim visum et libere dicere; atque etiam, (ut enim quidque succurrit, libet scribere,) proxime, quum Sextii rogatu apud eum fuissem, exspectaremque sedens, quoad vocarer, dixisse eum, *ego dubitem quin summo in odio sim, quum M. Cicero sedeat, nec suo commodo me convenire possit? atqui si quisquam est facilis, hic est: tamen non dubito, quin me male oderit.* Haec et eiusmodi multa. Sed ad propositum. Quidquid erit, non modo magnum, sed etiam parvum, scribes. Equidem nihil intermittam.

EPISTOLA DCLXXX. (ad Att. XIV. 2.)

Scr. in suburbano VI. Id. Apr. A. U. C. 709.

Duabus Attici epistolis respondet.

CICERO ATTICO S.

Duas a te accepi epistolas heri. Ex priore theatrum Publiumque cognovi; bona signa consentientis

---

de Sexto] Pompeio, quem dicunt in armis esse et bellum movere. *Ernesti.*

de Bruto] Brutus enim et Cassius, ut periculum ab irritata ob Caesaris caedem plebe vitarent, Antium et Lanuvium concesserant.

enim visum] Sic auctore Ernestio rescripsi. Vulg. *eum visum.*

apud eum] Caesarem.

Epist. DCLXXX. *theatrum Publiumque cognovi*] nempe plausum Bruto et Cassio a multitudine in theatro actis ludis Megalensibus datum, quum Publius

multitudinis; plausus vero, L. Cassio datus, etiam facetus mihi quidem visus est. Altera epistola de Madaro scripta, apud quem nullum σαλακώνισμα, ut putas. Processi enim, sed minus. Diutius sermone enim sum retentus. Quod autem ad te scripseram, obscure fortasse, id eiusmodi est: aiebat, Caesarem secum, quo tempore Sextii rogatu veni ad eum, quum exspectarem sedens, dixisse: *ego nunc tam sim stultus, ut hunc ipsum facilem hominem putem mihi esse amicum, quum tamdiu sedens meum commodum exspectet?* Habes igitur Φαλάκρωμα, inimicissimum otii, id est, Bruti. In Tusculanum hodie; Lanuvii cras;

---

mimus versus quosdam pronuntiasset, qui ad eorum laudem trahi poterant. Idem factum postea ludis Apollinaribus, quod intelligitur e Philipp. I. c. 15. Perperam Ernestius h. l. de plausu Dolabellae ob columnam Caesaris eversam dato, intellexit. Nam id postea demum factum est.

L. Cassio] fratri C. Cassii τοῦ τυραννοκτονοῦ. Plausum ei datum ait Cicero facetum sibi visum; quod nullum Lucii in ea re meritum fuerat.

de Madaro] Sic tecte appellat *Matium*, μαδαρὸν a calvitie; ut ep. 682. eundem *Calvenam* vocat.

σαλακώνισμα] Hanc lectionem e vestigiis codd. in quibus erat σαλάκωμα feliciter eruit Gronovius; sic quidem interpretatus: apud quem non exceptus sum molliter et luxuriose, ut ab ostentatore pecuniae et lautitianum, quemadmodum tu existimas. Qui dederunt φαλάκρωμα prorsus nihil viderunt.

processi enim] Non potui apud Matium cenare; statim enim sermone illo cum eo habito, ab eo discessi; minus tamen quam vellem in itinere processi, diutius scil illo sermone retentus.

Habes igitur] Ex his verbis liceat suspicari, excidisse hic illa, quae epistola superiore de Bruto Caesarem dixisse ex narratione Matii scripserat. Id enim, quod ad se pertinebat prorsus nihil facit ad id quod sequitur, Matium otii i. e. Bruti inimicissimum esse.

Φαλάκρωμα] *calvitiem*, iterum designat *Matium*.

inimicissimum otii] Sic vocat Matium, quoniam

inde Afturae cogitabam. Piliae paratum eft hofpitium: fed vellem Atticam; (verum tibi ignofco;) quarum utrique falutem.

EPISTOLA DCLXXXI. (ad Att. XIV. 3.)

Scr. in Tufculano V. Id. Apr. A U. C. 709.

Breviter de publicis quibusdam et privatis negotiis.

CICERO ATTICO S.

Tranquillae tuae quidem literae; quod utinam diutius! nam Matius poffe negabat. Ecce autem ftructores noftri ad frumentum profecti, quum inanes rediiffent, rumorem afferunt magnum, Romae domum ad Antonium frumentum omne portari; πανικὸν certe; fcripfiffes enim. Corumbus Balbi nullus adhuc; fed mihi notum nomen. Bellus enim effe dicitur architectus. Ad obfignandum tu adhibitus non fine caufa videris. Volunt enim nos ita putare. Nefcio cur non animo quoque fentiant. Sed quid haec ad nos? Odorare tamen Antonii διάθεσιν: quem quidem ego epularum magis arbitror rationem habere, quam quidquam mali cogitare. Tu, fi quid pragmatioon habes, fcri-

---

e Caefaris caede nihil nifi bella ac diffidia eruptura effe augurabatur.

tibi ignofco] qui illam tecum effe velis. *Manut.*

Epift. DCLXXXI. *nam Matius — negabat*] tranquillitatem diuturnam fperari.

ftructores] quorum opera utebatur in aedificatione.

profecti] Romam, ut emptum frumentum referrent.

nullus adhuc] nondum ad me venit.

fed mihi] Ita refcripfi Erneftio auctore. Nam *et mihi* cum antecedentibus commode coire haud videtur.

ad obfignandum] agi videtur de teftamento alius Caefariani, qui teftem inter alios adhibuerat Atticum, fcil. ut fe Attico eiusque amicis favere oftenderet.

mali cogitare] Hic quoque bonum Tullium, ut faepius, opinio deceperat.

be; sin minus, populi ἐπισημασίαν, et mimorum dicta perscribito. Piliae et Atticae salutem.

EPISTOLA DCLXXXII. (ad Att. XIV. 4.)

Scr. Lanuvii IV. Id. Apr. A. U. C. 709.

Dolet non una cum libertate rem publicam recuperatam.

CICERO ATTICO S.

Nunc quid putas me Lanuvii? at ego te istic quotidie aliquid novi suspicor. Tument negotia. Nam quum Matius, quid censes ceteros? Equidem doleo, quod numquam in ulla civitate accidit, non una cum libertate rem publicam recuperatam. Horribile est, quae loquantur, quae minitentur. Ac vereor Gallica etiam bella; ipse Sextus quo evadat. Sed omnia licet concurrant, Idus Martiae consolantur. Nostri autem ἥρωες, quod per ipsos confici potuit, gloriosissime et magnificentissime confecerunt. Reliquae res opes et copias desiderant, quas nullas habemus. Haec ego ad te, ut, si quid novi, (nam quotidie aliquid exspecto,) confestim ad me: et, si novi nihil, nostro more tamen ne patiamur intermitti literulas. Equidem non committam.

ἐπισημασίαν] plausum in theatro cf. ep. 680.

Epist. DCLXXXII. *Lanuvii*] sc. novi habere.

nam quum Matius] ita loquatur, ut scripsi.

ceteros] sc. loqui et minitari.

Idus Martiae consolantur] Brevissimum tamen fuit solatium. Nam nondum elapso mense sic scribebat ep. 691. *O mi Attice vereor, ne nobis Idus Mart. nihil dederint praeter laetitiam et odii poenam ac doloris.*

EPISTOLA DCLXXXIII. (ad Att. XIV. 5.)

Scr. III. Id. April. Lanuvii A. U. C. 709.

Exponit quae sibi de re publica metuenda esse videantur.

CICERO ATTICO S.

Spero tibi iam esse, ut volumus, quoniam quidem ἠσίτησας, quum leviter commotus esses; sed tamen velim scire, quid agas. Signa bella, quod Calvena moleste fert, se suspectum esse Bruto. Illa signa non bona, si cum signis legiones veniunt e Gallia. Quid tu illas putas, quae fuerunt in Hispania, nonne idem postulaturas? quid, quas Annius transportavit? Caninium volui, sed μνημονικὸν ἁμάρτημα. Ab aleatore φυρμὸς πολύς. Nam ista quidem Caesaris libertorum coniuratio facile opprimeretur, si recta saperet Antonius. Meam stultam verecundiam, qui

---

Epist. DCLXXXIII. ἠσίτησας] cibo abstinuisti.

quod Calvena — Bruto] Bonum signum est, quod Matius moleste fert, se Bruto suspectum esse, quod eo ipso se Brutum amicum habere velle ostendit.

legiones] nempe Romanae; postulaturae scilicet, ut sibi servaretur, quod Caesar promiserat.

transportavit] in Graeciam, ad bellum Parthicum.

Caninium volui] scil. dicere; sed memoria lapsus sum. Caninium Rebilum cum aliquot legionibus Caesar praemiserat in Graeciam, quum bellum Parthicum meditabatur.

ab aleatore] Antonio. cf. Philipp. II. 23.

φυρμὸς πολὺς] magna fit rerum conturbatio.

Caesaris libertorum] Multi erant Caesaris liberti, qui faecem plebis urbanam ad seditionem excitabant. Eam paulo post Dolabella suppressit Phil. I. c. 2.

Antonius] Hoc nomen a glossatore esse putabat Ernestius. Idem quidem iam antea significabatur in *aleatore*. Facile tamen verum nomen addere hic potuit Cicero; ita, si intercepta esset epistola, poterat aliquis in errorem induci, quasi antea de alio quodam aleatore locutus esset.

legari noluerim ante res prolatas, ne deserere viderer hunc rerum tumorem; cui certe si possem mederi, deesse non deberem. Sed vides magistratus, si quidem illi magistratus; vides tyranni satellites in imperiis; vides eiusdem exercitus; vides in latere veteranos; quae sunt εὐρίπιστα omnia; eos autem, qui orbis terrae custodiis non modo septi, verum etiam magni esse debebant, non tantum laudari atque amari, se parietibus continere. Atqui illi quoquo modo beati; ci

---

legari noluerim] legationem liberam petere a senatu noluerim.

ante res prolatas] ante iustitium et discessum senatus.

magistratus] ut Antonium, Dolabellam, non antiquo iure, sed Caesaris arbitrio creatos.

vides tyranni] Vulgo est *vides tamen tyranni*, sed hoc *tamen* in altero membro additum misere languet. Abest etiam in simili loco ep. 684.

tyranni satellites] Caesaris scil. ut Plancum, Lepidum, Asinium, Caninium, Vatinium, Hirtium, Pansam, Cornificium. *Corrad.*

exercitus] qui Caesaris profectionem in Parthos exspectantes in urbe manserant. *Manut.*

in latere] in Campania; nam agri Campani partem incolebant a Caesare assignatam. Hos postea quingenis denariis Octavianus in suas partes traduxit ep. 7. lib. XVI. ad Att. *Manut.*

εὐρίπιστα] a ῥιπίζειν, (nam de Euripo hic non est quod cogitemus) dicuntur εὐρίπιστα quae facile sufflari possunt, ut maius incendium, s. periculosi motus erumpant.

eos autem] Brutum et Cassium.

qui orbis — esse debebant] h. e. qui non modo omnium mortalium studiis, quia scilicet orbem terrarum liberarunt, defensi, sed etiam illustres et rerum potentes esse debebant. *Gronov.*

non tantum laudari — continere] Ita rescripsi pro vulg. *tantum non laudari atque amari, sed parietibus contineri.* Ernestius putabat scribendum: *non tantum non laudari atque amari, sed p. contineri.* At hoc repugnaret verbis ep. 684. ubi ait τυραννοκτόνους in coelo esse, i. e. ad coelum laudibus efferri. In quibusdam MSS. erat *tantummodo laudari — sed contineri.*

parietibus] quia metu in-

vitas misera. Sed velim scire, quid adventus Octavii; num qui concursus ad eum, num quae νεωτερισμοῦ suspicio. Non puto equidem: sed tamen quicquid est, scire cupio. Haec scripsi ad te proficiscens Astura III Idus.

EPISTOLA DCLXXXIV. (ad Att. XIV. 6.)

Scr. Fundis prid. Id. Apr. A. U. C. 709.

Queritur Caesaris quidem interfectores laudari, tyranni tamen facta defendi.

CICERO ATTICO S.

Pridie Idus Fundis accepi tuas literas cenans. Primum igitur melius esse: deinde meliora te nuntiare. Odiosa illa enim fuerant, legiones venire. Nam de Octavio susque deque. Exspecto quid de Mario; quem quidem ego sublatum rebar a Caesare. Antonii colloquium cum heroibus nostris pro re nata non incommodum. Sed tamen adhuc me nihil delectat praeter Idus Mart. Nam, quoniam Fundis sum cum Ligure

---

sidiarum prodire non audebant.

quid adventus Octavii] scil. pariat. Octavius enim Caesaris heres, audita eius nece Apolloniae, quo eum Caesar studiorum causa miserat, in bello Parthico commilitonem habiturus in Italiam rediit, et Neapolim venit XIV. Kal. Maii.

νεωτερισμοῦ] rerum novarum

Epist. DCLXXXIV. *de Octavio susque deque*] i. e. de eo non laboro, seu quid de eo fiat, et quid acturus sit non curo.

de Mario] hic a Caesare relegatus, quod impudenti mendacio C. Marii septies consulis nepotem se esse dictitabat, qui re vera Herophilus esset, equarius medicus, postea reversus in urbem, Caesare interfecto, quum de interficiendo senatu consilium cepisset, poenas dedit. Cic. Philipp. I. Valer. Max. lib. IX. Appian. lib. III. *Manut.*

nostro, discrucior, Sextilii fundum a verberone Curtilio possideri: quod quum dico, de toto genere dico. Quid enim miserius, quam ea nos tueri, propter quae illum oderamus? Etiamne consules et tribunos plebis in biennium, quos ille voluit? nullo modo reperio, quemadmodum possim πολιτεύεσθαι. Nihil enim tam σόλοικον, quam τυραννοκτόνους in coelo esse, tyranni facta defendi. Sed vides consules, vides reliquos magistratus, si isti magistratus; vides languorem bonorum. Exultant laetitia in municipiis. Dici enim non potest, quanto opere gaudeant, ut ad me concurrant, ut audire cupiant verba mea ea de re; nec ulla interea decreta. Sic enim πεπολιτεύμεθα, ut victos metueremus. Haec ad te scripsi apposita secunda mensa; plura et πολιτικώτερα postea; et tu, quid agas, quidque agatur.

---

verberone Curtilio] Sextilio fundus ademptus erat a Caesare, et liberto cuidam Curtilio datus. Hunc per contemptum Cicero *verberonem* vocat, h. e. vel verberibus dignum, vel olim, ut servum, verberibus affectum. Manutius scripsit *Verberonem*, quasi nomen proprium esset.

de toto genere] Pompeianorum scilicet aeque atque ille bonis multatorum omninoque de consilio Caesaris decreta rata habendi.

ea nos tueri] scil. ex actis Caesaris, quibus Antonius tum intolerabiliter abutebatur. Postulabat enim ut quicquid in Caesaris commentariolis et chirographis et libellis se uno auctore prolatis ac ne prolatis quidem, sed tantummodo dictis exstaret, id ratum esset. Philipp. I. 7.

in biennium] scil. habebimus.

quos ille voluit] quos Caesar designavit? Caesar enim contra Parthos profecturus consules et tribunos plebis designavit in biennium. Dio lib. XLIII. extr. *Manut.*

σόλοικον] vitiosum, aut absurdum.

in coelo esse] laudari a plurimis.

decreta] senatus scilicet, quae Brutum et Cassium defendant.

victos] Caesarianos, Antonium praesertim.

EPISTOLA DCLXXXV. (ad Div. XI. 1.)

Scr. mense Aprili A. U. C. 709.

Decimus Brutus Albinus colloquium cum Hirtio habitum exponit, et quid consilii capiendum sit ostendit.

D. BRUTUS BRUTO SUO ET C. CASSIO, S.

Quo in statu simus, cognoscite. Heri vesperi apud me Hirtius fuit; qua mente esset Antonius, demonstravit; pessima scilicet, et infidelissima. Nam se neque mihi provinciam dare posse aiebat, neque arbitrari, tuto in urbe esse quemquam nostrum; adeo esse militum concitatos animos et plebis. Quod utrumque esse falsum, puto vos animadvertere; atque illud esse verum, quod Hirtius demonstrabat: timere eum, ne, si mediocre auxilium dignitatis nostrae habuissemus, nullae partes iis in re publica relinquerentur. Quum in his angustiis versarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi reliquisque nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quaereretur. Haec se impetraturum pollicitus est; nec tamen impetraturum confido; tanta est hominum insolentia et nostri insectatio. Ac si dederint quod petimus, tamen paullo post futurum puto, ut hostes iudicemur,

---

Epist. DCLXXXV. *provinciam*] Galliam citeriorem a Caesare, dum viveret, D. Bruto assignatam, mox Caesare mortuo, a senatu confirmatam. *Manut.*

militum] veteranorum, quos Caesar beneficiis affecerat. *Manut.*

ne si mediocre auxilium] quod mox non mediocre habuere Decimus Galliam Cisalpinam, Cassius Syriam, M. Brutus Macedoniam utramque a senatu decretam post interitum Caesaris. *Manut.*

nullae partes iis] vel intelligendum Caesarianis, vel cum Lambino legendum: *nullas partes sibi* i. e. Antonio.

aut aqua et igni nobis interdicatur. Quid ergo est, inquis, tui consilii? dandus est locus fortunae; cedendum ex Italia; migrandum Rhodum, aut aliquo terrarum arbitror. Si melior casus fuerit, revertemur Romam; si mediocris, in exsilio vivemus; si pessimus, ad novissima auxilia descendemus. Succurret fortasse hoc loco alicui vestrum, cur novissimum tempus exspectemus potius, quam nunc aliquid moliamur? Quia ubi consistamus, non habemus, praeter Sex. Pompeium et Bassum Caecilium: qui mihi videntur, hoc nuntio de Caesare allato, firmiores futuri. Satis tempore ad eos accedemus, ubi, quid valeant, scierimus. Pro Cassio et te, si quid me velitis, recipiam. Postulat enim hoc Hirtius ut faciam. Rogo vos, quam primum mihi rescribatis. Nam non dubito, quin his de rebus ante horam quartam Hirtius certiorem me sit facturus, quem in locum convenire possimus. Quo me velitis venire, rescribite. Post novissimum Hirtii sermonem placitum est mihi postulare, ut liceret nobis esse Romae publico praesidio; quod illos nobis concessuros non puto. Magnam enim invidiam iis faciemus. Nihil tamen non postulandum putavi, quod aequum esse statuerem.

---

aut aqua et igni nobis interdicatur] Antiquior haec lectio olim a Victorio aliisque recepta, quam cum Benedicto restituimus. Gebhardus e Palat. III. recepit lectionem *aut aqua et igni interdicamur*. Plurimi vero codd. illi lectioni favent.

ad novissima auxilia] lib. X. ep. 33. *si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema, et non modo nationes, sed etiam servitia concitaturum.* — *Manut.*

Sex Pompeium] Magni filium, qui erat in ulteriore Hispania. *Manut.*

Bassum] qui erat in Syria lib. XII. 11. 18. Strabo lib. XVI. Dio lib. XLVII. *Manut.*

EPISTOLA DCLXXXVI. (ad Att. XIV. 7.)

Scr. in Formiano XVII Kal. Maii A. V. C. 709.

Quaerit, ubi Brutus futurus sit, ac de literis filii sui suoque in Graeciam proficiscendi consilio scribit.

CICERO ATTICO S.

Postridie Idus Paullum in Caieta vidi. Is mihi de Mario et de re publica alia quaedam sane pessima. A te scilicet nihil; nemo enim meorum. Sed Brutum nostrum audio visum sub Lanuvio. Ubi tandem est futurus? Nam quum reliqua, tum de hoc scire aveo omnia. Ego e Formiano exiens XVII Kal., ut inde altero die in Puteolanum, scripsi haec. A Cicerone mihi literae sane πεπινωμέναι, et bene longae. Cetera autem vel fingi possunt; πῖνος literarum significat doctiorem. Nunc magnopere a te peto, de quo sum nuper tecum locutus, ut videas ne quid ei desit. Id quum ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem et dignitatem; quod idem intellexi tibi videri omnino. Si ergo est, volo mense Quintili in Graeciam. Sint omnia faciliora. Sed quum sint ea tempora, ut certi nihil esse possit, quid honestum mihi sit, quid liceat, quid expediat: quaeso da operam, ut illum quam ho-

---

Epist. DCLXXXVI. *Paullum*] L. Aemilium Paullum, in consulatu collegam C. Marcelli, fratrem M. Lepidi. *Manut.*

de Mario] de Pseudo-Mario illo eiusque consiliis de senatu interficiendo. cf. ep. 685. 687.

a Cicerone] filio Athenis versante.

πεπινωμέναι] docte et eleganter scriptae.

vel fingi possunt] Ernestius intp. *sua sponte intelliguntur.* Rectius Manutius et Mongaltius: cetera, scil. eius mores et frugalitas fingi possunt i. e. simulari et falso perhiberi.

si ergo est] Graevius post Gronovium intp. si ergo est unde utar, si argentum mihi suppetierit in sumptus itineris.

nestissime copiosissimeque tueamur. Haec et cetera, quae ad nos pertinebunt, ut soles, cogitabis: ad meque, aut quod ad rem pertineat, aut, si nihil erit, quod in buccam venerit, scribes.

EPISTOLA DCLXXXVII. (ad Att. XIV. 8.)

Scr. in Sinuessano XIV. Kal. Maii A. U. C. 709.

Respondet Attici literis, de iis potissimum, quae nuper de re publ. resciverat, petitque ut de omnibus diligenter perscribat.

CICERO ATTICO S.

Tu me iam rebare, quum scribebas, in actis esse nostris: at ego accepi XVII Kal. in diversoriolo Sinuessano tuas literas. De Mario probe; etsi doleo L. Crassi nepotem. Optime, tam etiam Bruto nostro probari Antonium. Nam quod Iuniam scribis moderate et amice scriptas literas attulisse, mihi Paullus dedit ad se a fratre missas; quibus in extremis erat, sibi insidias fieri; se id certis auctoribus comperisse. Hoc nec mihi placebat, et multo illi minus. Reginae fuga mihi

---

Epist. DCLXXXVII. *in actis*] praediis maritimis, ut Puteolano.

at ego] Ita Gronovius recte emendavit vulg. *et ego*.

probe] quod ei uncus est impactus pro facinore cogitato. cf. ep. 6. (h. ed. 685.) *Man.*

L. Crassi nepotem] ironice; quem ille scilicet se esse finxerat.

Antonium] factum Antonii in tollendo isto Mario. Philipp. I. 2. *Manut.*

Iuniam] M. Bruti sororem et M. Lepidi uxorem. *Corr.*

moderate — scriptas] ad Brutum a viro suo M. Lepido, qui tunc erat in Gallia transalpina cum exercitu. Moderate et amice, quum in iis literis ostenderet, neque se illam potentiam velle, quae supra leges esset, neque in eos, qui starent a partibus rei publ. aliter ac deceret, esse animatum. *Man.*

a fratre] M. Lepido.

hoc nec mihi placebat] quia videbat, eos qui insidias tenderent Lepido, otium non ferre et res novas moliri. *Manut.*

reginae] Cleopatrae, Ae-

non molesta. Sed Clodia quid egerit, scribas ad me velim. De Byzantiis curabis, ut cetera; et Pelopem ad te arcesses. Ego, ut postulas, Baiana negotia, chorumque illum, de quo scire vis, quum perspexero, tum scribam, ne quid ignores. Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, vehementer exspecto. Ea scilicet tu declarabis, qui cetera. Nauseolam tibi tuam causam otii dedisse facile patiebar. Videbare enim mihi legenti tuas literas requiesse paullisper. De

---

gypti reginae, quam Caesar amavit, filiumque suum appellare suo nomine passus est; de quo intelligi puto ep. 20. (h. ed. ep. 703.) *de regina velim, atque etiam de Caesare illo.* Praeterea quam hic reginam appellat eam esse Cleopatram argumento est etiam illud ep. 16. lib. XV. (h. ed. 728.) *reginam odi; me iure facere scit; sponsor promissorum eius Ammonius.* Nam Ammonio et Ptolemaeus, pater Cleopatrae, usus fuerat legato, quum id ageret, ut a senatu in regnum restitueretur, ut est in ep. ad Lentulum (h. ed. ep. 92.) *Ammonius regis legatus aperte pecunia nos oppugnat.* — *Manut.*

fuga] ex urbe. Venerat igitur Romam etiam post Caesaris mortem. Nam ante Caesar ipse accitam, quum habuisset in amoribus, postea remisit, maximis honoribus praemiisque auctam. Sueton. c. 52. *Man.* Mongaltius putabat Cleopatram ante Idus Martias urbe non excessisse, Caesare autem occiso fugam properasse.

Clodia quid egerit] quid hoc fuerit negotii, ignotum est.

Byzantiis — Pelopem] Hoc quoque Byzantiorum negotium quale fuerit, haud liquet. Pelops autem Byzantius ille est, ad quem Cicero, teste Plutarcho in eius vita, Graece scripsit.

chorumque illum] turbam, quae illic versatur voluptatis causa. Nam chorus proprie symphoniacorum aut saltantium in sacris. *Gronov.*

quid — Hispani] moliantur, num bellum nobis inferre cogitent. ep. 1 et 4. (h. ed. 679. 682.) *Manut.*

nauseolam tibi tuam] Ita rescripsi pro vulg. *nauseolam tibi tum.*

videbare] Ita pro vulg. *videbar* auctoribus Corrado et Gronovio scribendum erat.

requiesse paullisper] Sen-

Bruto semper ad me omnia perscribito, ubi sit, quid cogitet: quem quidem ego spero, iam tuto vel solum tota urbe vagari posse. Verumtamen...!

EPISTOLA DCLXXXVIII. (ad Att. XIV. 9.)

Scr. Puteolis XV. Kal. Maii A. U. C. 709.

Breviter primum de domesticis, deinde de publicis rebus.

CICERO ATTICO S.

De re publica multa cognovi ex tuis literis, quas quidem multiiuges accepi uno tempore a Vestorii liberto. Ad ea autem, quae requiris, brevi respondebo. Primum vehementer me Cluviana delectant. Sed quod quaeris, quid arcessierim Chrysippum: tabernae mihi duae corruerunt, reliquaeque rimas agunt. Itaque non solum inquilini, sed mures etiam migraverunt. Hanc ceteri calamitatem vocant; ego ne incommodum quidem. O Socrates, et Socratici viri! Numquam

---

tentia est: te fastidio ciborum et propensione ad vomitum leviter tentatum abstinuisse propterea a negotiis, et corpori curando vacasse non aegre ferebam. Videbar enim mihi agnoscere in tuis literis, te novo quodam impetu post receptas vires ad scribendum venisse. *Gronov.*

vagari posse] etsi prius parietibus continebatur ep. 683. Sperabat enim Cicero, quod Antonius et Dolabella consules curam rei publ. videbantur suscepisse, qui Marium illum falso creditum de senatus caede cogitantem occidissent. *Manut.*

verumtamen] Manutius subaudiendum putat: scribito ad me ubi sit et quid cogitet. Gronovius autem intelligendum censebat: Verumtamen ne nimis fidat.

Epist. DCLXXXVIII. *Cluviana*] vel quae mihi Cluvius legavit. Et infert: *delectant;* quia tunc erat Puteolis praesensque videbat, quae sibi Cluvius Puteolanus reliquerat. lib. XIII. 46. (h. ed. 628.) *Manut.*

Chrysippum] architectum, Cyri architecti libertum.

vobis gratiam referam. Dii immortales, quam mihi ista pro nihilo! Sed tamen ea ratio aedificandi initur, consiliario quidem et auctore Vestorio, ut hoc damnum quaestuosum sit. Hic turba magna est, eritque, ut audio, maior. Duo quidem quasi designati consules. O Dii boni! vivit tyrannis, tyrannus occidit! Eius interfecti morte laetamur, cuius facta defendimus! Itaque quam severe nos M. Curtius accusat, ut pudeat vivere; neque iniuria. Nam mori millies praestitit, quam haec pati, quae mihi videntur habitura etiam vetustatem. Et Balbus hic est, multumque mecum: ad quem a Vetere literae datae pridie Kal. Ianuar. quum a se Caecilius circumsederetur et iam teneretur, venisse cum maximis copiis Pacorum Parthum; ita sibi esse eum ereptum, multis suis amissis; in qua re accusat Volcatium. Ita mihi videtur bellum illud instare. Sed Dolabella et Nicias viderint. Idem Balbus melio-

---

quasi designati consules] Hirtius et Pansa, non populi suffragiis, sed Caesaris voluntate designati.

quam severe] non est interrogative dictum, sed pro *valde severe.*

M. Curtius] est ille quem indigne ferebat de petendo consulatu cogitare ep. 578. Is igitur Caesaris interfectores eosque, qui iis favebant, graviter accusabat, quod sine causa scil. Caesarem occidissent, quum eius facta defenderent.

a Vetere] Antistio Vetere, partium Caesarianorum. *Manut.*

Caecilius] Q. Caecilium Bassum, qui Pompeium Magnum secutus fuerat, excitasse bellum in Syria et ab Antistio Vetere Apameae circumsessum, tamen, Parthis auxiliantibus, maximeque Alchandonio Arabe obsidione esse liberatum scribit Dio lib. XLVII. *Manut.*

Volcatium] Corradus coniiciebat legendum esse *L. Statium.* Nam *L. Statius Murcus* illo tempore procos. fuit Syriae. Philipp. XI. 12.

Dolabella] cui Syria provincia et Parthicum bellum est decretum Appian. III. *Manut.*

Nicias] qui cum Dolabella proficiscetur. Erant

ra de Gallia. XXI die literas habebat; Germanos illasque nationes, re audita de Caesare, legatos misisse ad Aurelium, qui est praepositus ab Hirtio, se, quod imperatum esset, esse facturos. Quid quaeris? omnia plena pacis, aliter ac mihi Calvena dixerat.

EPISTOLA DCLXXXIX. (ad Att. XIV. 10.)

Scr. in Puteolano XIII. Kal. Maii A. U. C. 709.

Queritur acta Caesaris, omniaque eius promissa et cogitata post necem plus valere quam si viveret. Adiicit alia, de itinere suo, de Cluviano, de Q. fratris adversus filium querelis.

CICERO ATTICO S.

Itane vero? hoc meus et tuus Brutus egit, ut Lanuvii esset? ut Trebonius itineribus deviis proficisceretur in provinciam? ut omnia facta, scripta, dicta, promissa, cogitata Caesaris plus valerent, quam si ipse viveret? Meministi me clamare, illo ipso primo Capitolino die, senatum in Capitolium a praetoribus vocari? Dii immortales! quae tum opera effici potuerunt, laetantibus omnibus bonis, etiam sat bonis, fractis latronibus? Liberalia tu accusas. Quid fieri tum

---

enim arcta familiaritate devincti XIII. 28. XV. 20. ad Fam. (h. ed. 587. 731.) *Man.* Epist. DCLXXXIX. *hoc egit*] ideone Brutus Caesarem occidit, ut deinde Lanuvii esset, ut in urbe tuto esse non posset? ut Trebonius quasi fugiens occulte in provinciam proficisceretur?

primo Capitolino die] quo statim a Caesaris nece coniurati se receperunt. *Popma.*

a praetoribus] M. Bruto et C. Cassio.

vocari] Manutius hoc dictum esse putat, pro *vocari* debere, s. *vocandos* esse. At hoc est insolens. Omissum arbitror a librariis *oportere.*

Liberalia] quo die factum est SC. de praemiis veteranorum (ep. 14. h. ed. 693.)

potuit? Iam pridem perieramus. Meministine te clamare, caussam periisse, si funere elatus esset? At ille etiam in foro combustus laudatusque miserabiliter; servique et egentes in tecta nostra cum facibus immissi. Quae deinde? Ut audeant dicere, *tune contra Caesaris nutum?* Haec et alia ferre non possum. Itaque γῆν πρὸ γῆς cogito. Tua tamen ὑπηνέμιος. Nausea iamne plane

---

multaque alia in aede Telluris decreta Philipp. I. c. 1. *Manut.*

funere elatus] perspicuum est Caesarem intelligi. Etiam ep. 14. (h. ed. 693.) *Recordare*, inquit, *tua: Nanne meministi clamare te, omnia periisse, si ille funere elatus esset! Sapienter id quidem; itaque ex eo, quae manarint, vides.* Scribit Suetonius, animum fuisse coniuratis occisi corpus in Tiberim trahere, bona publicare, acta rescindere; sed metu Antonii consulis et magistri equitum Lepidi destitisse. Et Plutarchus Bruti consilium reprehendit, qui Antonio, roganti, ut Caesar funere efferretur, concesserit, Cassio contradicente. Antonius, quum eum miserabiliter laudaret, explicata veste cruenta, et ictibus perforata, ita populum commovit, ut cum facibus ad tecta coniuratorum accurrerit. Philipp. II, c. 36. *Manut.*

γῆν πρὸ γῆς *cogito*] non Graeciam, sed longinquam et vagam peregrinationem animo spectat, ut de loco semper in locum proximum transeat; sicuti illa apud Aeschylum Io quae percita oestro huc illuc vaga ferebatur. Satis enim mihi certum est, ad illud Aeschyli, Ciceronem respexisse (Prometh. v. 682.) οἰστρόπληξ δ' ἐγὼ μάστιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι. *Manut.*

tua tamen ὑπηνέμιος] Optime hic interpunxit Ernestius. Tua tamen terra, in Epiro scilicet, ventis et procellis bellorum quae instant, exposita mihi videtur. Vulgo, *tua tamen* ὑπηνέμιος *nausea*, quod etsi explicant de nausea levi et non durabili, valde tamen est incommodum. Praeterea ineptissima esset particula *tamen*. Atticus Ciceronem in praedia Epirotica invitaverat, eoque interdum ire cogitabat, diffidebat tamen, nec satis ea loca sibi tuta fore suspicabatur.

abiit? Mihi quidem ex tuis literis coniectanti ita videbatur. Redeo ad Tebassos, Scaevas, Frangones. Hos tu existimas confidere se illa habituros, stantibus nobis? in quibus plus virtutis putarunt, quam experti sunt. Pacis isti scilicet amatores, et non latrocinii auctores? At ego quum tibi de Curtilio scripsi, Sextilianoque fundo, scripsi de Censorino, de Mustela, de Planco, de Postumio, de genere toto.

Tebassos — Frangones] Nomina veteranorum, qui ex Caesaris largitione Pompeianorum bona possidebant. Cassium quidem Scaevam centurionem, insigni fortitudine virum, nominat Plutarchus in Caesare et Florus lib. IV. [it. Suet. Iul. 68.] *Frangones* autem lego ex Tertii libro, ut a *Frango* nomen derivetur, et quia puto esse, quem Dio lib. 48. C. Fufidium Frangonem vocat, cui regendam Africam cum Numidia Octavianus dedit. Antiqui libri *Francones*. — *Manut.*

de Curtilio] quum scripsi indignum esse, quod Sextilii fundum Curtilius possideret, significavi etiam de fundo Censorini, de Messalae, de Planci, de Postumii, quorum fundos Caesariani, a Caesare donatos, possiderent. *Manut.* Hic turbas dedit Manutius. Hi enim quos nominat, homines non Pompeiani sunt, quorum fundos Caesariani possidebant, sed Caesaris asseclae, et in Pompeii bona missi, vel aliis beneficiis contra leges ab eo affecti. Idque etiam ipsum intellexisse videtur Manutius, aliud autem scripsisse, quam scribere voluit.

Censorino] opinor esse, quem Antonius in Asiam proficiscens, Graeciae praefecit teste Plutarcho. *Manut.* atque idem qui nominatur Philipp. XI. 5.

Mustela] Optime sic emendavit Manutius. Vulgo *Messala*. Inter Antonii sodales non *Messala*, sed *Mustela Tamisius* invenitur, et hic quidem saepius per contemptum nominatus ut Philipp. II. 4. 41. V. 6. alibi. Sed alius est *Mustela*, qui nominatur epp. ad Att. XII. 5. 44. (h. ed. 449. 573.) quem Ernestius in clave eum illo confudit.

Plancus] T. Plancus Bursa, quem Cicero ab exsilio per Caesarem revocatum indignabatur.

Postumius] Caesarianus.

Melius fuit periisse illo interfecto, quod numquam accidisset, quam haec videre. Octavius Neapolim venit XIIII Kal. ibi eum Balbus mane postridie; eodemque die mecum in Cumano, illum hereditatem aditurum. Sed, ut scribis, ῥιζόθεμιν magnam cum Antonio. Buthrotia mihi tua res est, ut debet, eritque curae. Quod quaeris, iamne ad centena Cluvianum; adventare videtur; sed primo anno LXXX detersimus. Q. pa-

---

Ep. ad Fam. VI, 12. ad Att. XV. 2. (b ed. 514. 708.)

melius fuit periisse, quod numquam accidisset] melius fuisset post necem Caesaris Antonium eiusque asseclas armis adoriri, etiamsi pereundum nobis fuisset, quod tamen nunquam accidisset; scil. Cicero significat, quasi id pro certo haberet, futurum fuisse, ut Antonius vinceretur. Si ita capias, nihil opus est cum Gronovio reponere, *quod utinam accidisset.*

XIIII. *Kal.*] Maii.

ῥιζόθεμιν] magnam ei litem et controversiam futuram cum Antonio: et sane inter Octavium et Antonium graves discordiae propter Caesaris hereditatem consecutae sunt, quum Antonius omnem pecuniam avertisset. *Manut.*

Buthrotia] Buthrotii quum pecuniam imperatam non solverent, Caesar eorum agrum proscripsit. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo, et a Caesare decretum abstulit, quo Buthrotii liberabantur. Illud decretum Atticus interfecto Caesare, quum a consulibus confirmari vellet, quibus et senatus consultum et lex cognitionem dabat, earum rerum, quas Caesar statuisset, decrevisset, egisset, Ciceronis in ea re tum gratia, tum auctoritate utebatur. ad Att. XIV. 14. XVI. 15. *Manut.*

quod quaeris — detersimus] Sensus est: quod scire vis, num ego hic Cluviana bona ita constituerim, ut ex iis posthac centena H-S quotannis capere possim; brevi futurum spero, ut ita sit, et hoc ipso anno, quo Cluvianam hereditatem adii LXXX H-S cepi. *Manut.*

ad centena] scil. perductum sit.

detersimus] vel omnino i. q. cepimus vel in aedificationem insumpsimus. cf. ep. 690.

ter ad me gravia de filio, maxime quod matri nunc indulgeat, cui antea bene merenti fuerit inimicus. Ardentes in eum literas ad me misit. Ille autem quid agat, si scis, neque dum Roma es profectus, scribas ad me velim; et hercule, si quid aliud. Vehementer delector tuis literis.

EPISTOLA DCXC. (ad Att. XIV. 11.)

Scr. Puteolis XII. Kal. Maii A. U. C. 709.

Queritur interfecto Caesare se liberos non esse. Addit quaedam de Cicerone filio, de Buthrotiis, de Cluviano, de Octavii adventu.

CICERO ATTICO S.

Nudius tertius dedi ad te epistolam longiorem: nunc ad ea, quae proxime. Velim mehercule Asturae Brutus. Ἀκολασίαν istorum scribis. An censebas aliter? Equidem etiam maiora exspecto. Quum equidem concionem lego, DE TANTO VIRO, DE CLARISSIMO CIVI, ferre non queo: etsi ista iam ad risum. Sed memento: sic alitur consuetudo perditarum concionum; ut nostri illi, non heroes, sed dii futuri quidem in gloria sempiterna sint, sed non sine invidia, ne sine periculo quidem. Verum illis magna consolatio, conscientia maximi et clarissimi facti; nobis quae? qui interfecto rege, liberi non sumus! Sed haec fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat. De Cicerone, quae scribis, iucunda mihi sunt; velim, sint prospera. Quod vero curae tibi est, ut ei suppeditetur ad usum et cultum copiose, per mihi gratum

---

Epist. DCXC. *Asturae*] scil. sit, quemadmodum scribis eum ibi futurum. cf. ep. 696.

ἀκολασίαν illorum] insolentiam Antonii eiusque similium.

concionem] Antonii de laudibus Caesaris in eius funere habitam.

de Cicerone] filio Athenis commorante.

est; idque ut facias, te etiam rogo. De Buthrotiis, et tu recte cogitas, et ego non dimitto istam curam. Suscipiam omnem etiam actionem; quam video quotidie faciliorem. De Cluviano, quoniam in re mea me ipsum diligentia vincis, res ad centena perducitur. Ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an iam fructuosiorem. Hic mecum Balbus, Hirtius, Pansa. Modo venit Octavius, et quidem in proximam villam Philippi, mihi totus deditus. Lentulus Spinther hodie apud me; cras mane vadit.

EPISTOLA DCXCI. (ad Att. XIV. 12.)

Scr. Puteolis X. Kal. Maii A. U. C. 709.

Indignatur multa quasi ex decretis Caesaris ab Antonio fieri; sperat tamen eo magis de Buthrotiis confici posse. Deinde de Octavio, et coss. designatis.

CICERO ATTICO S.

O mi Attice, vereor, ne nobis Idus Mart. nihil dederint praeter laetitiam, et odii poenam ac doloris. Quae mihi istinc afferuntur? quae hic video? *ὢ πράξεως καλῆς μὲν, ἀτελοῦς δέ.* Scis quam diligam Siculos; et quam illam clientelam honestam iudicem. Multa

---

diligentia vincis] hoc dicit, quia literis identidem Atticus quaerebat, num ita rem Cluvianam constituisset, ut vectigal inde posset capere centum sestertiorum in singulos annos. *Manut.*

ruina — deteriorem] quod mihi duae tabernae corruerunt, non imminuit vectigal, quod antea capiebam, potius auxit. Eas enim ita aedifico, ut hoc damnum quaestuosum sit. *Manut.*

Philippi] qui vitricus erat Octavii.

Lentulus Spinther] filius eius, qui consul ad senatum retulerat de Cicerone revocando.

cras mane vadit] proquaestor in Asiam.

Epist. DCXCI. ὢ πράξεως — ἀτελοῦς δέ] *o factum*

illis Caesar, neque me invito; etsi Latinitas erat non ferenda; verumtamen .... Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem, a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani; cuius rei, vivo illo, mentio nulla. Quid? Deiotari nostri causa non similis? Dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam. Sexcenta similia. Verum illuc referor: tam claram, tamque testatam rem, tamque iustam, Buthrotiam, non tenebimus aliqua ex parte? et eo quidem magis, quo iste plura? Nobiscum hic perhonorifice et amice Octavius; quem quidem sui Caesarem salutabant, Philippus non; itaque ne nos quidem; quem nego posse bonum civem; ita multi circumstant, qui quidem nostris mortem minitantur. Negant haec ferri posse. Quid censes, quum Romam puer venerit, ubi nostri liberatores tuti esse non possunt? qui quidem semper erunt clari; conscientia vero facti sui etiam beati. Sed nos, nisi me fallit, iacebimus. Itaque exire aveo, *ubi nec Pelopidarum*, inquit. Haud amo vel hos designatos, qui etiam declamare me coë-

---

pulcrum quidem, sed imperfectum!

Latinitas] ius Latii a Caesare Siculis concessum.

verumtamen] supplendum: hoc illi sic placuit, nec licebat resistere.

fixit legem — latam] palam legem in aerea tabula incisam affixit, quasi a dictatore Caesare in comitiis latam, qua Siculis civitatem Romanam datam esse impudenter mentiebatur. Fixit autem hanc tabulam ut multas alias eiusmodi in Capitolio. Philipp. II. 36.

per Fulviam] primum P. Clodii, deinde C. Curionis, postremo M. Antonii uxorem. In eius gynaeceo facta erat per legatos Deiotari syngrapha H-S centies, quae solvi debebant Antonio, ut regi res a Caesare ademptas recuperaret. Philipp. II. c. 37.

haud amo] i. e. non satis contentus iis sum.

hos designatos] Hirtium et Pansam.

declamare] utebantur enim Cicerone eloquentiae magistro.

gerunt; ut ne apud aquas quidem acquiescere liceret. Sed hoc meae nimiae facilitatis. Nam id erat quondam quasi necesse: nunc, quoquomodo se res habet, non est item. Quamquam dudum nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, non ut delectem his literis, sed ut eliciam tuas. Tu, si quid erit de ceteris; de Bruto utique, quidquid. Haec conscripsi x Kal. accubans apud Vestorium, hominem remotum a dialecticis, in arithmeticis satis exercitatum.

EPISTOLA DCXCII. (ad Att. XIV. 13.)

Scr. Puteolis VI. Kal. Maii A. U. C. 709.

Rogat ut secum deliberet, utrum sibi in Graeciam proficiscendum sit, an in Italia manendum; addit quaedam de Q. fratre; et mittit scriptae ab Antonio ad se epistolae, suaeque responsionis exemplum.

CICERO ATTICO S.

Septimo denique die literae mihi redditae sunt, quae erant a te XIII Kal. datae: quibus quaeris, atque etiam me ipsum nescire arbitraris, utrum magis tumulis prospectuque, an ambulatione ἁλιτενεῖ delecter. Est mehercule, ut dicis, utriusque loci tanta amoenitas, ut dubitem, utra anteponenda sit.

- - ἀλλ' οὐ δαιτὸς ἐπηράτου ἔργα μέμηλεν.
'Αλλὰ λίην μέγα πῆμα, διοτρεφὲς, εἰσορόωντες
Δείδιμεν. ἐν δοιῇ δὲ σαωσέμεν, ἢ ἀπολέσθαι.

---

apud aquas] Puteolanas.
quamquam] Recte sic Gronov. em. vulg. *quam.*
apud Vestorium] argentarium istum Puteolanum, de quo saepe.
Epist. DCXCII. 1. *tumulis*] Cicero erat in hortis Cluvianis prope Puteolos, in ora maritima. Quaesierat ergo Atticus, utrum in Arpinati magis delectaretur tumulis et collibus, et ex iis, ut speculis, prospectu, an in Cluviano ambulatione circa mare plana et explicata. *Popma.*
ἀλλ' οὐ δαιτὸς] Sunt verba

Quamvis enim tu magna, et mihi iucunda scripseris de D. Bruti adventu ad suas legiones, in quo spem maximam video: tamen, si est bellum civile futurum, quod certe erit, si Sextus in armis permanebit, quem permansurum esse certo scio; quid nobis faciendum, ignoro. Neque enim iam licebit, quod Caesaris bello licuit, neque huc, neque illuc. Quemcumque enim haec pars perditorum laetatum morte Caesaris putabit, (laetitiam autem apertissime tulimus omnes) hunc in hostium numero habebit: quae res ad caedem maximam spectat. Restat, ut in castra Sexti, aut, si forte, Bruti nos conferamus. Res odiosa et aliena nostris aetatibus, et incerto exitu belli: et nescio, quo pacto tibi ego possim, mihi tu dicere,

Τέκνον ἐμὸν, οὔτοι δέδοται πολεμήϊα ἔργα,
Ἀλλὰ σύγ' ἱμερόεντα μετέρχεο ἔργα λόγοιο.

Sed haec fors viderit, ea, quae talibus in rebus plus, quam ratio potest. Nos autem id videamus, quod in

---

Ulyssis apud Homerum Iliad. Ι. 218. sqq. *Sed nobis curae non est convivio suavi operam dare, verum magnam cladem a Jove immissam intuentes extimescimus, incertumque est, salvine futuri, an interituri simus.* His versibus utitur Cicero, ut demonstret se ob pericula horum temporum non tantam ex utroque praedio voluptatem capere, quantam Attico forte capere videatur.

adventu — legiones] in Galliam citeriorem, ubi Decimus Brutus tres habebat legiones, unam tironum, veteranas duas. Appian. d. B. C. lib. III. *Manut.*

si Sextus] Pompeius.

quid nobis faciendum] Vulgo additur *est*, quod Ernestio auctore delevi.

neque huc neque illuc] neque iam licebit neutram partem sequi.

Τέκνον ἐμὸν] *mi fili, tibi data non sunt bellica munera, verum tu placida persequere munera eloquentiae.* Verba sunt Jovis ad Venerem ap. Homerum Il. Ε. 428. quae Cicero sic ad se accommodat, ut pro γάμοιο, quod est apud poetam, reponat λόγοιο. Aliquando Cicero

nobis ipsis esse debet, ut, quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus, et accidisse hominibus meminerimus; nosque quum multum literae, tum non minimum Idus quoque Mart. consolentur. Suscipe nunc meam deliberationem, qua sollicitor: ita multa veniunt in mentem in utramque partem. Proficiscor, ut constitueram, legatus in Graeciam? Caedis impendentis periculum nonnihil vitare videor, sed casurus in aliquam vituperationem, quod rei publicae defuerim tam gravi tempore. Sin autem mansero, fore me quidem video in discrimine; sed accidere posse suspicor, ut prodesse possim rei publicae. Iam illa consilia privata sunt, quod sentio valde esse utile ad confirmationem Ciceronis, me illuc venire: nec alia causa profectionis mihi ulla fuit tum, quum consilium cepi legari ab Caesare. Tota igitur hac de re, ut soles, si quid ad me pertinere putas, cogitabis.

Redeo nunc ad epistolam tuam. Scribis enim 2 esse rumores, me, ad lacum quod habeo, venditurum; minusculam vero villam utique Quinto traditurum, vel impenso pretio, quo introducatur, ut tibi Quintus filius dixerit, dotata Aquillia: ego vero de venditione nihil cogito, nisi quid, quod magis me delectet, invenero. Quintus autem de emendo nihil curat hoc tempore. Satis enim torquetur debitione dotis: in qua mirificas Egnatio gratias agit. A ducenda autem uxore sic abhorret, ut libero lectulo neget esse quidquam iucundius.

---

ipse diserte fatetur, sibi ingenium non esse ad artem imperatoriam.

ad confirmationem] filii, Athenis iam versantis.

2. *ad lacum*] praedium in agro Cumano ad lacum Lucrinum.

Aquillia] quam Quintus Cicero pater uxorem ducturus videbatur, Pomponia dimissa.

debitione dotis] quam debet Pomponiae repudiatae.

Egnatio] trapezitae, qui eum argento sublevarat.

Sed haec quoque hactenus. Redeo enim ad miseram, seu nullam potius rem publicam. M. Antonius ad me scripsit de restitutione Sex. Clodii; quam honorifice, quod ad me attinet, ex ipsius literis cognosces; (misi enim tibi exemplum;) quam dissolute, quam turpiter, quamque ita perniciose, ut nonnumquam Caesar desiderandus esse videatur, facile existimabis. Quae enim Caesar numquam neque fecisset, neque passus esset, ea nunc ex falsis eius commentariis proferuntur. Ego autem Antonio facillimum me praebui. Etenim ille, quoniam semel induxit animum, sibi licere quod vellet, fecisset nihilo minus me invito. Itaque mearum quoque literarum misi tibi exemplum.

A.

ANTONIUS CONSUL S. D. M. CICERONI.

Occupationibus est factum meis, et subita tua profectione, ne tecum coram de hac re agerem. Quam ob causam vereor, ne absentia mea levior sit apud te. Quod si bonitas tua responderit iudicio meo, quod semper habui de te, gaudebo. A Caesare petii, ut Sex. Clodium restitueret; impetravi. Erat mihi in animo etiam tum sic uti beneficio eius, si tu concessisses. Quo magis laboro, ut tua voluntate id per me facere nunc liceat. Quod si duriorem te eius miserae et afflictae fortunae praebes: non contendam ego ad-

---

3. *Sex. Clodii*] qui exsulabat, condemnatus, quod eo duce populus in curiam P. Clodii corpus contulisset, cremassetque subselliis, et mensis et codicibus librariorum; quo igne et ipsa curia, et curiae iuncta Porcia basilica flagraverat. Pedianus in argumento Milonianae, et in extremo eiusdem orationis commentario. *Manut.*

ex falsis eius commentariis] nam in commentariis Caesaris delebat, et reponebat Antonius arbitratu suo, quum in eo Q. Faberii, manu scribae Caesaris, uteretur. Appian. de B. C. lib. III. *Manut.*

versus te. Quamquam videor debere tueri commentarium Caesaris. Sed mehercule, si humaniter et sapienter et amabiliter in me cogitare vis, facilem profecto te praebebis, et voles P. Clodium, in optima spe puerum repositum, existimare, non te insectatum esse, quum potueris, amicos paternos. Patere, obsecro te, pro re publica videri gessisse simultatem cum patre eius. Non contempseris hanc familiam. Honestius enim et libentius deponimus inimicitias rei publicae nomine susceptas, quam contumaciae. Me deinde sine ad hanc opinionem iam nunc dirigere puerum, et tenero animo eius persuadere, non esse tradendas posteris inimicitias. Quamquam tuam fortunam, Cicero, ab omni periculo abesse, certum habeo: tamen arbitror, malle te quietam senectutem et honorificam potius agere, quam sollicitam. Postremo meo iure te hoc beneficium rogo. Nihil enim non tua causa feci. Quod si non impetro, per me Clodio daturus non sum; ut intelligas, quanti apud me auctoritas tua sit, atque eo te placabiliorem praebeas.

B.

CICERO ANTONIO COS. S.

Quod mecum per literas agis, unam ob causam mallem coram egisse. Non enim solum ex oratione,

---

commentarium Caesaris] quasi illa Sex. Clodium reduci voluisset, idque in commentario suo scripsisset.

in optima spe] Spem fefellit, non solum amori meretricis vulgatissimae turpiter deditus; verum etiam erubescendo mortis genere absumptus. Abdomine enim avide devorato foedae ac sordidae intemperantiae spiritum reddidit Valer. Max. III. 5. *Manut.*

tua causa feci] ut quum P. Clodium tua causa interficere volui; ut, quum te Brundisii non interfeci. Philipp. II. c. 20. 24. *Conrad*

quod mecum per literas agis] Hanc epistolam ad se

ſed etiam ex vultu et oculis et fronte, (ut aiunt,) meum erga te amorem perſpicere potuiſſes. Nam quum te ſemper amavi, primum tuo ſtudio, poſt etiam beneficio provocatus; tum his temporibus res publica te mihi ita commendavit, ut cariorem habeam neminem. Literae vero tuae, quum amantiſſime, tum honorificentiſſime ſcriptae, ſic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, ſed accipere a te, ita petente, ut inimicum meum, neceſſarium tuum, me invito ſervare nolles, quum id nullo negotio facere poſſes. Ego vero tibi iſtuc, mi Antoni, remitto; atque ita, ut me a te, quum his verbis ſcripſeris, liberaliſſime atque honorificentiſſime tractatum exiſtimem: idque quum totum, quoquo modo ſe res haberet, tibi dandum putarem; tum do etiam humanitati et naturae meae. Nihil enim umquam non modo acerbum in me fuit, ſed ne paullo quidem triſtius, aut ſeverius, quam neceſſitas rei publicae poſtulavit. Accedit, ut ne in ipſum quidem Clodium meum inſigne odium fuerit umquam; ſemperque ita ſtatui, non eſſe inſectandos inimicorum amicos, praeſertim humiliores; nec his praeſidiis nosmet ipſos eſſe ſpoliandos. Nam de puero Clodio tuas partes eſſe arbitror, ut eius animum tenerum, quemadmodum ſcribis, his opinionibus imbuas, ut ne quas inimicitias reſidere in familiis noſtris arbitretur. Contendi cum P. Clodio, quum ego publicam cauſam, ille ſuam defenderet. Noſtras concertationes res publica diiudicavit. Si viveret, mihi cum illo nulla contentio iam maneret. Quare, quoniam hoc a me ſic petis, ut, quae tua poteſtas eſt, ea neges

---

a Cicerone ſcriptam poſtea Antonius palam recitavit, quam ob rem eum Cicero acerbe perſtringit Philipp. II. 4.

tuas partes eſſe] quoniam vitricus erat P. Clodii filii Antonius, in matrimonium ducta eius matre Fulvia.

te me invito usurum: puero quoque hoc a me dabis, si tibi videbitur; non quo aut aetas nostra ab illius aetate quidquam debeat periculi suspicari, aut dignitas mea ullam contentionem extimescat: sed ut nosmet ipsi inter nos coniunctiores simus, quam adhuc fuimus. Interpellantibus enim his inimicitiis animus tuus mihi magis patuit, quam domus. Sed haec hactenus. Illud extremum: ego, quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrabor, semper sine ulla dubitatione summo studio faciam. Hoc velim tibi penitus persuadeas.

EPISTOLA DCXCIII. (ad Att. XIV. 14.)

Scr. in Puteolano a. d. V. Kal. Maii A. U. C. 709.

Indignatur Q. filium Parilibus coronatum fuisse 1. *exponit uberius, quid in Caesaris nece desideret; sublato enim tyranno tyrannida manere.* 2.

CICERO ATTICO S.

Iteradum eadem ista mihi. Coronatus Quintus noster Parilibus? Parilibus? solusne? etsi addis Lamiam; quod demiror equidem; sed scire cupio, qui fuerint alii: quamquam satis scio, nisi improbum neminem. Explanabis igitur hoc diligentius.

---

hoc a me dabis] eleganter, tamquam beneficium meum. E re pecuniaria ductum est, in qua dicimur ab aliquo dare, solvere. *Ernesti.*

Epist. DCXCIII. 1. *coronatus*] coronati enim cum tibiis et cymbalis Parilia celebrabant. Athenaeus VIII. Deipnos. *Manut.*

Quintus noster] Q. filius, qui Parilia coronatus celebraverat, ut amorem suum erga Caesarem etiam mortuum ostenderet, ut ep. 17. (h. ed. 697.) *Manut.*

Parilibus] Parilia celebrari solita XI. Kal. Maii. Iis hoc anni actis Octavius ludos dedit suo sumptu, ut populum muneribus caperet, ut scribit Dio lib. XLV. *Manut.*

2 Ego autem casu quum dedissem ad te literas VI Kalend. satis multis verbis, tribus fere horis post accepi tuas, et magni quidem ponderis. Itaque ioca tua plena facetiarum, de haeresi Vestoriana, et de Pherionum more Puteolano, risisse me satis, nihil est necesse scribere. Πολιτικώτερα illa videamus. Ita Brutos Cassiumque defendis, quasi eos ego reprehendam; quos satis laudare non possum. Rerum ego vitia collegi, non hominum. Sublato enim tyranno tyrannida manere video. Nam quae ille facturus non fuit, ea fiunt, ut de Clodio; de quo mihi exploratum est, illum non modo non facturum, sed etiam ne passurum quidem fuisse. Sequetur Rufio Vestorianus, Victor numquam scriptus, ceteri, quis non? Cui servire ipsi non potuimus, eius libellis paremus. Nam Liberalibus quis

---

2. *de haeresi Vestoriana*] quia, quum ego ad te scripsissem, Vestorium a dialecticis remotum, in arithmeticis satis exercitatum; ipse eos, qui pecuniae studiosiores essent, quam doctrinae, haeresim Vestorianam appellasti. *Manut.*

Pherionum more Puteolano] Locus obscurus, quum Attici epistola non exstet, quem nemo coniecturis ita explanaverit, ut se operae pretium fecisse, sibi persuadere possit. Afferam tamen e multis, quas referre nihil attinet, Gronovii et Graevii coniecturas. Ille legendum putabat: *de Pharionum more Puteolano;* ut intelligantur *fariones* pisces, agaturque de more eorum emendorum et vendendorum vel apparandorum. Graevius autem scripsisse Ciceronem coniiciebat; *et de Vestorianorum Puteolano*, putabatque Atticum allusisse similitudine soni ad *puteal* foeneratorum.

de Clodio] exsule, ab Antonio ex falsis Caesaris commentariis restituto. cf. ep. 692.

Rufio Vestorianus] de eo vide ep. 185.

nam Liberalibus] Atticus iam antea scripserat sibi Liberalia displicere, h. e. ea quae Liberalibus acta essent in senatu, quum in aedem Telluris vocatus esset; ac fortasse deinde significaverat, melius fuisse, si nemo bonorum illo die in senatum venisset.

potuit in senatum non venire? fac id potuisse aliquo modo: num, etiam quum venissemus, libere potuimus sententiam dicere? nonne omni ratione veterani, qui armati aderant, quum praesidii nos nihil haberemus, defendendi fuerunt? Illam sessionem Capitolinam mihi non placuisse; tu testis es. Quid ergo? ista culpa Brutorum? Minime illorum quidem; sed aliorum brutorum, qui se cautos, ac sapientes putant; quibus satis fuit laetari; nonnullis, etiam gratulari; nullis, permanere. Sed praeterita omittamus: istos omni cura praesidioque tueamur; et, quemadmodum in praecipis, contenti Idibus Mart. simus: quae quidem nostris amicis, divinis viris, aditum ad caelum dederunt, libertatem populo Romano non dederunt. Recordare tua. Nonne meministi clamare te, omnia periisse, si ille funere elatus esset? Sapienter id quidem. Itaque, ex eo quae manarint, vides. Quae scribis Kalendis Iuniis Antonium de provinciis relaturum, ut et ipse Gallias habeat, et utrisque dies prorogetur: licebitne decerni libere? si licuerit; libertatem esse recuperatam laetabor: si non licuerit; quid mihi attulerit ista domini mutatio praeter laetitiam, quam oculis cepi iusto interitu tyranni? Rapinas scribis ad Opis fieri.

---

defendendi fuerunt] Philipp. II. 35. extr.

sessionem Capitolinam] Reprehendit Brutum et Cassium, qui illo ipso primo Capitolino die senatum in Capitolium non vocarint, sed otiosi tempus consumserint. *Manut.*

utrisque] Galliis Cisalpinae et Transalpinae. Et sane Kalendis Iuniis Antonius numerum annorum provinciis prorogavit ut in Philipp. II. 42. *Manut.*

ad Opis]. Antonius Caesaris pecunias, in Opis templo positas, ad se transtulit, et quum diceret in actis Caesaris esse, ut ea pecunia distribueretur, his tribuit ex libidine sua quibus voluit, et quantum voluit; Dolabellamque aere alieno oppressum, data ei grandi pecunia, quasi in actis Cae-

quas nos quoque tum videbamus. Nae nos et liberati ab egregiis viris, nec liberi ſumus. Ita laus illorum est, culpa noſtra. Et hortaris me, ut hiſtorias ſcribam? ut colligam tanta eorum ſcelera, a quibus etiam nunc obſidemur? poterone eos ipſos non laudare, qui te obſignatorem adhibuerunt? nec mehercule me rauduſculum movet: ſed homines benivolos, qualescunque ſunt, grave eſt inſequi contumelia. Sed de omnibus meis conſiliis, ut ſcribis, exiſtimo exploratius nos ad Kalendas Iunias ſtatuere poſſe: ad quas adero, et omni ope, atque opera enitar, adiuvante me ſcilicet auctoritate tua et gratia et ſumma aequitate cauſae, ut de Buthrotiis ſenatus conſultum, quale ſcribis, fiat. Quod me cogitare iubes, cogitabo equidem: etſi tibi dederam ſuperiore epiſtola cogitandum. Tu autem, quaſi iam recuperata re publica, vicinis tuis Maſſilienſibus ſua reddis. Haec armis, quae, quam firma habeamus, ignoro, reſtitui fortaſſe poſſunt, auctoritate non poſſunt.

ſaris ita ſcriptum eſſet, in ſuas partes facile traduxit. cf. Philipp. I. c. 7. II. c. 42. *Manut.*

nec me rauduſculum movet] laudare cogar eos, qui te obſignatorem adhibuerunt, non propter rauduſculum. i. e. propter pecuniolam quam mihi debent; quod verear ne, ſi illos non laudavero, abalienati, pecuniam non ſolvant; ſed ideo laudabo, quod eos benivolentia proſequor; benivolos autem homines, qualescunque ſunt, grave eſt inſequi contumelia. Nec dubito quin Dolabellam ſignificet, amicum ſuum, eundemque debitorem. cf. ep. 19. 20. (h. ed. 700. 705.) Adhibuerat autem obſignatorem Atticum, opinor, in teſtamento faciendo. ep. 3. (h. ed. 681.) *Manut.*

vicinis tuis Maſſilienſibus] Maſſilienſes vicini dicuntur Attici, vel quod Atticus praedium aliquod in Allobrogibus aut Gallia propter Maſſilienſium fines poſſideret, vel quod magis puto; quod Maſſilienſium legati in vicinia aedium Attici in urbe verſarentur, et domum conductam haberent. *Gronov.*

ſua reddis] i. e. ita de iis

EPISTOLA DCXCIV. (ad Div. VI. 17.)

Scr. Puteolis mense Aprili A. U. C. 709.

Significat gratum sibi esse, quod Bithynicus constituta re publica secum victurum esse ostenderat.

M. CICERO BITHYNICO S.

Quum ceterarum rerum caussa percupio esse aliquando rem publicam constitutam: tum velim mihi credas accedere, id quo magis expetam, promissum tuum, quo in literis uteris. Scribis enim, si ita sit, te mecum esse victurum. Gratissima mihi tua voluntas est: facisque nihil alienum necessitudine nostra, iudiciisque patris tui de me, summi viri. Nam sic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus valuerunt aut valent, coniunctiores tecum esse, quam me; necessitudine neminem. Quamobrem grata mihi est et memoria tua nostrae coniunctionis, et eius etiam augendae voluntas.

---

scribis, quasi propediem futurum sit, ut illis adempta a Caesare SCto restituantur. Philipp. XIII. 15. *Gronovius.*

Epist. DCXCIV. *percupio*] Sic cod. Dresd. III. quod cum Martyni - Laguna recepi. Vulg. *cupio.*

id quo magis] Vulgo *id etiam quo magis.* Sed illud *etiam* hic superfluum est. Nisi malis: *accedere etiam, id quo magis expetam*, scil. rem publicam aliquando constitutam.

valuerunt aut valent] Sic est in ed. Med. probante Graevio. Vulgo *valuerunt aut valeant.* Ernestius, delevit *aut valeant*, quod in Ms. suo aberat. Benedictus e codd. nonnullis recepit *valuerunt; ut valeant, coniunctiores* — hoc sensu: *beneficiis te magis coniunxerunt secum, ut amplius valeant, sicut antea temporibus valuerunt.*

EPISTOLA DCXCV. (ad Div. XVI. 23.)

Scr. Puteolis ante Kal. Maii A. U. C. 709.

Breviter de domesticis quibusdam, de Antonii amicitia conservanda, paucisque aliis.

TULLIUS TIRONI SUO, S. P. D.

Tu vero confice professionem, si potes, Etsi haec pecunia ex eo genere est, ut professione non egeat. Verumtamen Balbus ad me scripsit, tanta se epiphora oppressum, ut loqui non possit, Antonius de lege quid egerit. Liceat modo rusticari. Ad Bithynicum scripsi. De Servilio tu videris, qui senectutem non contemnis. Etsi Atticus noster, quia quondam me commoveri πανικοῖς intellexit, idem semper putat, nec videt, quibus praesidiis philosophiae septus sim: et hercle, quod

---

Epist. DCXCV. *confice professionem*] Antonius legem tulisse videtur, qua lege quisque edere apud magistratum deberet pecuniae, quam haberet in bonis, summam, ut apud censores ante. Tiro dubitabat de parte pecuniarum Ciceronis, an profitenda esset, quod ipsi non videbatur. Cicero consuluerat Balbum super ea re. Is quum nollet facere, quod Antonium posset offendere, scripsit, se non posse dicere, quid rei esset, simulque de morbo oculorum, quod Cicero ad iocum confert, unde intelligat Tiro Balbum potuisse sibi de ea re respondere

ad Bithynicum scripsi] Videtur significari epistola proxime praecedens 694.

de Servilio] Isaurico, qui tum, ut est apud Dionem Cassium lib. 45. diem suum senex obierat. Fortasse Tiro similem longaevitatem sibi optaverat. Itaque Cicero respondet, de Servilii longaevitate consequenda tu videris, qui senectutem non contemnis, qui ad senectutem usque vivere cupis.

etsi Atticus] Particula *etsi* refertur ad sententiam a Cicerone suppressam, sed facile supplendam. *Tu inquit, senectutem non contemnis. At ego contemno, nec diutius vivere cupio, itaque tranquillior sum. Etsi Atticus me putat ut olim panicis terroribus commoveri.*

timidus ipse est, θορυβοποιεῖ. Ego tamen Antonii inveteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sane volo, scribamque ad eum, sed non ante, quam te videro: nec tamen te avoco a syngrapha. Γόνυ κνήμης. Cras exspecto Leptam. Ad cuius rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale.

EPISTOLA DCXCVI. (ad Att. XIV. 15.)

Scr. in Puteolano Kal. Maii A. U. C. 709.

Laetatur Dolabellae severitate seditiosam plebem coërcentis; et sperat res melius ituras, quam fuerint.

CICERO ATTICO S.

Epistola brevis, quae postea a te scripta est, sane mihi fuit iucunda, de Bruti ad Antonium, et de eiusdem ad te literis. Posse videntur esse meliora, quam adhuc fuerunt. Sed nobis ubi simus, et quo iam nunc nos conferamus, providendum est. O mirificum Dolabellam meum! Iam enim dico meum; antea, crede mihi, subdubitabam. Magnam ἀναθεώρησιν res habet;

θορυβοποιεῖ] tumultum excitat, ipse terretur et alios terret.

Γόνυ κνήμης] scil. ἔγγιον. Proverbium, *genu tibia propius*, pro quo Latini dicunt: *tunica pallio propior*. Significat antiquius sibi esse, ut pecuniam Tiro sibi e syngrapha debitam exigat, quam ut eum eo de epistola ad Antonium scribenda deliberet.

ad cuius] Vulgo *Etenim ad cuius*. Particula *Etenim* abest a codd. quibusdam, et recte abest.

ad cuius rutam] Lepida similitudo. Amaritudo inquit, sermonis Leptae, sermonis tui suavitate quasi rutae pulegio conditur. *Manut.*

Epist. DCXCVI. ἀναθεώρησιν res habet] i. e. magnum et praeclarum facinus edidit Dolabella hominum spectatione et admiratione dignissimum.

de saxo; in crucem; columnam tollere; locum illum sternendum locare! Quid quaeris? heroica! Sustulisse mihi videtur simulationem desiderii, adhuc quae serpebat in dies; et inveterata verebar ne periculosa nostris tyrannoctonis esset. Nunc prorsus assentior tuis literis, speroque meliora: quamquam istos ferre non possum: qui, dum se pacem velle simulant, acta nefaria defendunt. Sed non possunt omnia simul. Incipit res melius ire, quam putaram. Nec vero discedam, nisi quum tu me id honeste putabis facere posse. Bruto certe meo nullo loco deero: idque, etiam si mihi cum illo nihil fuisset, facerem propter eius singularem, incredibilemque virtutem. Piliae nostrae villam totam, quaeque in villa sunt, trado, in Pompeianum ipse proficiscens Kalend. Maiis. Quam velim Bruto persuadeas, ut Asturae sit.

EPISTOLA DCXCVII. (ad Att. XIV. 16.)

Scr. Puteolis in hortis Cluvianis V. Non. Maii A. U. C. 709.

Laudat Dolabellam; addit de itinere suo in Graeciam; Atticoque negotium Tullii Montani commendat.

CICERO ATTICO S.

Quinto Non. conscendens ab hortis Cluvianis in phaselum epicopum has dedi literas, quum Piliae no-

---

de saxo] subaudi, praecipitare eos, qui Caesari columnam erexerant, et impunita quadam licentia.

in crucem] tollere. Nam ex illa seditiosorum manu, qui liberi homines fuerunt, eos Dolabella de saxo Capitolino deiecit; servos in crucem egit. *Manut.*

columnam tollere] quam prope viginti pedum lapidis Numidici, ut Suetonius tradit, de plebe homines perditi in foro statuerant, inscriptam CAESARI PARENTI PATRIAE.

simulationem desiderii] non, ut Manutius opinabatur, de desiderio tyrannidis, quod Dolabella simulaverit, sed quod Graevius aliique

strae villam ad Lucrinum, villicosque procuratores tradidissem. Ipse autem eo die in Paeti nostri tyrotarichum imminebam; perpaucis diebus in Pompeianum: post in haec Puteolana, et Cumana regna renavigaro. O loca ceteroqui valde expetenda, interpellantium autem multitudine paene fugienda! Sed ad rem ut veniam, o Dolabellae nostri magnam ἀριστείαν! quanta est ἀναθεώρησις? Equidem laudare eum et hortari non desisto. Recte tu omnibus epistolis significas, quid de re, quid de viro sentias. Mihi quidem videtur Brutus noster iam vel coronam auream per forum ferre posse. Quis enim audeat violare, proposita cruce, aut saxo, praesertim tantis plausibus, tanta approbatione infimorum? Nunc, mi Attice, me fac ut expedias. Cupio, quum Bruto nostro affatim satisfecerim, excurrere in Graeciam. Magni interest Ciceronis, vel mea potius, vel mehercule utriusque, me intervenire discenti. Nam epistola Leonidae, quam ad me misisti, quid habet, quaeso, in quo magnopere laetemur? Numquam ille mihi satis laudari videbitur, quum

---

viderunt, de desiderio Caesaris, quo se plebs illa seditiosa agi simulabat, intelligendum.

Epist. DCXCVII. *villam ad Lucrinum*] i. e. villam Cumanam, ad lacum Lucrinum sitam.

in Paeti tyrotarichum] ad Paetum in eius villam ire cogitabam, qui me solet tyrotaricho pascere.

renavigaro] Ita Bosius e scidis. Antea erat *renavigare* in quo intelligendum sit *cogitabam*. Idque restituit Ernestius.

coronam auream] velut triumphum agens. *Ern.*

violare] Restitui lectionem edd. pr. pro qua Bosius dedit *laudare*, quem secutus est Gruterus intelligitque *Caesarem*. Sed illud melius est per sequentia. Nam crux et saxum proposita erant tumultuantibus a Dolabella. Graevius utrumque pro glossa damnat. *Ern.*

epistola Leonidae] in qua Ciceronem filium ita laudaverat, ut diceret: „*quomodo nunc est*, videtur de eo bene sperandum.„ *Manut.*

ita laudabitur: *Quomodo nunc est.* Non est fidentis hoc testimonium; sed potius timentis. Herodi autem mandaram, ut mihi κατὰ μίτον scriberet; a quo adhuc nulla litera est. Vereor, ne nihil habuerit, quod mihi, quum cognossem, iucundum putaret fore. Quod ad Xenonem scripsisti, valde mihi gratum est. Nihil enim deesse Ciceroni, quum ad officium, tum ad existimationem meam pertinet. Flammam Flaminium audio Romae esse. Ad eum scripsi, me tibi mandasse per literas, ut de Montani negotio cum eo loquerere: et velim cures epistolam, quam ad eum misi, reddendam; et ipse, quod commodo tuo fiat, cum eo colloquare. Puto, si quid in homine pudoris est, praestaturum eum, ne pro se quodam modo dependatur. De Attica pergratum mihi fecisti, quod curasti, ut ante scirem recte esse, quam non belle fuisse.

EPISTOLA DCXCVIII. (ad Att. XIV. 17.)

Scr. in Pompeiano IV. Non. Maii A. U. C. 709.

Respondet Attici literis a Demetrio acceptis.

CICERO ATTICO S.

In Pompeianum veni V nonas Mai. quum pridie, ut antea ad te scripsi, Piliam in Cumano collocavissem. Ibi mihi cenanti literae tuae sunt redditae, quas dede-

---

quomodo nunc est] ep. 16. lib. XV. *Leonidas inquit, retinet suum illud* ADHUC. Apparet autem hominem fuisse magna auctoritate et existimatione, quum Cicero filius ad Tironem ita scribat: *Multum etiam meum est Epicrates princeps Atheniensium et Leonidas, et horum ceteri similes.*

κατὰ μίτον] singula quaeque, tamquam telae licia percurrendo, i. e. diligentissime.

ad Xenonem scripsisti] ut Athenis Ciceroni filio suppeditaret lib. XVI. 1. et 3. *Manut.*

de Montani negotio] cf. epist. 581.

ras Demetrio liberto prid. Kal. in quibus multa sapienter, sed tamen talia, quemadmodum tute scribebas, ut omne consilium in fortuna positum videretur. Itaque his de rebus ex tempore et coram. De Buthrotio negotio, utinam quidem Antonium conveniam! multum profecto proficiam. Sed non arbitrantur eum a Capua declinaturum. Quo quidem, metuo, ne magno rei publicae malo venerit. Quod idem L. Caesari videbatur, quem pridie Neapoli affectum graviter videram. Quamobrem ista nobis ad Kal. Iun. tractanda et perficienda sunt. Sed hactenus. Q. filius ad patrem acerbissimas literas misit; quae sunt ei redditae, quum venissemus in Pompeianum; quarum tamen erat caput, Aquilliam novercam non esse laturum. Sed hoc tolerabile fortasse; illud vero? se ab Caesare habuisse omnia, nil a patre, reliqua sperare ab Antonio. O perditum hominem! sed μελήσει. Ad Brutum nostrum, ad Cassium, ad Dolabellam epistolas scripsi. Earum exempla tibi misi, non ut deliberarem reddendaene essent, (plane enim iudico esse reddendas) sed quod non dubito, quin tu idem existimaturus sis. Ciceroni meo, mi Attice, suppeditabis quantum videbitur, meque hoc tibi onus imponere patiere. Quae adhuc fecisti, mihi sunt gratissima. Librum meum illum ἀνέκδοτον nondum, ut volui, perpolivi. Ista vero, quae tu contexi vis, aliud quoddam separatum volumen exspectant. Ego autem (credas mihi velim) minore periculo existimo contra illas nefarias partes,

---

Epist. DCXCVIII. *L. Caesari*] qui Cos. fuerat cum C. Figulo A. U. C. 689. Eius sororis filius erat M. Antonius.

Aquilliam] quam falso rumore audiverat Q. patrem uxorem ducere velle. cf. ep. 692.

ἀνέκδοτον] librum *de temporibus suis*, quem filius demum mortuo patre edidit. *Ernesti.*

vivo tyranno, dici potuisse, quam mortuo: ille enim nescio quo pacto ferebat me quidem mirabiliter. Nunc quacumque nos commovimus, ad Caesaris non modo acta, verum etiam cogitata revocamur. De Montano, quoniam Flamma venit, videbis. Puto rem meliore loco esse debere.

EPISTOLA DCXCIX. (ad Div. IX. 14.)

Scr. in Pompeiano IV. Non. Maii A U. C. 709.

Laudat Dolabellam ob severitatem animadversionis in homines seditiosos, et adversus libertatem tumultuantes.

CICERO DOLABELLAE COS. SUO, S.

Etsi contentus eram, mi Dolabella, tua gloria, satisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod vulgo hominum opinio socium me adscribat tuis laudibus. Neminem conveni; convenio autem quotidie plurimos: sunt enim permulti optimi viri, qui, valitudinis causa, in his locis conveniunt; praeterea ex municipiis frequentes necessarii mei; quin omnes, quum te summis laudibus ad caelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. Negant enim se dubitare, quin tu meis praeceptis, et consiliis obtemperans, praestantissimum te civem, et singularem consulem praebeas. Quibus ego quamquam

---

Epist. DCXCIX.] haec epistola bis in editionibus epistolarum Ciceronis exscripta legitur, primum inter epistoles ad Div. IX. 14. secundo loco post ep. ad Att. XIV. 17. In utroque exemplo est quaedam lectionum diversitas, non tamen eiusmodi, ut cum Bengelio, cui suffragatur Benedictus, eam a duplici huius epistolae recensione repetendam putemus.

in haec loca veniant] in altero exemplo ad Att. XIV. 17. est *in his locis conveniunt.*

quia omnes] Hanc lectionem plurimarum edd. recte probarunt Ernestius et Benedictus. In altero exemplo est *qui, omnes*, quod pendentem efficit orationem.

verissime possum respondere, te quae facias, tuo iudicio, et tua sponte facere, nec cuiusqnam egere consilio: tamen neque plane assentior, ne imminuam tuam laudem, si omnis a meis consiliis profecta videatur; neque valde nego. Sum enim avidior etiam, quam satis est, gloriae. Est tamen non alienum dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni, regum regi, fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem. Mihi vero gloriosum, te iuvenem consulem florere laudibus, quasi alumnum disciplinae meae. L. quidem Caesar, quum ad eum aegrotum Neapolim venissem, quamquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me plane salutavit, o mi Cicero, inquit, gratulor tibi, quum tantum vales apud Dolabellam, quantum, si ego apud sororis filium valerem, iam salvi esse possemus. Dolabellae vero tuo et gratulor, et gratias ago; quem quidem, post te consulem, solum possum vere consulem dicere. Dein multa de facto, ac de re gesta. Tum nihil magnificentius, nihil praeclarius actum umquam, nihil rei publicae salutarius: atque haec una vox omnium est. A te autem peto, uti me hanc quasi falsam hereditatem alienae gloriae sinas cernere, meque aliqua ex parte in societatem tuarum laudum venire patiare. Quamquam, mi Dolabella, (haec enim iocatus sum) libentius omnes meas, si modo sunt aliquae meae laudes, ad te transfuderim, quam ali-

Est tamen non alienum] Sic Ernestius e cod. Lips. duob. Guelf. et ed. pr. edidit, idemque est in Dresd. IV. V. Asc. I. In altero exemplo legitur: *et tamen non alienum est*. Benedictus e Dresd. I. II. III. Victorii, duob. Pall. Amst. et duobus Guilielmi codd. revocavit *et tamen non alienum*.

salutavit] Sic legitur in altero quoque exemplo; ubi tamen a nonnullis scribitur *salutaret*. Benedictus recepit *salutaverit*, quod est in novem codd. repertum. Fortasse verum est *salutaverat*.

apud sororis filium] M. Antonium.

quam partem exhauserim ex tuis. Nam quum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti; tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil umquam in amore fuerit ardentius. Nihil est enim, mihi crede, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Semper amavi, ut scis, M. Brutum, propter eius summum ingenium, suavissimos mores, singularem probitatem atque constantiam: tamen Idibus Mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum etiam videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebam, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nunc denique amare videar, antea dilexisse. Quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati et gloriae servias? proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quam te ipsum. Te imitere oportet, tecum ipse certes. Ne licet quidem tibi iam, tantis rebus gestis, non tui similem esse. Quod quum ita sit, hortatio non est necessaria; gratulatione magis utendum est. Contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa severitas animadversionis non modo non invidiosa, sed etiam popularis esset, et quum bonis omnibus, tum infimo cuique gratissima. Hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuae: sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenii, atque consilii. Legi enim concionem tuam. Nihil illa sapientius. Ita pedetentim tum accessus a te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa maturitatem tibi animadvertendi omnium concessu daret. Liberasti igitur et urbem periculo, et civitatem metu: neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum. Quo facto, intelligere debes, in

---

sed etiam ad exemplum. Quo facto intelligere debes] Altera lectio: *sed etiam ad exemplum facti. Intelligere*

te positam esse rem publicam, tibique non modo tuendos, sed etiam ornandos illos viros, a quibus initium libertatis profectum est. Sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. Tu, quoniam rem publicam nosque conservas, fac, ut diligentissime te ipsum, mi Dolabella, custodias.

EPISTOLA DCC. (ad Att. XIV. 19.)

Scr. in Pompeiano Nonis Maii A. U. C. 709.

Respondet binis literis ab Attico acceptis.

CICERO ATTICO S.

Non. Mai. quum essem in Pompeiano, accepi binas a te literas, alteras sexto die, alteras quarto. Ad superiores igitur prius. Quam mihi iucundum, opportune tibi Barnaeum literas reddidisse. Tu vero cum Cassio, ut cetera. Quam commode autem, quod id ipsum, quod me mones, quatriduo ante ad eum scripseram, exemplumque mearum literarum ad te miseram. Sed quum Dolabellae ἀτισία (sic enim tu ad me scripseras) magna desperatione affectus essem; ecce tibi et Bruti, et tuae literae. Ille exilium medi-

---

debes, ei quae est, in exemplo ep. ad. Att. XIV. 17, subiuncto, postponenda videtur. Illa enim, quae Bengelio quoque post Lambinum placuit, concinnior est. *Quo facto* significat *quod quum ita feceris.*

Epist. DCC. *quam commode*] i. e. percommode scil. accidit. *quod* ante *id ipsum* Ernestio suspectum fuit; equidem opinor sine causa idonea.

quatriduo ante] nempe IV. Non. Maii. Cf. ep. 698.

ἀτισία] Verbum insolens Graecis et fortasse ab Attico factum iocose ad formam ἀσιτίας. Quod indicat istud; *sic enim tu ad me scripseras.* Quidam addi volunt *ex* ante *Dolabellae.* Non male. Nam duo ablativi, nudi durius concurrunt. *Ernesti.* ἀτισία quod nos dicimus *Insolvenz*, defectus solutionis.

tari. Nos autem alium portum propiorem huic aetati videbamus: in quem mallem equidem pervehi, florente Bruto nostro, constitutaque re publica. Sed nunc quidem, ut scribis, non utrum vis. Assentiris enim mihi, nostram aetatem a castris, praesertim civilibus, abhorrere. Antonius ad me tantum de Clodio rescripsit, meam lenitatem et clementiam et sibi esse gratam, et mihi voluptati magnae fore. Sed Pansa furere videtur de Clodio, itemque de Deiotaro; et loquitur severe, si velis credere. Illud tamen non belle, ut mihi quidem videtur, quod factum Dolabellae vehementer improbat. De coronatis quum sororis tuae filius a patre accusatus esset, rescripsit se coronam habuisse honoris Caesaris causa; posuisse luctus gratia: postremo, se libenter vituperationem subire, quod amaret etiam mortuum Caesarem. Ad Dolabellam, quemadmodum tibi dicis placere, scripsi diligenter. Ego etiam ad Sicam. Tibi hoc oneris non impono. Nolo te illum iratum habere. Servii orationem agnosco: in qua plus timoris video, quam consilii. Sed quoniam perterriti omnes sumus, assentior Servio. Publilius tecum tricatus est. Huc enim Caerellia mis-

---

propiorem huic aetati] mortem. cf. Tusc. Qu. l. c. 49 extr.

non utrum vis] non datur optio, sed necessario faciendum est alterum scil. ut bello abstineam.

assentiris enim mihi] in eo quod scripserat ep. 692.

de coronatis] scil. quod inter coronatos fuisset Q. filius. Nisi potius Cicero scripsit: *de corona* scil. Parilibus in honorem Caesaris gestata. Cf. ep. 693.

agnosco] Ita rescribendum censuit Ernestius pro vulg. *cognosco*, quod h. l. aptum non est. Sensum verborum Gronovius recte sic interpretatur: orationem Servii, quam tecum habuit, intelligo consentire cum ingenio eius meticuloso.

tricatus est] perplexe locutus. Egisse enim videtur de sorore sua Publilia, quam Cicero dimiserat, in eius matrimonium reducenda.

ſa ab iſtis eſt legata ad me; cui facile perſuaſi, mihi id, quod rogaret, ne licere quidem, non modo non lubere. Antonium ſi videro, accurate agam de Buthroto. Venio ad recentiores literas; quamquam de Servio iam reſcripſi. Me facere magnam πρᾶξιν Dolabellae. Mihi mehercule ita videtur, non potuiſſet maior tali re, talique tempore. Sed tamen, quidquid ei tribuo, tribuo ex tuis literis. Tibi vero aſſentior; maiorem πρᾶξιν eius fore, ſi mihi, quod debuit, diſſolverit. Brutus velim ſit Aſturae. Quod autem laudas me, quod nihil ante de profectione conſtituam, quam, iſta quo evaſura ſint, videro: muto ſententiam. Neque quidquam tamen ante, quam te videro. Atticam meam gratias mihi agere de matre gaudeo: cui quidem ego totam villam, cellamque tradidi; eamque cogitabam V. Idus videre. Tu Atticae ſalutem dices. Nos Piliam diligenter tuebimur.

EPISTOLA DCCI. (ad Att. XIV. 18.)

Scr. in Pompeiano a. d. VIII. Id. Maii A. U. C. 709.

De Dolabella ob rem geſtam a ſe laudato, ob pecuniam vero non ſolutam odioſo; de aliis rebus maximam partem domeſticis.

CICERO ATTICO S.

Saepius me iam agitas, quod rem geſtam Dolabellae nimis in coelum videar efferre. Ego autem, quamquam ſane probo factum, tamen ut tanto opere laudarem, adductus ſum tuis et unis et alteris literis. Sed totum te a ſe abalienavit Dolabella, ea de cauſa

---

me facere] Vel intelligendum *ais* aut *ſcribis*, vel verbis *me facere* praeſcribendum.

potuiſſet] pro vulg. *potuiſſe* cum Iunio et Graevio dedi, ut volebat legi etiam Gronovius. *Erneſti.*

Epiſt. DCCI. *te a ſe*] Vulgo *ſe a te*. Sed illud

qua me quoque ſibi inimiciſſimum reddidit. O hominem pudentem! Kal. Iun. debuit; adhuc non ſolvit, praeſertim quum ſe maximo aere alieno Faberii manu liberarit, et opem ab eo petierit. Licet enim iocari, ne me valde conturbatum putes. Atque ego ad eum IIX Idus literas dederam bene mane: eodem autem die duas literas veſperi acceperam in Pompeiano, ſane celeriter, tertio abs te die. Sed, ut ad te eo ipſo die ſcripſeram, ſatis aculeatas ad Dolabellam literas dedi; quae ſi nihil profecerint, puto fore, ut me praeſentem non ſuſtineat. Albianum te confeciſſe arbitror. De Patulciano nomine, quod mihi ſuppetiatus es, gratiſ-

---

aptius, et ſequentibus verbis *qua me quoque — reddidit* convenientius.

Faberii manu liberarit] nempe ab Antonio Dolabella aliquam partem pecuniae, quae erat in Opis aede repoſita, acceperat, quaſi id eſſet in Caeſaris commentariis ſcriptum, quos Antonius pro lubitu Faberii ſcribae manu vitiare et interpolare ſolebat.

et opem ab eo petierit] Putant iocum eſſe ex amphibolia, quum *petere opem* ſit auxilium petere, *petere Opem* autem, deam Opem requirere. Quid tamen durum eſt ſic loqui, *deam Opem ab aliquo petere*, nec Dolabella ipſam hanc deam, ſed pecuniam in eius templo depoſitam accepit, ſuſpicor Ciceronem ſcripſiſſe: *et Opis opem ab eo petierit*, quod faceti ſſime exprimit rem, qua de agitur; Dolabella enim aere alieno obrutus opem Opis, i. e. pecuniam in eius aede a Caeſare repoſitam, non ab ipſa dea, ſed a Faberio petiit, qui Antonio iubente in commentariis Caeſaris falſo ſcripſit, iſtam pecuniam Dolabellae donari.

ſuppetiatus es] Sic Manutio teſte Montagnanus legendum eſſe videt, pro vulg. *ſuppeditatus es*, in quo, etiamſi ferendam putemus inſolitam deponentis formam, ne ſic quidem aptus ineſt ſenſus. *Suppetiatus* contra aptiſſimum; aut enim, ut ait Manutius, ſuppetiatus erat Atticus in exigenda a Petulcio pecunia, aut pecuniam de ſuo dederat, tantumdemque ſe ſcripſerat a Petulcio, qui Ciceroni debebat, exacturum.

ſimum eſt, et ſimile tuorum omnium. Sed ego Erotem ad iſta expedienda factum mihi videbar reliquiſſe; cuius non ſine magna culpa vacillarunt. Sed cum ipſo videro. De Montano, ut ſaepe ad te ſcripſi, erit tibi tota res curae. Servius proficiſcens, quod deſperanter tecum locutus eſt, minime miror; neque ei quidquam in deſperatione concedo. Brutus noſter, ſingularis vir, ſi in ſenatum non eſt Kalend. Iuniis venturus, quid facturus ſit in foro, neſcio. Sed hoc ipſe melius. Ego ex his, quae parari video, non multum Idibus Martiis profectum iudico. Itaque de Graecia quotidie magis et magis cogito. Nec enim Bruto meo, exilium, ut ſcribis ipſe, meditanti, video quid prodeſſe poſſim. Leonidae me literae non ſatis delectarunt. De Herode tibi aſſentior. Saufeii legiſſe vellem. Ego ex Pompeiano VI Idus Mai. cogitabam.

EPISTOLA DCCII. (ad Div. XVI. 24.)

Scr. menſe Maio A. U. C. 709.

Domeſtica quaedam Tironis curae mandat, poſtulatque ut de publicis rebus ſcribat.

TULLIUS TIRONI, S. P. D.

Etſi mane Harpalum miſeram: tamen, quum haberem, cui recte darem literas, etſi novi nihil erat, iisdem de rebus volui ad te ſaepius ſcribere: non quin confiderem diligentiae tuae; ſed rei me magnitudo movebat. Mihi prora et puppis, ut Graecorum proverbium eſt, fuit a me tui dimittendi, ut rationes noſtras explicares. Ofillio, et Aurelio utique ſatis fiat. A Flamma, ſi non potes omne, partem aliquam velim extorqueas: in primisque, ut expedita ſit penſio Kalendis Ian.

Saufeii] Saufeii librum ep. 4. lib. 15. (h. ed. 710.) *Manut.*

Epiſt. DCCII. *Kalendis Ian.*] Niſi hanc epiſtolam in menſem Decembrem hu-

De attributione, conficies. De repraesentatione, videbis. De domesticis hactenus. De publicis omnia mihi certa, quid Octavius, quid Antonius; quae hominum opinio; quid futurum putes. Ego vix teneor, quin accurram. Sed st! literas tuas exspecto: et scito Balbum tum fuisse Aquini, quum tibi est dictum, et postridie Hirtium. Puto utrumque ad aquas. Sciemus quid egerint. Dolabellae procuratores fac admoneantur. Appellabis etiam Papiam. Vale.

EPISTOLA DCCII. (ad Att. XIV. 20.)

Scr. in Neapolitano Luculli V. Id. Maii A. U. C. 709.

Tribus Attici epistolis respondet.

CICERO ATTICO S.

E Pompeiano navi advectus sum in Luculli nostri hospitium VI Idus, hora fere III; egressus autem e navi accepi tuas literas, quas tuus tabellarius in Cuma-

---

ius anni reiiciendam putemus, quod fieri non potest, legendum videtur *Kalendis Iuniis.*

de attributione] de solutione per delegationem; nostri *eine Assignation.*

de repraesentatione] i. e. quae nostri dicunt *baare Zahlung.*

omnia mihi certa] sc. nuntia.

sed st!] Olim legebatur *sed si.* Id Manutius et Lambinus mutarunt in *sed st!* Lambinus tamen e codd. quibusdam affert *sed scil.* i. e. *sed scilicet*, quod Graevio placebat, et habet sane quo se commendet.

ad aquas] scil. Baianas Aquino profectos esse.

Sciemus quid egerint] Sic Manutius e corrupta Codd. lectione *Semas quid egerint.* Gronovio placuit *seu quid egerint*, quod recepit Benedictus.

admoneantur] de pecuniae solutione.

Epist. DCCIII. 1. *Luculli*] est Gn. Lucullus, L. Luculli filius quem infra familiarem suum vocat ep. 706.

hospitium] Neapolitanum. Cf. Acad. Qu. IV. c. 3. extr.

tuas literas] Rubenius malebat *duas literas.* Nam

num attulisse dicebatur, Nonis Mai. datas: a Lucullo postridie eadem fere hora, qua veni, VII Idus Lanuvio datas. Audi igitur ad omnes. Primum, quae de re mea gesta et in solutione, et in Albiano negotio, grata. De tuo autem Buthroto, quum in Pompeiano essem, Misenum venit Antonius; inde ante discessit, quam illum venisse audissem; a quo in Samnium. Vide, quid speres. Romae igitur de Buthroto. L. Antonii horribilis concio, Dolabellae praeclara. Iam vel sibi habeat nummos, modo numeret Idibus. Tertullae nollem abortum. Tam enim Cassii sunt iam, quam Bruti serendi. De regina velim, atque etiam de Caesare illo.

2 Persolvi primae epistolae: venio ad secundam. De Quintis, Buthroto, quum venero, ut scribis. Quod Ciceroni suppeditas, gratum. Quod errare me putas, qui rem publicam putem pendere e Bruto: sic se res habet. Aut nulla erit, aut ab isto, istisve servabitur. Quod me hortaris, ut scriptam concionem mittam; accipe a me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα

---

revera illo die duas epistolas acceperat, quibus hic singillatim respondet.

vide quid speres] Hoc non ad Buthrotum, sed ad rem publicam refertur. Nam Antonius cursabat huc illuc ut agros veteranis divideret, quibus beneficio devinctis uteretur ad omnia epist. 17. (h. ed. 698.) *Manut.* De hac Antonii percursatione vid. infra ep. 704. et Philipp. II. c. 39.

L. Antonii] qui tribunus plebis erat, M. frater.

horribilis concio] de agro Pomptino dividundo, cui Dolabella repugnavit.

Idibus] usuras.

Tertullae] s. Tertiae, Cassii uxoris, Bruti sororis.

serendi] gignendi.

de regina — Caesare illo] velim mihi scribas de Cleopatra Caesarisque ex ea filio, quem Cleopatra Caesarionem vocabat.

2. *scriptam concionem*] quam Attici rogatu Cicero scripserat, ut ea Brutus uteretur ad populum dicturus.

καθολικον θεώρημα] praeceptum s. dogma gene-

earum rerum, in quibus satis exercitati sumus. Nemo umquam neque poëta, neque orator fuit, qui quemquam meliorem, quam se, arbitraretur. Hoc etiam malis contingit. Quid tu Bruto putas, et ingenioso et erudito? de quo etiam experti sumus nuper in edicto. Scripseram rogatu tuo. Meum mihi placebat, illi suum. Quin etiam, quum, ipsius precibus paene adductus, scripsissem ad eum de optimo genere dicendi, non modo mihi, sed etiam tibi scripsit, sibi illud, quod mihi placeret, non probari. Quare sine quaeso sibi quemque scribere. *Suam cuique sponsam, mihi meam; suum cuique amorem, mihi meum.* Non scite. Hoc enim Attilius, poëta durissimus. Atque utinam liceat isti concionari! cui si esse in urbe tuto licebit, vicimus. Ducem enim novi belli civilis aut nemo sequetur, aut ii sequentur, qui facile vincantur.

3 Venio ad tertiam. Gratas fuisse meas literas Bruto et Cassio gaudeo. Itaque iis rescripsi. Quod Hirtium per me meliorem fieri volunt: do equidem operam; et ille optime loquitur; sed vivit habitatque cum Balbo, qui item bene loquitur. Quid credas, videris. Dolabellam valde placere tibi video: mihi quidem egregie. Cum Pansa vixi in Pompeiano. Is plane mihi probabat, se bene sentire et cupere pacem. Causam armorum quaeri plane video. Edictum Bruti et Cassii probo. Quaeris, ut suscipiam cogitationem,

---

rale, *ein allgemeiner Grundsatz.*

in edicto] Brutus edictum composuit, quo postulavit ab Antonio cos. ut sibi et Cassio praetoribus liceret ab urbe abesse, quos leges abesse vetabant. Quibus ille item edicto respondit minaci et contumelioso. lib. XI. ad Fam. ep. 3. *Manut.* At enim de hoc edicto hic sermo esse non potest. Nam illud datum esse mense Quintili exeunte patet ex ipsa illa epistola, quam Manutius citavit, quae data est Nonis Sextilibus. Itaque hic agitur de edicto priore cuius mentionem faciunt Brutus et Cassius in epist. ad Antonium XI. 2. (h. ed. 712.)

quidnam istis agendum putem; consilia temporum sunt; quae in horas commutari vides. Dolabellae et prima illa actio, et haec contra Antonium concio mihi profecisse permultum videtur. Prorsus ibat res. Nunc autem videmur habituri ducem: quod unum municipia bonique desiderant. Epicuri mentionem facis et audes dicere, μὴ πολιτεύεσθαι? Non te Bruti nostri vulticulus ab ista oratione deterret? Quintus filius, ut scribis, Antonii est dextella. Per eum igitur, quod volemus, facile auferemus. Exspecto, si, ut putas, L. Antonius produxit Octavium, qualis concio fuerit. Haec scripsi citatim. Statim enim Cassii tabellarius. Eram continuo Piliam salutaturus; deinde ad epulas Vestorii, navicula. Atticae plurimam salutem.

EPISTOLA DCCIV. (ad Att. XIV. 21.)

Scr. Puteolis V. Id. Maii A. U. C. 709.

Refert, quae Balbus secum locutus sit, seque postridie ad Hirtium iturum denuntiat.

CICERO ATTICO S.

Quum paullo ante dedissem ad te Cassii tabellario literas, v Idus venit noster tabellarius, et quidem, portenti simile, sine tuis literis. Sed cito conieci, Lanuvii te fuisse. Eros autem festinavit, ut ad me

---

3. *est dextella*] prorsus ut Germani: *er ist seine rechte Hand.* Significatur Q. filium adeo se in Antonii familiaritatem insinuasse, ut per eum quidvis ab illo impetrari possit.

L. Antonius produxit Octavium] Nimirum tribunis plebis licebat, quem vellent, in concionem abreptum quamlibet de re interrogare. *Manut.* Immo potius de concione per tribunum Octavio data agitur, quia concionem habere privato haud licebat, nisi esset a magistratu aliquo productus.

ad epulas Vestorii] scil. Puteolos. *Ernesti.*

literae Dolabellae perferrentur, non de re mea (nondum enim meas acceperat) sed rescripsit ad eas, quarum exemplum tibi miseram, sane luculente. Ad me autem, quum Cassii tabellarium dimisissem, statim Balbus. O dii boni, quam facile perspiceres timere otium! et nosti virum, quam tectus; sed tamen Antonii consilia narrabat; illum circumire veteranos, ut acta Caesaris sancirent; idque se facturos esse iurarent, ut rata omnes haberent: eaque duumviri omnibus mensibus inspicerent. Questus est etiam de sua invidia; eaque omnis eius oratio fuit, ut amare videretur Antonium. Quid quaeris? nihil sinceri. Mihi autem non est dubium, quin res spectet ad castra. Acta enim illa res est animo virili, consilio puerili. Quis enim hoc non vidit, regni heredem relictum? quid autem absurdius, *Hoc metuere, alterum in metu non ponere?* Quin etiam hoc ipso tempore multa ὑποσόλοικα. Pontii Neapolitanum a matre tyrannoctoni possideri! Legendus mihi saepius est Cato maior, ad te mis-

---

Epist. DCCIV. *de re mea*] de pecunia quam Dolabella Ciceroni debebat. cf. ep.

quarum exemplum tibi miseram] huius editionis ep. 699.

duumviri] hos duumviros intelligere municipiorum stultum sit; et ita tamen interpretes omnes. Si vera est lectio, intelligendi sunt magistratus extra ordinem constituti, qui hanc curam haberent. Sed nil hic certi est. *Ernesti.* Nempe sicut olim Tarquinius Superbus duumviros creaverat libris Sibyllinis inspiciendis, sic Antonium Balbus narrabat duumviros creare velle, qui Caesaris acta commentariis comprehensa omnibus mensibus inspicerent.

ὑποσόλοικα] subabsurda et secum pugnantia.

Pontii Neapolitanum] fundum Pontii Aquilae apud Neapolim. Is exosus Caesari, quod triumphanti et subsellia tribunitia praetervehenti non assurrexisset. Idem postea in Caesarem coniuravit; et legatus Decimi Bruti in Mutinensi proelio cecidit. *Popma.*

a matre tyrannoctoni] Servilia, Bruti matre.

fus. Amariorem enim me senectus facit. Stomachor omnia. Sed mihi quidem βεβίωται. Viderint iuvenes. Tu mea curabis, ut curas. Haec scripsi, seu dictavi, apposita secunda mensa, apud Vestorium. Postridie apud Hirtium cogitabam: et quidem πεντέλοιπον. Sic hominem traducere ad optimates paro. λῆρος πολύς. Nemo est istorum, qui otium non timeat. Quare talaria videamus. Quidvis enim potius quam castra. Atticae salutem plurimam velim dicas. Exspecto Octavii concionem, et, si quid aliud; maxime autem ecquid Dolabella tinniat: an in meo nomine tabulas novas fecerit.

πεντέλοιπον] Puteolis fuerat Cicero cum quinque Caesarianis Balbo, Hirtio, Pansa, Octavio, Philippo, ut scribit ep. 11. (h. ed. 690.) Quum autem Octavius cum Philippo vitrico Romam isset, tres erant reliqui Balbus, Hirtius et Pansa. Πεντέλοιπον igitur, id est, qui reliqui sunt de quinque. Reliqui autem erant, ut dixi Balbus, Hirtius, Pansa. *Manut.* Si vera est lectio πεντέλοιπον, nihil aliud significare potest, quam Hirtium unum esse reliquum e quinque, quos scil. ad optimates traducere cuperet. Ego vero persuadere mihi non possum, hoc vocabulum genuinum esse, quamquam idem recurrit ep. 708. Nam cur sic designet Hirtium? quocum non nunc primum de re publica locuturus erat, cf. ep. 703. Et particulae praemissae *et quidem* aliud quid significare videntur, quod ad solum Hirtium pertineat; e. c. δειπνολόγον (nam Hirtius lautitias in epulis amabat, earumque se gnarum existimatorem profitebatur, unde eum Cicero se *cenandi magistrum* habere dicit ep. 450.

Sic] h. e. inter cenam. Sed sine melioribus libris certi nihil extricari potest.

talaria videamus] paremus talaria, ut hinc abeamus. *Manut.*

ecquid Dolabella tinniat] i. e. an pecuniam mihi debitam annumeret, quae tinnire ac sonare solet. *Gronov.*

an — fecerit] an de hac pecunia mecum sic agat, quasi novas tabulas fecerit, quibus pecuniae creditorum debitoribus condonantur.

EPISTOLA DCCV. (ad Att. XIV. 22.)

Scr. in Puteolano Id. Maii A. U. C. 709.

Scribit se mox Arpinum discessurum, significatque Caesarianos otium timere, et ad bellum spectare.

CICERO ATTICO S.

Certior a Pilia factus, mitti ad te Idibus tabellarios, statim hoc nescio quid exaravi. Primum igitur scire te volui, me hinc Arpinum XVI Kalend. Iun.; eo igitur mittes, si quid erit posthac: quamquam ipse iam iamque adero. Cupio enim ante, quam Romam venio, odorari diligentius, quid futurum sit. Quamquam vereor, ne nihil coniectura aberrem. Minime enim obscurum est, quid isti moliantur, (meus vero discipulus, qui hodie apud me cenat, valde amat illum, quem Brutus noster sauciavit;) et, si quaeris, (perspexi enim plane,) timent otium; ὑπόθεσιν autem hanc habent, eamque prae se ferunt, virum clarissimum interfectum, totam rem publicam illius interitu perturbatam; irrita fore, quae ille egisset, simulac desistamus timere; clementiam illi malo fuisse; qua si usus non esset, nihil ei tale accidere potuisse. Mihi autem venit in mentem, si Pompeius cum exercitu firmo veniat, quod est εὔλογον, certe fore bellum. Haec me species cogitatioque perturbat. Neque enim iam, quod tibi tum licuit, nobis nunc licebit. Nam aperte laetati sumus. Deinde habent in ore, nos ingratos. Nullo modo licebit, quod tum et tibi licuit,

---

Epist. DCCV. *discipulus*] Hirtius, quia utebatur Cicerone declamandi magistro.

amat illum] Caesarem.

desistamus] Vulgo *desistemus*. Faërnus, probante Ursino corrigebat *desisteremus*.

quod tibi tum licuit] ut neutram partem sequereris in bello civili Caesaris et Pompeii.

et multis. *Φαινοπροσωπητέον* ergo, et *ἰτέον* in castra? Millies mori melius, huic praesertim aetati. Itaque me Idus Mart. non tam consolantur, quam antea. Magnum enim mendum continent. Etsi illi iuvenes

ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον.

Sed, si tu melius quippiam speras, quod et plura audis, et interes consiliis; scribas ad me velim, simulque cogites, quid agendum nobis sit super legatione votiva. Equidem in his locis moneor a multis, ne in senatu Kalendis. Dicuntur enim occulte milites ad eam diem comparari, et quidem in istos; qui mihi videntur ubivis tutius, quam in senatu, fore.

EPISTOLA DCCVI. (ad Att. XV. 1.)

Scr. in Puteolano a. d. XVI Kal. Iun. A. V. C. 709.

Alexionis mortem dolet; exponit quid cum Hirtio egerit; et quid sibi de Antonio, et de Bruto videatur; denique addit quaedam domestica.

CICERO ATTICO S.

O factum male de Alexione! incredibile est, quanta me molestia affecerit; nec mehercule ex ea parte maxime, quod plerique mecum: „Ad quem igitur te medicum conferes?„ Quid mihi iam medico? aut si opus est, tanta inopia est? amorem erga me, humanitatem, suavitatemque desidero. Etiam illud: quid est, quod non pertimescendum sit; quum hominem

---

ἄλλοις — ψόγον] *aliis bonis hanc vituperationem amoliuntur.* Sophocleum videtur Valckenario, Diatr. ad Eurip. p. 192.

super legatione votiva] quam petere cogitabat, discessionis causa, cf Philipp. I. cap. 2. *Manut.*

comparari] Sic legendum, ut infra ep. 8. lib. XV. (h. ed. 719.) non ut vulgo *compdrati.*

in istos] Brutum et Cassium, ceterosque Caesaris interfectores.

Epist. DCCVI. *de Alexione*] Hic Alexio, qui fuerat medicus Ciceronis, alius

temperantem, summum medicum, tantus improviso morbus oppresserit? Sed ad haec omnia una consolatio est, quod ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. De Antonio, iam antea tibi scripsi, non esse eum a me conventum. Venit enim Misenum, quum ego essem in Pompeiano: inde ante profectus est, quam ego eum venisse cognovi. Sed casu, quum legerem tuas literas, Hirtius erat apud me in Puteolano: ei legi et egi; Primum quod attinet, nihil mihi concedebat: deinde ad summam, arbitrum me statuebat non modo huius rei, sed totius consulatus sui. Cum Antonio autem sic agemus, ut perspiciat, si in eo negotio nobis satisfecerit: totum me futurum suum. Dolabellam spero domi esse. Redeamus ad nostros: de quibus tu bonam spem te significas habere propter edictorum humanitatem. Ego autem perspexi, quum a me XVII Kal. de Puteolano Neapolim Pansae conveniendi causa proficisceretur Hirtius, omnem eius sensum. Seduxi enim, et ad pacem sum cohortatus. Non poterat scilicet negare, se velle pacem; sed non minus se nostrorum arma timere, quam Antonii: et tamen utrosque non sine causa praesidium habere; se autem utraque arma metuere. Quid quaeris? οὐδὲν ὑγιές. De Q. filio tibi assentior: patri quidem certe gratissimae et bellissimae tuae literae fuerunt. Caerelliae vero

---

esse videtur, atque ille, qui in Epiro Attici negotia curabat. Ep. XIII. 25. (h. ed. 617.)

et egi] egi cum eo de re Buthrotia.

nihil mihi concedebat] Rem Buthrotiam aeque atque ego videbatur cupere Sic. XIII. 33. (h. ed. ep. 592.) *nosti diligentiam Capitonis in rebus novis perquirendis, non concedit Camillo* — *Manut.*

consulatus sui] proximo anno gerendi.

nostros] Brutum et Cassium.

Caerelliae] quae a Publilia et matre fuerat legata

facile satisfeci; nec valde laborare mihi visa est; et, si illa, ego certe non laborarem. Istam vero, quam tibi molestam scribis esse, auditam a te esse omnino demiror. Nam quod eam collaudavi apud amicos, audientibus tribus filiis eius, et filia, quid est hoc? Οὐ ταυτὸ ἐκ τοῦ αὐτοῦ. Quid est autem, cur ego personatus ambulem? parumne foeda persona est ipsius senectutis? Quod Brutus rogat, ut ante Kalendas, ad

---

ad Ciceronem, ut de reciliatione ageret. ep. XIV. 19. (h. ed. 700.) *Popma.*

facile satisfeci] facile persuasi ei, mihi Publiliam dimissam in matrimonium recipere nec libere, nec licere.

istam vero] Intelligunt Publiliae matrem. Verum ei, quae sequuntur, parum conveniunt. Accipio de alia muliere, quae quum eam Cicero collaudasset, sibi persuaserat eum sui amore captum esse, Atticumque rogaverat ut Ciceroni scriberet, ne ambagibus uteretur, sed plane se eius matrimonium ambire ostenderet.

οὐ ταὐτὸ — αὐτοῦ] *Non semper idem ex eodem sequitur.* Potest interdum fieri ut aliquis mulierem collaudans idem sit eius amator; ridiculum autem esset quicunque eam laudaverit, eum continuo procum eius putare.

quid est hoc] Haec verba, vulgo post Graeca οὐ ταὐτό — αὐτοῦ posita huc retrahenda censui. Sensus est: nam quod istam mulierem collaudavi apud amicos eius, audientibus filiis et filia, quid est hoc? quis inde colligere possit, me eius matrimonium appetere?

cur ego personatus ambulem] Si velim huius mulieris nuptias appetere, cur ambagibus utar, et quasi personam induam? Fortasse Cicero scripsit: *personatus umbiam?*

senectutis] Si de sua senectute Cicero intellexerit, sensus sit necesse est: num senectus mea parum significat me a novis nuptiis abhorrere? Atqui anno superiore Publiliam iuvenculam duxerat. Itaque haud scio an de senectute ipsius mulieris accipiendum sit; quam vetulam fuisse colligitur ex eo, quod tres filios et filiam habebat, omnes ut videtur, iam adultos; ut haec sit Ciceronis sententia: Cur ego, si velim huius mulieris nuptias ambire, perso-

me quoque scripsit: et fortasse faciam. Sed plane, quid velit, nescio. Quid enim illi afferre consilii possum, quum ipse egeam consilio? et quum ille suae immortalitati melius, quam nostro otio, consuluerit? De regina, rumor exstinguetur. De Flamma, obsecro te, si quid potes.

EPISTOLA DCCVII. (ad Att. XV. 1. extr.)

Scr. in Sinuessano a. d. XV. Kal. Iun. A. U. C. 709.

De Piliae bona valetudine; de Bruti oratione Capitolina.

CICERO ATTICO S.

Here dederam ad te literas exiens e Puteolano, deverteramque in Cumanum. Ibi bene valentem videram Piliam. Quin etiam paulo post Cumis eam vidi.

---

natus, h. e. circuitione usus, id faciam? At ipsius senectus iam satis foeda persona est, quae me ab eius nuptiis absterrere possit, ut necesse non sit mihi quoque personam dissimulati amoris induere. Ciceronem enim quum post Terentiae, divortium aliam uxorem ducere vellet, formam quoque spectasse, patet ex ep. 615. uti, *de Pompeii Magni*, inquit, *filia tibi rescripsi, nihil me hoc tempore cogitare. Alteram vero illam, quam tu scribis, puto nosti. Nihil vidi foedius.* Itaque si Plutarcho credimus Vit. Cic. c. 41. Terentia quoque ei exprobravit, Publiliam ab eo ductam esse ἔρωτι τῆς ὥρας.

de regina] Cleopatra.

de Flamma] de Flaminio Flamma, obsecro te, si quid potes, age; id est ne Montanus pro eo dependat. XII. 52. XIV. 16. (h. ed. 581. 697.) *Manut.*

Epist. DCCVII. *Here dederam*] Haec epistola in edd. coniungitur cum superiore. Novae vero hic epistolae initium esse, dudum est ab aliis observatum.

literas] nempe epistolam 706.

bene valentem] Sic legendum esse, non ut vulgo *paene valentem*, iam monuerunt Corradus et Malaspina.

paulo post] in edd. pr. erat *paullo clam iis*. Inde varie locus tentatus est. Corradus *paullo clarius;*

Vestiebat enim in funus: cui funeri ego quoque operam dedi. Cn. Lucullus, familiaris noster, matrem efferebat. Mansi igitur eo die in Sinuessano: atque inde mane postridie Arpinum proficiscens hanc epistolam exaravi. Erat autem nihil novi, quod aut scriberem, aut ex te quaererem; nisi forte hoc ad rem putas pertinere: Brutus noster misit ad me orationem suam, habitam in concione Capitolina; petivitque a me, ut eam nec ambitiose corrigerem ante, quam ederet. Est autem oratio scripta elegantissime sententiis, verbis, ut nihil possit ultra. Ego tamen, si illam ὑπόθεσιν habuissem, scripsissem ardentius. Vides, quae sit persona dicentis. Itaque eam corrigere non potui. Quo

---

Lambinus *plane*; Bosius *Baulos*, ut subintelligatur *euntem*; quo nihil durius est. Iunius *paulum*. Popma *pullatam* non male, quia in funere mulieres pullis palliis erant amictae.

Capitolina] Appianus lib. II. recitat orationem habitam a Bruto et Cassio ad populum, in Capitolio, statim a Caesaris nece. Cuius ὑπόθεσις, sive argumentum de tyranno interfecto et patria liberata. *Popma*. Non in ipso Capitolio habita est oratio, sed M. Brutus cum Cassio descendit in forum. Nec ipsam Bruti orationem Appianus (lib. II. de B. C. c. 122. p. 345 ed. Schweigh.) recitat, sed argumentum tantum eorum, quae Brutus et Cassius dixerint breviter exponit. Hanc orationem suam Brutus postea demum, ut saepe factum scimus, conscripsit, non qualem habuit, (subito enim tum dixerat) sed qualem habere potuisset.

nec ambitiose] i. e. severa lege, sine assentatione.

ego tamen si illam ὑπόθεσιν — ardentius] Vulgo: *ego tamen si illam causam habuissem scripsissem ardentius* ὑπόθεσις. Quod absurdum est; nam ὑπόθεσις est idem quod *causa*. Ernestius edidit: *ego tamen, si illam causam habuissem, scripsissem ardentius.* ὑπόθεσις, *vides quae sit persona dicentis.* Equidem *causam* puto e glossemate vocabuli ὑπόθεσιν irrepsisse, et hoc quidem deinde alieno loco positum. Itaque *causam* delevi, et in eius locum reposui ὑπόθεσιν.

quae sit persona dicentis] Vides Brutum esse auctorem

enim in genere Brutus noster esse vult, et quod iudicium habet de optimo genere dicendi, id ita consecutus est in ea oratione, ut elegantius esse nihil possit. Sed ego scilicet alius sum; sive hoc recte, sive non recte. Tu tamen velim orationem legas, nisi forte iam legisti, certioremque me facias, quid iudices ipse. Quamquam vereor, ne cognomine tuo lapsus ὑπεραττικὸς sis in iudicando. Sed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelliges posse et ἀττικώτατα gravissime dici. Sed haec coram. Nunc nec sine epistola, nec cum inani epistola volui ad te Metrodorum venire.

EPISTOLA DCCVIII. (ad Att. XV. 2.)

Scr. XV. Kal. Iun. A. U. C. 709.

De Buthrotiorum negotio, ac L. Antonii et Octavii concionibus breviterque de aliis rebus.

CICERO ATTICO S.

Quinto decimo Kalend. e Sinuessano proficiscens quum dedissem ad te literas, devertissemque a Cumis, in Vescino accepi a tabellario tuas literas; in quibus

---

orationis, qui aliud genus dicendi probat; et in ea re a me dissentit.

ego scilicet alius] ita corrigendum censuit Ernestius. Vulgo: *ego solus alius*. Ursinus et Malasp. *ego totus alius*.

ὑπεράττικος] scil. secundum eam opinionem, quae tum erat vulgo de genere Attico scribendi, quam refellit Cicero pluribus locis v. c. Orat. 18 *Ernesti*.

Epist. DCCVIII. *in Vescino*] Vulg. *Vesciano*. Sed apud Latinos semper legitur *Vescinus*, nusquam *Vescianus*, quod Stephano de urbibus probatur. Martialis lib. XIII. epigr. 31. *haec tibi Vescino de grege massa venit*. Lucan. II. v. 425. *Vescinis impulsus aquis*. Liv. lib. X. c. 20. „In Samnio novi exercitus exorti ad depopulandos imperii Romani fines per Vescinos in Campaniam Falernumque agrum transcendunt.„ Sic et Plinius et antiqua inscriptio. Fuit autem Vescinus

nimis multa de Buthroto. Non enim tibi ea res maiori curae aut est, aut erit, quam mihi. Sic enim decet, te mea curare, tua me. Quamobrem id quidem sic susceptum est mihi, ut nihil sim habiturus antiquius. L. Antonium concionatum esse, cognovi tuis literis et aliis, sordide: sed, id quale fuerit, nescio. Nihil enim scripsisti. De Menedemo, probe. Quintus certe ea dictitat, quae scribis. Consilium meum a te probari, quod ea non scribam, quae tu a me postularis, facile patior: multoque magis id probabis, si orationem eam, de qua hodie ad te scripsi, legeris. Quae de legionibus scribis, ea vera sunt. Sed non satis hoc

---

ager inter Massicum montem et Livium fluvium, qui transeundus Ciceroni fuit Sinuessano Arpinum proficiscenti, quod significavit praecedente epistola, h. e. a meridie recta aut paullum in Occidentem flexo itinere in Septentrionem. Sed *Cumae* hic longe absunt, ipsa Sinuessa magis meridianae et occidenti propiores. Mendose igitur legitur hic: *a Cumis*. Forsan: *devertissemque Minturnis*, in *Vestino accepi* — *Gronov.* Coniecturam Gronovii de *Minturnis* firmat locus similis XVI. 10. (h. ed. 764.) ubi itidem Cicero e Sinuessano proficiscens dicit se Minturnis Arpinum versus vertisse.

de Menedemo probe] Menedemus sine dubio hic est, quem Antonius hospitem Caesaris et civitate ab eo donatum scripserat in literis ad Hirtium et Octavium, quam Cicero in Philipp. XIII. in senatu recitatam perstringit. Ibi eum Cicero *nequissimum Graeculum* vocat. Antonius autem eum securi percussum esse questus erat. Videtur igitur iam paullo ante, quam hanc epistolam Cicero scriberet, aliquid de hoc Menedemo eiusque nequitia, eique intentata caede percrebuisse, quod Cicero his verbis, ut bonum factum probat, epist. autem 710. quum id falsum fuisse rescisset, scribit: *de Menedemo vellem verum fuisset.*

quae tu a me postularis] Historias sui temporis. XIV. 14. (h. ed. 693.) *Ernesti.*

orationem eam] Bruti.

hodie ad te scripsi] ep. 707.

quae de legionibus] Ab Antonio e Macedonia in Italiam vocatis. Vide ad Div. XII. 23. (h. ed. 759.) *Ern.*

Sed non satis — non fallet] Lectionem h. l. blanda cor-

mihi videris tibi persuasisse, quid de Buthrotiis nostris per senatum speres; confici posse puto; quantum enim video, nos videmur esse victuri. Sed, si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet. De Octavii concione idem sentio, quod tu: ludorumque eius

---

rectione sic nobis restituisse videmur. Nam Cicero scripserat ep. 693. *ad Kal. Iunias — adero, et omni ope atque opera enitar, adiuvante me scilicet auctoritate tua et gratia, et summa aequitate causae, ut de Buthrotiis senatus consultum, quale scribis, fiat.* Nunc igitur Attico, qui dubitare inceperat, rem per senatum confici posse, persuadere cupit, se in senatu, *victurum*, et effecturum esse, ut SCtum eiusmodi de Buthrotiis fiat. *Sed si etiam nos hoc fallat*, inquit, ut SCtum non obtineamus, *tamen de Buthroto te non fallet* scil. spes tua, quoniam si non per senatum, tamen alio modo res conficietur, id quod factum esse videmus, per Dolabellam Buthrotiis tandem ab isto periculo liberatis cf. ep. 736. Vulgo legebatur sic: *Sed non satis hoc mihi videris tibi persuasisse, quid de Buthrotiis nostris per senatum speres confici posse; quod puto; tantum enim video, non videmur esse victuri: sed si etiam nos hoc fallat, de Buthrota te non fallet.* Gronovio autem sic legendum videbatur: *Sed non satis haec mihi videris tibi persuasisse, qui de Buthrotiis nostris per Senatum speres confici posse. Haud puto; quantum video non videmur esse victuri. Sed si etiam nos hoc fallat, de Buthroto te non fallet;* idque sic explicabat: „At tu ipse, qui haec scribis de legionibus, videris mihi ea non credere; speras enim Buthrotios periculo agri sui amittendi liberari posse a senatu. Id ego minime spero. Nam quantum prospicere possum, nihil est propius, quam ut pereamus armis Antonii. In hoc ego si vanus sum vates, tu rem Buthrotiam facile obtinebis.“

ludorumque eius] Intelligit eos ludos, quos Caesaris victoriae (s. ex voto Caesaris ob victoriam Pharsalicam Veneri genetrici) Caesar adolescens fecit, de quibus Suetonius (Octavi cap. 10.) his verbis: *Ludos victoriae Caesaris, non audentibus facere, quibus obtigerat id munus ipse edidit.*

apparatus et Matius ac Postumius mihi procuratores non placent. Saserna collega dignus. Sed isti omnes, quemadmodum sentis, non minus otium timent, quam nos arma. Balbum levari invidia per nos velim: sed ne ipse quidem id fieri posse confidit. Itaque alia cogitat. Quod prima disputatio Tusculana te confirmat, sane gaudeo. Neque enim ullum est perfugium aut melius, aut paratius. Flamma quod bene loquitur, non moleste fero. Tyndaritanorum causa, de qua tam laboras, quae sit ignoro. Hos tamen. Πεντέλοιπον movere ista videntur, in primis erogatio pecuniae. De Alexione doleo; sed, quoniam inciderat in ita gravem morbum, bene actum cum illo arbitror. Quos tamen secundos heredes, scire vellem, et diem testamenti.

Et Matius in ep. ad Cic. (h. ed. 716.) *at ludos, quos Caesaris victoriae Caesar adolescens fecit, curavi; at id ad privatum officium, non ad statum rei publicae pertinebat.*

Postumius] Ita recte Manutius ex antiquo Bessarionis libro. Postumius enim nominatur lib. VI. ad Fam. ep. 12. (h. ed. ep. 514.) tamquam Caesaris amicissimus. Vulgo legebatur *Postumus.*

Saserna] Videtur esse is, qui memoratur de bello Afric. c. 9.

te confirmat] sc. ad mortem contemnendam. *Corr.*

Flamma] est Flamma Flaminius, cuius de negotio cf. ep. 697.

Tyndaritanorum] urbem *Tyndarida* Siciliae incolentium.

hos tamen] Videtur intelligendum: defendemus si opus erit.

πεντέλοιπον] Hirtium, ut supra ep. 704.

erogatio pecuniae] publicae, quam Antonius erogavit ad arbitrium suum. *Manut.* Nempe pecunia a Caesare ad Opis deposita, quam Antonius avertit. Philipp. I. 7. II. 37.

secundos heredes] quos fecerit Alexion.

EPISTOLA DCCIX. (ad Att. XV. 3.)

Scr. in Atinati XI. Kal. Iun. A. U. C. 709.

Respondet duabus Attici epistolis.

CICERO ATTICO S.

Undecimo Kalend. accepi in Atinati duas epistolas tuas; quibus duabus meis respondisti. Una erat XV Kal. altera XII data. Ad superiorem igitur prius. Accurres in Tusculanum, ut scribis: quo me VI Kal. venturum arbitrabar. Quod scribis parendum victoribus: non mihi quidem, cui sunt multa potiora. Nam illa, quae recordaris Lentulo et Marcello consulibus acta in aede Apollinis; nec causa eadem est, nec simile tempus; praesertim quum Marcellum scribas aliosque discedere. Erit igitur nobis coram odorandum et constituendum, tutone Romae esse possimus. Novi conventus habitatores sane movent. In magnis enim versamur angustiis. Sed sint ista parvi. Quin et ma-

---

Epist. DCCIX. *multa potiora*] nam exsulium, et mortem, et quidvis aliud servituti antepono. *Manut.*

acta in aede Apollinis] SCtum ut omnes boni cives Romam concurrerent, viderentque Coss. ne quid detrimenti capiat res publ., initio belli civilis. *Ernesti.*

nec causa eadem est, nec simile tempus] Tum agebatur de iure Caesaris e lege populi, ut absens consul creari posset; nunc agitur de ipsa libertate, quam ereptum eunt Caesariani; et tum meliora tempora erant, nullum periculum capitis; nunc nulla securitas est Romae nobis. *Ernesti.*

novi conventus habitatores] intelligit colonias proximis superioribus diebus ab Antonio in agrum Campanum deductas. Philipp. II. c. 39. *Manut.*

in magnis enim versamur angustiis] quod iam neque in his locis videor tutus esse posse, propter novos habitatores Antonio benivolos; neque Romae, propter milites non solum Antonii, sed etiam Octavii, quorum neutri σκοπὸς est salus rei publ. cf. XV. 1. et 12. (h. ed. 706. 724.) *Manut.*

iora contemnimus. Calvae testamentum cognovi, hominis turpis ac sordidi. De tabula Demonici quod tibi curae est, gratum. De Mario scripsi iam pridem ad Dolabellam accuratissime; modo redditae literae sunt. Eius causa et cupio, et debeo.

Venio ad propiorem. Cognovi de Alexione, 2
quae desiderabam. Hirtius est tuus. Antonio, quam est, volo peius esse. De Q. filio, ut scribis, de patre coram agemus. Brutum omni re, qua possum, cupio iuvare: cuius de oratiuncula idem te, quod me, sentire video: sed parum intelligo, quid me velis scribere quasi a Bruto habitam orationem, quum ille ediderit; qui tandem convenit? Sane sic, ut in tyrannum iure optimo caesum, multa dicentur, multa scribentur a nobis; sed alio modo et tempore. De sella Caesaris, bene tribuni.

Calvae testamentum] Calva videtur fuisse cliens quidam Ciceronis, qui non grate pieque testamento eum prosecutus erat, ut loquitur Suetonius Octav. c. 66. *Graev.*

de tabula Demonici] Int. de auctione alicuius obscuri hominis Demonici. *Ernesti.*

de Mario] Videtur esse M. Marius, ad quem sunt epistolae h. ed. 126. 182. 452. 458.

2. *de Q. filio ut scribis*] Sic Ernesti edidit. Bosius e Vestigiis Cod. Crusellini coniecit *quod scribis*; 'Ιλιὰς sc. κακῶν. Gronovio placebat: *de Q. filio ἄλις.*

habitam orationem] Optime sic Gronovius emendavit vulg. *habita oratione.* Sensus est: quare tu velis a me scribi orationem sub nomine Bruti, quasi ab eo in Capitolio dictam, quum ille ipse iam suam ediderit. Cf. ep. 710.

sane sic — caesum] Ita correxi vulg. *an sic — caesum?*

bene tribuni] Recte factum a tribunis, qui Caesaris sellam in spectaculis apponi vetuerunt. Quamquam vetuisse Antonium consulem, non tribunos, Appianus tradit (de B. C. III. 28.), sed credendum potius Attico praesenti. De hac sella Suetonius sic (Iul. cap. 76.) *Ampliora humano fastigio sibi passus est, sedem auream in curia, et pro tribunali, ten-*

Praeclaros etiam XIV ordines. Brutum apud me fuisse gaudeo: modo et libenter fuerit, et sat diu.

EPISTOLA DCCX. (ad Att. XV. 4.)

Scr. in Atinati X. Kal. Ian. A. U. C. 709.

Duabus Attici epistolis respondet.

CICERO ATTICO S.

Decimo Kalend. hora IIX fere a Q. Fusio venit tabellarius; nescio quid ab eo literularum, uti me sibi restituerem; sane insulse, ut solet: nisi forte, quae non ames, omnia videntur insulse fieri. Scripsi ita, ut te probaturum existimem. Mihi duas a te epistolis reddidit, unam XI, alteram X. Ad recentiorem prius. De legione, probe! Si vero etiam Carfulenus, ἄνω ποταμῶν. Antonii consilia narras turbulenta: atque

---

sam et ferculum Circensi pompa.

praeclaros etiam XIV ordines] scil. equites in theatro studium erga rem publ. significantes. *Manut.*

apud me] in aliqua villa Ciceronis. *Manut.* Fortasse Asturae.

Epist. DCCX. *Q. Fusio*] Caleno, Ciceronis inimico, iam inde a temporibus Clodianis. Asconius in Miloniana. Postea Ciceroni acerbe Antonium in senatu accusanti, non minus acerba oratione respondit, quam recitat Dio libro XLVI. *Manut.*

De legione, probe] Varie in codd. haec verba corrupta erant. Alii et *leviorem probo;* alii *de Lenio rem laudo;* alii: *ut legio, rem probo.* Bosio placebat: *et legio? rem probo.* Equidem verius puto: *de legione, probe;* sicut ep. 708. *de Menedemo probe.* Agitur autem de legione Marcia, quam Atticus vel iam defecisse ab Antonio, vel mox defecturam esse nuntiaverat.

Si vero etiam Carfulenus] scil. ab Antonio ad Caesarem Octavium transiit; ἄνω ποταμῶν, tum vero omnia fient, flumina etiam retro ibunt.

ἄνω ποταμῶν] Proverbium est ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί, quod dicitur, quum aliquid fieri videmus, quod fieri posse aut negare-

utinam potius per populum agat, quam per senatum; quod quidem ita credo. Sed mihi totum eius consilium ad bellum spectare videtur, si quidem D. Bruto provincia eripitur. Quoquo modo ego de illius nervis existimo, non videtur fieri posse sine bello. Sed non cupio; quoniam cavetur Buthrotiis. Rides? ast condoleo, non mea potius assiduitate, diligentia, gratia perfici. Quod scribis te nescire, quid nostris faciundum sit: iam pridem me illa ἀπορία sollicitat. Itaque stulta iam Iduum Martiarum est consolatio. Animis enim usi sumus virilibus; consiliis, mihi crede, puerilibus. Excisa enim est arbor, non evulsa. Itaque, quam fruticetur, vides. Redeamus igitur, quoniam saepe usurpas, ad Tusculanas disputationes. Sauseium per te celemus. Ego numquam indicabo.

---

mus, aut certe nunquam putassemus.

per populum agat] Sicut egit. Nam corruptis tribunis plebis populi suffragiis Galliam provinciam D. Bruto antea decretam a senatu obtinuit. Appian. de B. C. lib. III. 27 *Manut.*

provincia eripitur] Gallia citerior a Caesare olim data, et per senatum confirmata. Sueton. Oct. c. 10. *Corr.*

sed non cupio, quoniam cavetur Buthrotiis] Sensus hic est: *sed non cupio* scil. fieri sine bello; *quoniam cavetur Buthrotiis*, h. e. bello consulitur Buthrotiis, bellum cedet in commodum et bonum Buthrotiorum. Nam si bellum fiet, effugient Buthrotii, nec ager illorum assignabitur militibus, qui non morabuntur agros, quum habebunt optatum bellum. Rides tanquam rem inexspectatam, quum tu ipse Buthrotiis bene velis, et eis caveri, eorum bono aliquid fieri optes. At ego doleo iis *sic* caveri et consuli, cupio enim aliter iis consultum, nempe causam illorum agendo apud senatum. *Gronov.*

Sauseium per te celemus] Ita cod. Crusell.; in aliis antiquis libris erat: *Sauseium pete celemus*. Lambin coni. *Sauseium de re celemus*, Tunstallus malebat: *Sauseium propter te celemus*. Fortasse scripsit Cicero: *Sauseium, si pote, celemus*; i. e. si fieri potest, celemus Sause-

Quod te a Bruto scribis, ut certior fieret, quo die in Tusculanum essem futurus: ut ad te ante scripsi, VI Kal. et quidem ibi te quam primum per videre velim. Puto enim nobis Lanuvium eundum, et quidem non sine multo sermone. Sed μελήσει.

Redeo ad superiorem: ex qua praetereo illa prima de Buthrotiis; quae mihi sunt inclusa medullis; sit modo, ut scribis, locus agendi. De oratione Bruti, prorsus contendis, quum iterum tam multis verbis agis. Egone ut eam caussam, quam is scripsit? Ego scribam non rogatus ab eo? Nulla παρεγχείρησις fieri potest contumeliosior. At, inquis, Ἡρακλείδειον aliquod. Non recuso id quidem; sed et componendum argumentum est, et scribendi exspectandum tempus maturius. Licet enim de me, ut libet, existimes, (velim quidem quam optime); si haec ita manant, ut vi-

---

sum Epicureum, te, qui ipse adhuc Epicuri partibus favisti, Tusculanarum libro primo delectari, in quo contra Epicureos disputatur animos esse immortales.

quod te a Bruto scribis] int. *rogatum*. Sed haec ellipsis durior videtur. Graevius malebat, *quod de Bruto scribis*. — *Ernesti*.

per videre velim] Sic recte Gronov. Vulg. *pervidere velim*. Sic *per mihi gratus* ep. 361.

Lanuvium] ad Brutum.

non sine multo sermone] Caesarianorum de nobis, qui ad Brutum Caesaris interfectorem iverimus. *Corr.*

2. *de oratione Bruti*] quam Atticus voluerat a Cicerone scribi, quasi a Bruto habitam. cf. ep. 709.

nulla — contumeliosior] haec alieni negotii gestio, si non rogatus a Bruto scribam orationem, quasi eius nomine, quum tamen ipse suam iam ediderit, significaret, me Bruti orationem improbare, meque tanquam aemulum eius laudi detrectare velle, quo nihil fieri posset in eum contumeliosius.

Ἡρακλείδειον] opus de re publica, quod assequatur praestantiam librorum, quos Heraclides Ponticus, doctus ille Platonis auditor scripserat.

si haec ita manant] nempe ad perniciem rei publicae, ut videntur manare.

dentur; (flores quod dicam;) me Idus Martiae non delectant. Ille enim aut numquam revertisset; nos timor confirmare eius acta non coëgisset: aut, (ut in Saufeii eam, relinquamque Tusculanas disputationes, ad quas tu etiam Vestorium hortaris,) ita gratiosi eramus apud illum, quem dii mortuum perduint! ut nostrae aetati, quoniam interfecto domino liberi non sumus, non fuerit dominus ille fugiendus. Rubeo, mihi crede. Sed iam scripseram; delere nolui. De Menedemo, vellem verum fuisset. De regina, velim verum sit. Cetera coram, et maxime, quid nostris faciendum sit; quid etiam nobis, si Antonius militibus obsessurus est senatum. Hanc epistolam si illius tabellario dedissem, veritus sum, ne solveret. Itaque misi dedita opera; erat enim rescribendum tuis. Quam vellem, Bruto studium tuum navare potuisses! Ego igitur ad eum literas. Ad Dolabellam Tironem misi cum mandatis et literis; eum ad te vocabis; et, si quid habebis, quod placeat, scribes. Ecce autem de transverso L. Caesar, ut veniam ad se, rogat, in Nemus; aut scribam, quo se venire velim: Bruto enim placere, se a me conveniri. O rem odiosam et inexplicabilem! Puto me ergo iturum, et inde Romam; nisi quid mu-

---

ille — aut nunquam revertisset.] nempe e bello Parthico, ad quod Caesar exire cogitabat. Vulgo simpliciter *ille enim nunquam revertisset;* quod esset nimis audacter pronuntiatum. Itaque praeposui *aut.* In MSS. Pall. teste Iunio erat: *ille enim si vixisset nunquam nos timore confirmare eius acta coëgisset.*

L. Caesar] M. Antonii avunculus.

in Nemus] in praedium L. Caesaris Nemorense, apud lucum Dianae sacrum in agro Aricino.

odiosam et inexplicabilem] *odiosam*; quia cogar aliud dicere, aliud in pectore clausum habere; *inexplicabilem*, quoniam vix fieri posse video, ut e colloquio cum Antonii avunculo undique tutus discedam, nec titubem aut aliquid offendam.

taro. Summatim adhuc ad te. Nihildum enim a Balbo. Tuas igitur exſpecto, nec actorum ſolum, ſed etiam futurorum.

EPISTOLA DCCXI. (ad Div. XII. 1.)

Scr. exeunte Maio A. U. C. 709.

Factum Dolabellae, quo aram Caeſaris evertit, et in ſeditioſos homines animadvertit, laudat; deinde ſublato rege regnum ſupereſſe queſtus Caſſium hortatur, ut cum Bruto rem publ. omni perturbatione liberet.

M. T. CICERO C. CASSIO S. P. D.

Finem nullam facio, mihi crede, Caſſi, de te, et de Bruto noſtro, id eſt, de tota re publica cogitandi, cuius omnis ſpes in vobis eſt, et in D. Bruto. Quam quidem iam habeo ipſe meliorem, re publica a Dolabella meo praeclariſſime geſta. Manabat enim illud malum urbanum, et ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem et urbi, et otio diffiderem urbano. Sed ita compreſſum eſt, ut mihi videamur omne iam ad tempus ab illo duntaxat ſordidiſſimo periculo tuti futuri. Reliqua magna ſunt ac multa: ſed poſita omnia in vobis. Quamquam primum quidque explicemus. Nam, ut adhuc quidem actum eſt, non regno, ſed rege liberati videmur. Interfecto enim rege, regios omnes nutus tuemur. Neque vero id ſolum,

---

Epiſt. DCCXI. *praeclariſſime geſta*] nempe quum columnam a perditis hominibus in foro Caeſari ſtatutam evertiſſet, locum ſternendum locaſſet, in ſeditioſos autem ac tumultuantes, ita ſevere animadvertiſſet, ut ſervos in crucem tolleret, liberos de ſaxo Tarpeio deiiceret.

ſordidiſſimo periculo] quod ab infima plebe atque a ſervis etiam impendebat bonis viris. *Manut.*

explicemus] i. e. expediamus; ut paulo poſt: *haec omnia vobis ſunt expedienda.*

sed etiam, quae ipse ille, si viveret, non faceret, ea nos, quasi cogitata ab illo, probamus. Nec eius quidem rei finem video. Tabulae figuntur; immunitates dantur; pecuniae maximae describuntur; exsules reducuntur; senatus consulta falsa referuntur; ut tantummodo odium illud hominis impuri, et servitutis dolor depulsus esse videatur, res publica iaceat in his perturbationibus, in quas eam ille coniecit. Haec omnia vobis sunt expedienda. Nec hoc cogitandum, satis iam habere rem publicam a vobis. Habet illa quidem tantum, quantum numquam mihi in mentem venit optare; sed contenta non est, et, pro magnitudine et animi, et beneficii vestri, a vobis magna desiderat. Adhuc ulta suas iniurias est per vos, interitu tyranni: nihil amplius. Ornamenta vero sua quae recuperavit? An quod ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? cuius aera refigere debebamus, eius etiam chiro-

---

tabulae figuntur] aereas tabulas in publico figebat Antonius, decretum aliquod Caesaris, aut beneficium continentes, quasi scriptum id esset in Caesaris commentariis. Philipp. V. 4. *decreta falsa vendebat, regna, civitates, immunitates in aes, accepta pecunia, iubebat incidi; Haec se ex commentariis Caesaris, quorum ipse auctor erat, agere dicebat. Restituebantur exsules, quasi lege, sine lege; — — senatus etiam consulta, pecunia accepta, falsa referebat.* — Manut.

immunitates dantur] homines et populi stipendiarii et vectigales, tributis liberantur. *Gronov.*

pecuniae maximae describuntur] vel indicuntur, et colliguntur. Iustin. XVI. 3. vel assignantur et ex aerario tribuuntur, ut fere Manutius, sed exemplis utitur non convenientibus. Terent. Phorm. V. 8. 30. *illud mihi argentum iube raptim rescribi; Phormio. PH. quodque ego descripsi porro illis quibus debui.* — *Gronov.* Manutii interpretatio sola h. l. convenit. *Describere* h. l. est quod nos dicimus *Gelder anweisen.* In loco Terentiano hodie legitur, melius *quodque ego perscripsi porro.*

grapha defendimus? At enim ita decrevimus. Fecimus id quidem, temporibus cedentes; quae valent in re publica plurimum. Sed immoderate quidam et ingrate nostra facilitate abutuntur. Verum haec propediem, et multa alia coram. Interim sic tibi persuadeas, mihi quum rei publicae, quam semper habui carissimam, tum amoris nostri causa, maximae curae esse tuam dignitatem. Da operam, ut valeas.

EPISTOLA DCCXII. (ad Div. XV. 20.)

Scr. mense Maio A. U. C. 709.

Oratoris sui exemplum Trebonio mittit, eumque rogat ut crebras literas mittat.

M. T. CICERO TREBONIO, S. P. D.

Oratorem meum, (sic enim inscripsi,) Sabino tuo commendavi. Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem: nisi forte candidatorum licentia hic quoque usus hoc subito cognomen arripuit. Etsi modestus eius vultus sermoque constans, habere quiddam a

---

E locis a Manutio notatis hic quidem satis apte quadrat: Philipp. V. 8. *quorum bona — statim comitibus suis compotoribusque descripsit.*

at enim ita decrevimus] senatu in aedem Telluris convocato, in quo Cicero ipse suasit, ut memoria discordiarum oblivione deleretur, pacisque et otii causa leges Caesaris servarentur. cf. Philipp. I. c. 1. et 7.

Epist. DCCXII. *Trebonio*] is profectus erat ad Asiam regendam.

oratorem] ad M. Brutum superiore anno scriptum.

Sabino tuo] Hic videtur servus Trebonii fuisse, quo utebatur tabellario. Et saepe servi a patria nominabantur. Potuit igitur fieri, ut is e servi cum ancilla contubernio in municipio quodam Sabino natus, postea Trebonium dominum nancisceretur.

commendavi] i. e. ad te perferendum tradidi.

candidatorum] qui magistratum petentes, quaesita

Quiribus videbatur. Sed de Sabino satis. Tu, mi Treboni, quum ad amorem meum aliquantum discedens addidisti; quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos literis appellato: atque ita, si idem fiat a nobis. Quamquam duae causae sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas, quam nos; primum, quod olim solebant, qui Romae erant, ad provinciales amicos de re publica scribere: nunc tu nobis scribas oportet. Res enim publica istic est: deinde, quod nos aliis officiis tibi absenti satisfacere possumus: tu nobis, nisi literis, non video, qua re alia satisfacere possis. Sed cetera scribes ad nos postea. Nunc haec primo cupio cognoscere; iter tuum cuiusmodi sit; ubi Brutum nostrum videris; quamdiu simul fueris; deinde, quum processeris longius, de bellicis rebus, de toto negotio, ut existimare possimus, quo statu simus. Ego tantum me scire putabo, quantum ex tuis literis habebo cognitum. Cura ut valeas, meque ames amore illo tuo singulari.

---

interdum fictis cognominibus gratia, commendant. *Manut.*

aliquantum] Vulgo additur *olim*, quod ineptum esse iam Manutius vidit, qui in uno codice reperit *aliquantulum olim;* idque deleto *olim* recepit.

Res enim publica istic est] in vobis rei publ. liberatoribus, te, Cassio, M. et D. Brutis, quibus provincias senatus decreverat. Nam in urbe dominantibus consulibus Antonio et Dolabella res publ. non esse videbatur. *Manut.*

EPISTOLA DCCXIII. (ad Div. XI. 2.)

Scr. Lanuvii Mense Maio A. U. C. 709.

Petunt Brutus et Cassius ut Antonius se certiores faciat, utrum putet se Romae in tanta frequentia veteranorum tutos fore.

BRUTUS, ET CASSIUS PRAETT. M. ANTONIO COS.

De tua fide, et benivolentia in nos, nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus haec tibi: quae profecto, quum istum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis, magnam veteranorum multitudinem Romam convenisse iam, et ad Kalendas Iunias futuram multo maiorem. De te si dubitemus, aut vereamur, simus nostri dissimiles. Sed certe, quum ipsi in tua potestate fuerimus, tuoque adducti consilio dimiserimus ex municipiis nostros necessarios; neque solum edicto, sed etiam literis id fecerimus: digni sumus, quos habeas tui consilii participes, in ea praesertim re, quae ad nos pertinet. Quare petimus a te, facias nos certiores tuae voluntatis in nos: putesne, nos tutos fore in tanta frequentia militum veteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare

---

Epist. DCCXIII. *nisi persuasum esset nobis*] Falsa scilicet erat persuasio; nam Antonius dictatura sublata et fugitivo illo, qui in Marii nomen invaserat, necato, Caesaris interfectoribus illuserat. Verum Kalendis Iuniis mutata omnia; Antoniusque animum iis, qui sibi libertatis recuperatae auctores videbantur, infestum, adhuc simulatione tectum aperuit. Cf. Cic. Philipp. I. c. 2.

quum ipsi in tua potestate fuerimus] h. e. quum tibi obsecuti fuerimus, fecerimusque quod velles. Ita Graevius recte explicavit; Manutius vero minus bene traxit ad illud tempus, quo post Caesaris necem eius percussores Capitolio descenderunt, Cassiusque se Antonio, Brutus Lepido credidit.

de reponenda ara] quam Dolabella everterat, Cice-

audimus: quod velle te probare vix quisquam posse videtur, qui nos salvos, et honestos velit. Nos ab initio spectasse otium, nec quidquam aliud libertate communi quaesisse, exitus declarat. Fallere nemo nos potest, nisi tu; quod certe abest a tua virtute, et fide; sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. Tibi enim uni credidimus, et credituri sumus. Maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri; quibus etsi tua fides explorata est, tamen illud in mentem venit, multitudinem veteranorum facilius impelli ab aliis quo libet, quam a te retineri posse. Rescribas nobis ad omnia, rogamus. Nam illud valde leve est, ac nugatorium, ea re denuntiatum esse veteranis, quod de commodis eorum mense Iunio laturus esses. Quem enim impedimento futurum putas, quum de nobis certum sit, nos quieturos? Non debemus cuiquam videri nimium cupidi vitae, quum accidere nobis nihil possit sine pernicie et confusione omnium rerum.

EPISTOLA DCCXIV. (ad Div. XII. 16.)

Scr. Athenis a. d. VIII. Kal. Iun. A. U. C. 709.

Ciceroni patri Trebonius gratulatur de filio, quem optimis studiis deditum Athenis offenderat. 1. *Versiculos mittit in Antonium, quibus aliquod Ciceronis dictum incluserat* 2. *Petit ut Cicero sibi locum det in dialogis, quos scripturus esset.* 3.

TREBONIUS CICERONI, S.

S. V. B. E. Athenas veni a. d. XI Kal. Iun. atque ibi, quod maxime optabam, vidi filium tuum, deditum optimis studiis, summaque modestiae fama. Qua

---

ro columnam appellat Philipp. I 3. Eam simulatus ille Marius Caesari tanquam deo erexerat.

denuntiatum esse] ut in urbem frequentes convenirent. *Manut.*

ex re quantam voluptatem ceperim, ſcire potes, etiam me tacente. Non enim neſcis, quanti te faciam, et quam, pro noſtro veterrimo veriſſimoque amore, omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adoleſcente tuo, atque adeo noſtro, (nihil enim mihi a te poteſt eſſe ſeiunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis ſunt, eſt, aut ſtudioſius earum artium, quas tu maxime amas, hoc eſt, optimarum. Itaque tibi, quod vere facere poſſum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis; quod eum, quem neceſſe erat diligere, qualiscumque eſſet, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. Qui quum mihi in ſermone inieciſſet, ſe velle Aſiam viſere: non modo invitatus, ſed etiam rogatus eſt a me, ut id potiſſimum nobis obtinentibus provinciam faceret. Cui nos et caritate, et amore tuum officium praeſtaturos non debes dubitare. Illud quoque erit nobis curae, ut Cratippus una cum eo ſit, ne putes, in Aſia feriatum illum ab iis ſtudiis, in quae tua cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum, ut video, et ingreſſum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quo in dies longius diſcendo, exercendoque ſe procedat.

2 Vos quid ageretis in re publica, quum has literas dabam, non ſciebam. Audiebam quaedam turbulenta, quae ſcilicet cupio eſſe falſa, ut aliquando otioſa libertate fruamur: quod vel minime adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in navigatione noſtra puſillum laxamenti, concinnavi tibi munuſculum ex inſtituto meo, et dictum, cum magno noſtro honore a te

---

Epiſt. DCCXIV. *dictum*] Trebonius iam antea librum confecerat de dictis Ciceronis. Cf. ep. 430. Nunc inter navigandum novum aliquod Ciceronis dictum verſibus concluſerat.

dictum, conclusi, et tibi infra subscripsi. In quibus versiculis si tibi quibusdam verbis εὐθυῤῥημονέστερος videbor: turpitudo personae eius, in quam liberius invehimur, nos vindicabit. Ignosces etiam iracundiae nostrae: quae iusta est in eiusmodi et homines, et cives. Deinde, qui magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis, quam nobis? quum etiam si odio pari fuerit in eos, quos laesit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate verborum incurreret.

Tu, sicut mihi pollicitus es, adiunges me quam pri- 3
mum ad tuos sermones. Namque illud non dubito, quin, si quid de interitu Caesaris scribas, non patiaris me minimam partem et rei, et amoris tui ferre. Vale, et matrem, meosque tibi commendatos habe. D. VIII Kalendas Iunias, Athenis.

εὐθυῤῥημονέστερος] vel ad solam libertatem in perstringendo homine pertinet, vel ad obscena quaedam, quorum licentiam, ut fit in epigrammatis, sibi sumpserat.

personae eius] Nullum dubium est, quin Antonium significet. Neque vero non habet speciem veritatis Ernestii suspicio, dictum Ciceronis pertinuisse ad illud Trebonii factum Idibus Martiis, quum Antonium ante curiam seducendo ac morando impedisset, ne ille caedi Caesaris interesset.

non magis dignos habuerit] Illi, inquit, quos Lucilius in satiris suis insectatus est, certe non magis digni fuerunt illa contumelia, istisque conviciis, quam homines Antonio similes, ut adeo tanto magis nobis liceat Luciliana libertate in istos invehi.

ad tuos sermones] i. e. libros tuos, quos in sermone ac dialogo scribes. Trebonius volebat induci a Cicerone disputans super aliqua parte doctrinae. *Ernesti.*

EPISTOLA DCCXV. (ad Div. XI. 27.)

Scr. in Tusculano vel alia villa exeunte Maio A. U. C. 709.

Excusat se Matio, qui questus erat sibi a Cicerone vitio verti, quod in lege Caesaris suffragium tulisset, et quod ludos Caesari ab Octaviano factos curasset.

M. CICERO MATIO S.

Nondum satis constitui, molestiaene plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo quum plenus officii, tum utriusque nostrum amantissimus. Nam quum in Tusculanum vesperi venissem, postridie ille ad me, nondum satis firmo corpore quum esset, mane venit. Quem quum obiurgarem, quod parum valetudini parceret: tum ille, nihil sibi longius fuisse, quam ut me videret. Num quidnam, inquam, novi? Detulit ad me querelam tuam; de qua prius, quam respondeo, pauca praeponam. Quantum memoria repetere praeterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior. Sed vetustas habet aliquid commune cum multis; amor non habet. Dilexi te, quo die cognovi, meque a te diligi iudicavi. Tuus deinde discessus, isque diuturnus, ambitio nostra, et vitae dissimilitudo non

---

Epist. DCCXV. *nihil sibi longius fuisse*] i. e. nihil desideratius; ut nostri: *er hätte die Zeit nicht erwarten können, bis er mich gesehen hätte.* Sic pro Rabir. Posth. c. 12. *nec mihi longius quidquam est, quam videre hominum* (illorum testium) *vultus.* In Verr. IV. 18. *Nihil ei longius videbatur, quam dum videret illud argentum.*

discessus – diuturnus] Corradus et Manutius hoc de itinere in Galliam cum Caesare acceperunt. Bene autem Strothius monuit, hic aliud Matii iter intelligendum esse, in Graeciam aut Rhodum, quum reliqua, quae commemorantur, bellum Gallicum longe antecesserint, et commorationis Matii in Gallia postea demum mentio fiat.

ambitio nostra] honorum petitio mea.

vitae dissimilitudine] Matio scilicet non aeque ac Ci-

est passa voluntates nostras consuetudine conglutinari. Tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, quum Caesar esset in Gallia. Quod enim vehementer mihi utile esse putabas, nec utile ipsi Caesari, perfecisti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in suis. Multa praetereo, quae temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sunt. Graviora enim consecuta sunt. Et initio belli civilis quum Brundisium versus ires ad Caesarem, venisti ad me in Formianum. Primum hoc ipsum quanti, praesertim temporibus illis? Deinde oblitum me putas consilii, sermonis, humanitatis tuae? quibus rebus interesse memini Trebatium. Nec vero sum oblitus literarum tuarum, quas ad me misisti, quum Caesari obviam venisses in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus est, quum me ad Pompeium proficisci, sive pudor meus coëgit, sive officium, sive fortuna. Quod officium tuum, quod studium vel in absentem me, vel in praesentes meos defuit? quem porro omnes mei et mihi et sibi te amiciorem iudicaverunt? Veni Brundisium. Oblitumne me putas, qua celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento advolaris? quae tua fuerit assessio, oratio, confirmatio animi mei, fracti communium miseriarum metu? Tandem aliquando Romae esse coepimus. Quid defuit nostrae familiaritati? In maximis rebus quonam modo me gererem adversus Caesarem, usus tuo consilio sum. In reliquis officiis, cui tu tribuisti, excepto Caesare, praeter me, ut domum ventitares, horasque multas

---

cero in curia et foro versante.

in Formianum] qua de re scripsit ad Atticum IV. 11. (h. ed. 352.)

Veni Brundisium] post pugnam Pharsalicam.

nostrae familiaritati? In maximis rebus] Sic melius interpunxit Lambinus, quam ut antea: *nostrae familiaritati in maximis rebus?*

saepe suavissimo sermone consumeres? tum, quum etiam, si meministi, ut haec φιλοσοφούμενα scriberem, tu me impulisti. Post Caesaris reditum, quid tibi maiori curae fuit, quam ut essem ego illi quam familiarissimus? quod effeceras. Quorsum igitur haec oratio longior, quam putaram? Quia sum admiratus, te, qui haec nosse deberes, quidquam a me commissum, quod esset alienum nostra amicitia, credidisse. Nam praeter haec, quae commemoravi, quae testata sunt et illustria, habeo multa occultiora, quae vix verbis exsequi possum. Omnia me tua delectant: sed maxime, tum fides in amicitia, consilium, gravitas, constantia; tum lepos, humanitas, literae. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego te suffragium tulisse in illa lege, primum non credidi: deinde, si credidissem, numquam id sine aliqua iusta causa existimarem te fecisse. Dignitas tua facit, ut animadvertatur, quidquid facias; malivolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quam a te facta sint, proferantur. Ea tu si

---

φιλοσοφούμενα] ut Tusculanas disputationes.

multa occultiora] Hoc restitui auctoritate cod. Palat. Vatic. idque aptius est vulgato: *multo occultiora.*

maxime tum fides] Vulgo *maxime*, *maxima quum.* In ed. Graev. abest *maxime* sine admonitione. Ego *maxima* deleo. Nam *maximae* necessarium est, respondetque verbis *omnia tua.* Epitheto *maxima* non est locus, nec opus. Senfere et qui post *maxima* interpunxere, ut Aldus. *Ernesti.* Verissime Ernestius; praeterea vero pro *quum*, quod hic minus aptum est, dedi *tum.* Et sic est in Stewech.

in illa lege] opinor legem significari, quam Caesar, ut scripsit ipse lib. III. de bello civ. c. . pro debitoribus tulit, ut arbitri darentur, per quos fierent aestimationes possessionum et rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuissent, atque eae creditoribus traderentur. Hoc eo magis existimo, quod ad hanc partem respondens *Matius* (h. ed. ep. 716.) *res*, inquit, *mea familiaris lege Caesaris deminuta est.*

non audis, quid dicam, nescio. Equidem, si quando audio, tam defendo, quam me scio a te contra iniquos meos solere defendi. Defensio autem est duplex. Alia sunt, quae liquido negare soleam: ut de isto ipso suffragio. Alia, quae defendam a te pie fieri et humane: ut de curatione ludorum. Sed te, hominem doctissimum, non fugit, si Caesar rex fuerit, quod mihi quidem videtur, in utramque partem de tuo officio disputari posse: vel in eam, qua ego uti soleo, laudandam esse fidem et humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: vel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriae vitae amici anteponendam. Ex his sermonibus utinam essent delatae ad te disputationes meae! Illa vero duo, quae maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentius, quam ego, commemorat, aut saepius: te, et non suscipiendi belli civilis gravissimum auctorem fuisse, et moderandae victoriae? in quo, qui mihi non assentiretur, inveni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio, familiari nostro, qui mihi dedit caussam harum literarum: quibus nisi credideris, me omnis officii et humanitatis expertem iudicaris; quo nec mihi gravius quidquam potest esse, nec a te alienius.

EPISTOLA DCCXVI. (ad Div. XI. 28.)

Scr. Romae exeunte Maio A. U. C. 709.

Respondet Matius hac epistola proxime superiori in eaque generosum spiritum, ingenium liberale, animumque ingenuum et humanum verissimis indiciis prodit.

MATIUS CICERONI S.

Magnam voluptatem ex tuis literis cepi, quod,

---

ut de curatione ludorum.] Atqui ad Atticum scripserat (ep. 708.) sibi Matium ludorum istorum curatorem non placere. De ludis ipsis dictum est ibidem.

vel in eam qua nonnulli utuntur]. Astute sen-

quam ſperaram atque optaram, habere te de me opinionem, cognovi. De qua etſi non dubitabam, tamen, quia maximi aeſtimabam, ut incorrupta maneret, laborabam. Conſcius autem mihi eram, nihil a me commiſſum eſſe, quod boni cuiusquam offenderet animum. Eo minus credebam, plurimis atque optimis artibus ornato tibi temere quidquam perſuaderi potuiſſe, praeſertim in quem mea propenſa et perpetua fuiſſet atque eſſet benivolentia. Quod quum, ut volui, ſcio eſſe: reſpondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat tuae ſingulari bonitati et amicitiae noſtrae, ſaepe reſtitiſti. Nota enim mihi ſunt, quae in me poſt Caeſaris mortem contulerunt. Vitio mihi dant, quod mortem hominis neceſſarii graviter fero; atque eum, quem dilexi, periiſſe indignor. Aiunt enim, patriam amicitiae praeponendam eſſe; proinde ac ſi iam vicerint, obitum eius rei publicae fuiſſe utilem. Sed non agam aſtute. Fateor, me ad iſtum gradum ſapientiae non perveniſſe. Neque enim Caeſarem in diſſenſione civili ſum ſecutus; ſed amicum, quamquam re offendebar, tamen non deſerui: neque bellum umquam ci-

---

tentiam ſuum in alios confert.

Epiſt. DCCXVI. *ut par erat tuae — noſtrae*] Ita legendum et diſtinguendum, non ut vulgo *ut par erat, tua ſingulari bonitate et amicitia noſtra reſtitiſti.* Sic de Divin. II. c. 55. *ita ut conſtantibus hominibus par erat — Gronov.* Weiskius ablativum *bonitate et amicitia* defendit, eodemque loco ex Divin. II. c. 55. utitur, in quo tamen *conſtantibus hominibus* aeque poteſt dativus caſus eſſe. Itaque Gronovio aſſentior.

contulerunt] Sic recte Weiskius e cod. Gorl. et Magd. Vulgo *contulerint.*

patriam amicitiae praeponendam] Sic Lambinus edidit, quod et in Mſſ. dicit ſe reperiſſe. Secutus eſt Graevius, quem imitatus ſum. Sic et Gu. I. Ed. Mediol. habent. Si quis malit cum I. F. Gronovio *patriae amicitiam poſtponendam*, non repugnem; eſt enim lenior correctio. *Er-*

vile, aut etiam caussam dissensionis probavi; quam etiam nascentem exstingui summe studui. Itaque in victoria hominis necessarii, neque honoris, neque pecuniae dulcedine sum captus: quibus praemiis reliqui, minus apud eum quam ego quum possent, immoderate sunt abusi. Atque etiam res familiaris mea, lege Caesaris deminuta est: cuius beneficio plerique, qui Caesaris morte laetantur, remanserunt in civitate. Civibus victis ut parceretur, aeque ac pro mea salute, laboravi. Possum igitur, qui omnes voluerim incolumes, eum, a quo id impetratum est, periisse non indignari; quum praesertim iidem homines illi, et invidiae, et exitio fuerint? Plecteris ergo, inquiunt, quum factum nostrum improbare audes. O superbiam inauditam! alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunite licere! At haec etiam servis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potius, quam alterius arbitrio: quae nunc isti, ut quidem dictitant, libertatis auctores, metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt. Nullius umquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate desciscam. Numquam enim honestam mortem fugiendam, saepe etiam oppetendam putavi. Sed quid mihi

---

nesti. Olim nempe legebatur: *patriae amicitiam praeponendam.* Gronovius tamen aut *patriam amicitiae praeponendam*, aut certe *patriae amicitiam praeponendam* legendum putabat, ut prius maluisse videatur.

invidiae] odio, quod eos Caesar nimis ornaret, *exitio*, quum sit ab iis occisus, in quos beneficia maxima contulerat. *Manut.*

impunite] ita antiquiores Dresd. I. 11. cum Victorii libris, Hittorp. Pal. 1. Sed reliqui cum vulgatis *impune* — *Benedict.*

quae nunc — auctores] quae nunc ii, qui se scilicet libertatis auctores profiteri solent, minis ac terroribus nobis eripere volunt.

oppetendam] Sic plurimi eodd. iique optimi. Alii *appetendam*. Atque ad sen-

ſuccenſent, ſi id opto, ut poeniteat eos ſui facti? Cupio enim, Caeſaris mortem omnibus eſſe acerbam. At debeo pro civili parte rem publicam velle ſalvam. Id quidem me cupere, niſi et ante acta vita, et reliqua mea ſpes, tacente me, probat, dicendo vincere non poſtulo. Quare maiorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihique ſi ſentis expedire, recte fieri, credas nullam communionem cum improbis eſſe poſſe. An, quod adoleſcens praeſtiti, quum etiam errare cum excuſatione poſſem: id nunc, aetate praecipitata, commutem, ac me ipſe retexam? Non faciam: neque, quod diſpliceat, committam, praeterquam quod hominis mihi coniunctiſſimi ac viri ampliſſimi doleo gravem caſum. Quod ſi aliter eſſem animatus, numquam quod facerem, negarem: ne et in peccando improbus, et in diſſimulando timidus ac vanus exiſtimarer. At ludos, quos Caeſaris victoriae Caeſar adoleſcens fecit, curavi. At id ad privatum officium, non ad ſtatum rei publicae pertinet. Quod tamen munus et hominis amiciſſimi memoriae ac hono-

---

ſum quoque illud melius: *Oppetit* mortem qui eam non deſugit, ut in proelio. *Appetit* qui eam ſic exoptat, ut vel ipſe ſibi eam conſciſcere velit.

ſi ſentis — fieri] ſi in hac ſententia verſaris, nihil utile eſſe, niſi quod ſit idem honeſtum, omnia autem quae recte fiant, etiam expedire.

Non faciam] Cur h. l. Weiskius aliquid deſideret, non aſſequor. *Non faciam* reſpicit antecedens — *commutem* et *retexam?* cui reſpondet Matius his verbis *non faciam*; (*das werde ich gewiſs nicht thun.*)

quod diſpliceat] quod cuiquam bono recte diſplicere poſſit, niſi quod Caeſaris gravem caſum doleo, quod ut dixi, nemo niſi ſuperbus mihi vitio vertere poteſt.

ludos] eos, ut opinor, de quibus Plinius lib. II. c. 45. *Cometes apparuit ludis, quos faciebat Auguſtus Veneri genitrici, non multo poſt obitum Caeſaris.* Et Suetonius Iul. c. 88. *ludis quos primos conſecrato ei heres Auguſtus ede-*

ribus praestare, etiam mortui, debui: et optimae spei adolescenti ac dignissimo Caesare repetenti negare non potui. Veni etiam consulis Antonii domum saepe, salutandi causa: ad quem, qui me parum patriae amantem esse existimant, rogandi quidem aliquid aut auferendi causa, frequentes ventitare reperies. Sed quae haec est arrogantia, quod Caesar numquam interpellavit, quin, quibus vellem, atque etiam, quos ipse non diligebat, tamen iis uterer: eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne, quos velim, diligam? Sed non vereor, ne aut meae vitae modestia parum valitura sit in posterum contra falsos rumores: aut ne etiam ii, qui me non amant, propter meam in Caesarem constantiam, non malint mei, quam sui similes amicos habere. Mihi quidem si opta-

---

bat, stella crinita per septem continuos fulsit. Et Dio lib. XLV. scribit Octavianum ludos fecisse suis sumptibus ob perfectam Veneris genetricis aedem. *Man.*

etiam mortuo] est ablativus absolutus, etiam quum mortuus sit, vel etiam post mortem.

dignissimo Caesare] qui patre Caesare dignissimus est. Sic olim emendavimus ex libro Io. Scalae, quum legeretur in omnibus et vulgatis et scriptis libris *dignissimo Caesari repetenti.* — *Manut.*

repetenti] Hanc plurimorum codd. lectionem, cum Weiskio et Benedicto servandam censui. In multis edd. est *petenti.* Ponitur autem *repetere* eo sensu, quo et alibi occurrit, pro *iure suo petere.*

carpendo me efficere] Benedictus e Dresd. 1. et 2. recepit *carpendo me afficere*, quod ei eleganter positum videtur pro *instigare*, *permovere.*

aut ne — non malint — habere] Pulcherrimam hanc sententiam Reichardus mire pervertit (in vers. epp. ad Att. germanica T. IV. p. 292.) sic vertendo: *es wird mich nicht bekümmern*, *wenn diejenigen — sich Freunde zu machen suchen*, *die nicht sowohl mir*, *als vielmehr ihnen ähnlich sind.* Vertere debebat: *Ich fürchte nicht*, *daſs die*, *welche mir meiner treuen Anhänglichkeit an Cae-*

ta contingent, quod reliquum est vitae, in otio Rhodi degam: sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romae, ut recte fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas ago gratias, quod tuum erga me animum simplicem atque amicum aperuit: et quod eum, quem semper lubenter dilexi, quo magis iure colere, atque observare deberem, fecit. Bene vale, et me dilige.

EPISTOLA DCCXVII. (ad Att. XV. 5.)

Scr. in Atinati VIII. Kal. Iun. A. V. C. 709.

De literis a Bruto et Cassio acceptis refert, sibique certum esse periculi vitandi causa ad urbem non venire scribit.

CICERO ATTICO S.

A Bruto tabellarius rediit; attulit et ab eo, et Cassio. Consilium meum magnopère exquirunt; Brutus quidem, utrum de duobus. O rem miseram! plane non habeo, quid scribam. Itaque silentio puto me usurum; nisi quid aliud tibi videtur. Sin tibi quid venit in mentem, scribe quaeso. Cassius vero vehementer orat ac petit, ut Hirtium quam optimum fa-

---

sar wegen nicht hold sind, nicht eher sich Freunde, die mir, als die ihnen gleichen, wünschen sollten. Carpit enim eorum perfidiam qui quum se Caesaris amicos simularent, eum capitali odio prosecuti erant.

contingent] Nil opus, quod Ernestius voluit reponere *contingant.*

Epist. DCCXVII. *et a Cassio*] Aliquot codd. addunt *literas,* probante Malaspina.

utrum de duobus] utrum Romam eant, ut in Senatu Kal. Iun. adsint, an in iisdem locis maneant periculi causa de quo mox infra. *Popma.*

orat ac petit] Lambinus coni. *errat. Petit* — Et hoc quidem verissimum puto. Cicero enim fortiori *orat* non subiunxisset, id quod levius est, *petit;* praeterea illo *vehementer errat* praeparatur id quod sequitur: *Sanum putas?*

ciam. Sanum putas? ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς. Epistolam tibi misi. Ut tu de provincia Bruti, et Cassii per senatus consultum, ita scribit et Balbus et Hirtius. Qui quidem, se actutum. Etenim iam in Tusculano est: mihique, ut absim, vehementer auctor est; et ille quidem periculi causa; quod sibi etiam fuisse dicit; ego autem, etiam ut nullum periculum sit; tantum abest, ut Antonii suspicionem fugere nunc curem, ne videar eius secundis rebus non delectari, ut mihi causa sit, cur Romam venire nolim, ne illum videam. Varro autem noster ad me epistolam misit, sibi a nescio quo missam; (nomen enim delerat) in qua scriptum erat, veteranos eos, qui reiiciantur (nam partem esse dimissam) improbissime loqui; ut magno periculo Romae sint futuri, qui ab eorum partibus dissentire videantur. Qui porro noster itus, reditus, vultus, incessus inter

---

ὁ γναφεὺς ἀνθρακεύς] Recte sic Bosius: *fullo carbonarius*. Fullonis est togam sordidam eluendo reddere nitidam; et carbonarius denigrat. Qui in hoc homine fulloniam exerceat, in fine operis se carbonarium fuisse videbit. Nihil enim profecerit, nigriorem eum et turpiorem reddet. Vel ita, quo magis ei honesta praecipio et inculco, eo minus proficio; eo deteriorem ille se prodit; magisque infectum veneno Caesariano. *Gronov.*

per S. C.] per senatus consultum iis decernenda.

se actutum] i. e. Romae futurum; ut in senatu quoque adesse Kalendis Iuniis possit. Alii supplent: *Roma abiturum*. Verum hoc minus aptum est. Nam nunc Hirtius erat in Tusculano; et quoniam scripserat se mox in urbe futurum, quaesivit ex eo Cicero quod ex ep. seq. intelligitur, an rure iam redierit in urbem; tum ei Hirtius respondit, se non modo rediisse, sed etiam iam discessisse iterum ex urbe in Tusculanum. Fuerunt etiam qui legerent *se acturum*, quod non satis convenit verbis proxime sequentibus.

periculi causa] sc. ut urbe absim monet.

qui reiiciantur] a portione publici agri, quem Antonius veteranis dividebat.

istos? quod si, ut scribis, L. Antonius in Decimum, reliqui in nostros; ego quid faciam? aut quo me pacto geram? mihi vero deliberatum est, ut nunc quidem est, abesse ex ea urbe, in qua non modo florui cum summa, verum etiam servivi cum aliqua dignitate. Nec tam statui ex Italia exire, de quo tecum deliberabo, quam istuc non venire.

EPISTOLA DCCXVIII. (ad Att. XV. 8.)

Scr. in Tusculano VI. Kal. Iun. A. U. C. 709.

De literis ad Antonium missis, et de periculo agri Tusculani in Graeceii epistola memorato.

CICERO ATTICO S.

Post tuum discessum binas a Balbo; nihil novi: itemque ab Hirtio; qui se scribit vehementer offensum esse veteranis. Exspectat animus, quidnam agam de Kalendis. Misi igitur Tironem, et cum Tirone

---

L. Antonius in Decimum] Si L. Antonius M. frater in Decimum Brutum invehetur.

in nostros] Hac voce semper M. Brutum et C. Cassium designat, ut ep. 4. (h. ed. 710. *scribis te nescire quid nostris faciendum sit.* Id. XIV. r. XV. 6. (h. ed. 679. 717.) *Manut.*

Epist. DCCXVIII. *Post tuum discessum*] Nempe Cicero ex Atinati in Tusculanum venerat VI. Kal. Iun. cf. ep. 709. ibi statim Atticus ad eum accurrit; quod se facturum promiserat, ut ex eadem epistola cognoscitur.

ab Hirtio] qui ex Tusculano suo venerat in urbem, ibique veteranorum improbos sermones audierat, iisque se valde offensum esse scripserat.

de Kalendis] Vulgo ineptissime addebatur *Martiis:* quod iam Popma tollendum esse monuerat. Intelliguntur autem Kalendae Iuniae, quae proxime instabant; de quibus quid agat, Cicero etiamnum se dubitare scribit; utrum eo die Romam veniat, et in senatu adsit, an potius periculum vitaturus rure se contineat.

plures, quibus singulis, ut quidque accidisset, dares literas: atque etiam scripsi ad Antonium de legatione: ne, si ad Dolabellam solum scripsissem, iracundus homo commoveretur. Quod autem aditus ad eum difficilior esse dicitur; scripsi ad Eutrapelum, ut is ei meas literas redderet, legatione mihi opus esse. Honestior est votiva: sed licet uti utraque. De te, quaeso, etiam atque etiam vide. Velim possis coram: si minus possis, literis idem consequemur. Graeceius ad me scripsit, C. Cassium sibi scripsisse, homines comparari, qui armati in Tusculanum mitterentur. Id quidem mihi non videbatur; sed cavendum tamen, villaeque plures videndae. Sed aliquid crastinus dies ad cogitandum nobis dabit.

---

plures] nempe servos tabellarios.

difficilior] Corradus id refert ad metum Antonii, ne ab Octavio interficeretur, collata ep. 25. lib. XII. ad Fam. Sed quod ibi Cicero de Octavii consilio Antonium interficiendi vel vero, vel ficto commemorat, serius accidisse videtur. Malo igitur de tempore Antonii multis negotiis occupato intelligere.

Eutrapelum] Volumnium Eutrapelum, Antonii familiarissimum, qui etiam illi amicam suam Cytheridem concesserit Philipp. II. 24. ad Fam. IX. 26. (h. ed. 474.) *Manut.*

utraque] tam provinciali, quam votiva. *Manut.*

de te] Scripserat Atticus, sibi quoque in animo esse legationem liberam petere, sed usurum in ea re Ciceronis consilio. cf. ep. 9. (h. ed. 720.) *Manut.*

Graeceio] est idem qui nominatur Epp. ad Fam. XI. 7. 12. Et videtur Cassio, item M. et D. Brutis familiaris fuisse, fortasse etiam in huius exercitu locum tenuisse.

ad cogitandum nobis dabit] Sic vetus liber Ursini. Vulgo *ad cogitandum nobis de ea re.*

EPISTOLA DCCXIX. (ad Att. XV. 6.)

Scr. in Tusculano IV. Non. Iun. A. U. C. 709.

Narrat se ad Hirtium scripsisse epistolaeque ab eo acceptae exemplum mittit, et quid ei responderit significat.

CICERO ATTICO S.

Quum ad me Brutus noster scripsisset et Cassius, ut Hirtium, quem adhuc bonum fuisse sciebant, neque eum confidebant fore, mea auctoritate meliorem facerem, (Antonio est enim fortasse iratior, causae vero amicissimus) tamen ad eum scripsi, eique dignitatem Bruti, et Cassii commendavi. Ille quid mihi rescripsisset, scire te volui; si forte idem tu, quod ego, existimares, istos etiam nunc vereri, ne forte ipsi nostri plus animi habeant, quam habent.

HIRTIUS CICERONI SUO, S.

Rure iam redierim, quaeris. An ego, quum omnes caleant, ignaviter aliquid faciam? etiam ex urbe sum profectus. Utilius enim statui abesse.

Epist. DCCXIX. *istos*] Caesarianos.

iam redierim] in urbem.

quum omnes caleant] Iocose videtur dictum. Nempe Kalendis Iuniis, quibus Antonius ut senatores adessent edixerat, consules designati, quorum unus Hirtius erat, negaverant se audere in senatum venire, Philipp. I. 2. plerique etiam senatores diffugerant. Cicero ipse ad urbem accessisse non videtur, quamquam Philipp. II, 42. sic loquitur: *Kalendis Iuniis, quum in senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repente diffugimus.* Nam si ipse Kalendis Iuniis Romae fuisset, certe Hirtii epistola opus non fuisset, ut Ciceroni, se iam ex urbe profectum, significaret. Hirtius igitur hoc innuere videtur: Quum tot alii fortiter ex urbe diffugerint, ego tam ignavus essem, ut ibi sederem? Ceterum Gronovio melius videbatur legi: *etiam ex urbe iam profectus* (*utilius enim statui*

Has tibi literas exiens in Tusculanum scripsi. Noli autem me tam strenuum putare, ut ad Nonas recurram. Nihil enim iam video opus esse nostra cura, quoniam praesidia sunt in tot annos provisa. Brutus et Cassius utinam, quam facile a te de me impetrare possunt, ita per te exorentur, ne quod calidius ineant consilium! Cedentes enim haec ais scripsisse; quo? aut quare? Retine, obsecro te, Cicero, illos; et noli sinere haec omnia perire, quae funditus mediusfidius rapinis, incendiis, caedibus pervertuntur. Tantum, si quid timent, caveant; nihil praeterea moliantur Non mediusfidius acerrimis consiliis plus, quam etiam inertissimis, dummodo diligentibus, consequentur. Haec enim, quae fluunt, per se diuturna non sunt;

---

abesse, has tibi literas exiens in Tusculanum scripsi.)

ut ad Nonas] quo die iterum poterat senatus cogi.

in tot annos] Praesidia vocat magistratus, quos Caesar paucis diebus, antequam occideretur, designaverat in biennium, ut scribit Cicero XIV. 6. (h. ed. 684.) et Dio lib. XLII. Sed Appianus lib. III. recitat orationem Antonii habitam in Senatu, in qua dicit a Caesare in quinquennium ordinatos et urbanos et provinciales magistratus, omnesque dignitates et praefecturas exercituum. Cui videtur Hirtius hic consentire, et Suetonius Iulio cap. 76. quum ait: *Eadem licentia spreto patriae more magistratus in plures annos ordinavit.* — *Popma.*

de me impetrare possunt] scil. ne ipse aliquid calidius faciam.

ne, quod calidius] Sic edendum curavi, auctoritatem veterum codicum secutus, reiecta vulgata lectione: *callidius.* Porro *calidius* interpretor θερμότερον, audacius, acrius, iracundum, subito captum, et quasi praecipitatum; *callidius* enim hic locum habere non potest. *Lambin.*

quam inertissimis — dummodo diligentibus] h. e. lentissimis, dummodo prudenter institutis, et probe deliberatis.

per se diuturna non sunt] Bruto enim et Cassio rem ad

in contentione praesentes ad nocendum habent vires. Quid speres de illis, in Tusculanum ad me scribe.

Habes Hirtii epistolam: cui rescripsi, nil illos calidius cogitare, idque confirmavi. Hoc qualecunque esset, te scire volui. Obsignata iam epistola, Balbus ad me; Serviliam rediisse, confirmare non discessuros. Nunc exspecto a te literas.

EPISTOLA DCCXX. (ad Att. XV. 7.)

Scr. in Tusculano V. Kal. Iun. A. U. C. 709.

Gratas sibi fuisse epistolas ab Attico missas, in primis Sex. Peducei scribit, et Servii sedulitatem in pacificatione tangit.

CICERO ATTICO S.

Gratum, quod mihi epistolas; quae quidem me delectarunt, in primis Sexti nostri. Dices, quia te laudat. Puto mehercule id quoque esse causae; sed tamen etiam ante, quam ad eum locum veni, valde mihi placebat, quum sensus eius de re publica, tum scribendi cura. Servius vero pacificator cum librario-

---

contentionem deducentibus haec mala diuturna erunt, quae ipsa per se non essent. Verebatur enim Hirtius, ne Cassius et Brutus eo consilio discederent, ut exercitu comparato armati redirent de re publ. dimicaturi: ideo dixit Cicero: *isti verentur, ne nostri plus animi habeant, quam habent. — Manut.*

Serviliam] M. Bruti matrem, sororem Catonis Uticensis. *Manut.*

rediisse — non discessuros] Balbus ad me scripsit Serviliam Lanuvio, ubi Brutum et Cassium viderat, rediisse, eamque confirmare eos Italia haud exituros.

Epist. DCCXX. *Sexti*] non Pompeii, ut Manutius putabat, sed Sex. Peducei, quod Corradus aliique viderunt. cf. ep. 307.

quia te laudat] scilicet Peduceus librum a Cicerone nuper editum laudaverat. cf. ad Att. XV. 13.

Servius vero pacificator] Servius Sulpicius ICtus illo tempore privatim multos

lo suo videtur obiisse legationem, et omnes captiunculas pertimescere. Debuerat autem, *non ex iure manu consertum;* sed quae sequuntur. Tu quoque scribes.

EPISTOLA DCCXXI. (ad Att. XV. 9.)

Scr. in Tusculano a. d. III. Non. Iun. A. U. C. 709.

Commemorat quid e Balbi literis compererit, de legatione frumentaria Bruto et Cassio, itemque de provinciis iis decernendis, animique sui perturbationem significat.

CICERO ATTICO S.

Tertio Nonas vesperi a Balbo redditae mihi literae, fore Nonis senatum, ut Brutus in Asia, Cassius in Sicilia frumentum emendum et ad urbem mittendum curarent. O rem miseram! primum ullam ab istis, dein, si aliquam, hanc legatoriam provinciam?

---

conveniebat et ad pacem hortabatur. Recte enim Popma monuit hic non agi de legatione publica, quam anno sequente ad Antonium missus obiit.

omnes captiunculas pertimescere] quae diligenter vitare solent iurisperiti. Agit Servius de pace, ut legatus, agit caute, ut iurisconsultus, captiones timens. *Manut.*

non ex iure manu consertum] Respicit versiculos Ennii:

Non ex iure manu consertum sed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt solida vi.

sed quae sequuntur] Cicero scilicet, qui ipse a bellicis rebus gerendis vehementer abhorrebat, valde tamen cupiebat, ut Brutus et Cassius bello Antonium persequerentur, eorumque quietem compluribus locis improbat.

Epist. DCCXXI. *primo ullam ab istis*] indignatur Cicero Brutum et Cassium in eam necessitatem venisse, ut a Caesarianis praesertim provinciam aliquam acciperent.

legatoriam] per contemptum, quod quasi legati ad curandum frumentum mitterentur. Scribit Appianus lib. III. de B. C. senatum Bruto et Cassio timentem

Atque haud ſcio an melius ſit, quam ad Eurotam ſedere. Sed haec caſus gubernabit. Ait autem, eodem tempore decretum iri, ut iis et reliquis praetoriis provinciae decernantur. Hoc certe melius, quam illa Perſice porticus. Nolo enim Lacedaemonem Lanuvium exiſtimari. Rides, inquies, in talibus rebus?

---

demandato rei frumentariae munere honeſte illos amandaſſe. *Manut.* Lambino placebat *relegatoriam*, quod viris quibusdam doctis in mentem venerat.

ad Eurotam ſedere] Brutus in Lanuvino ſuo rivum qui hoc praedium irrigabat, Eurotae fluvii Lacedaemonem praeterlabentis nomine appellaverat. Ait igitur Cicero melius eſſe Brutum hanc legationem frumentariam obire, quam otioſum in Lanuvino ſedere. cf. ep. 689.

quam illa Perſice porticus] Vitruvius lib. I. c. 1. *Lacones, inquit, Pauſania Ageſipolidis filio duce, Plataeeo proelio pauca manu infinitum numerum exercitus Perſarum quum ſuperaviſſent, acto cum gloria triumpho* porticum Perſicam *ex manubiis laudis et virtutis civium indicem poſteris pro tropaeo conſtituerunt, ibique captivorum ſimulacra barbarico veſtis ornatu, ſuperbia meritis contumeliis punita ſustinentia tectum collocaverunt, uti et hoſtes horreſcerent timore eorum fortitudinis affecti, et cives ad exemplum virtutis aſpicientes, gloria eventi ad defendendam libertatem eſſent parati.* Brutus igitur porticum in Lanuvino ſuo exſtructam, ad Lacedaemoniae illius ſimilitudinem *Perſicen porticum* appellaverat. Itaque nunc Cicero dicit, hoc certe melius eſſe Brutum in provinciam ire, quam Lanuvii in illa Perſica porticu ſedere.

nolo enim Lacedaemonem Lanuvium exiſtimari] Ita mihi videtur hic locus e veſtigiis corruptarum lectionum optime conſtitui. Senſus eſt: etſi enim Brutus in Lanuvino Eurotam et Perſicen porticum imitatus eſt, nemo tamen Lanuvium Lacedaemonem eſſe exiſtimaverit, neque vero ſi Lanuvii ſedere pergeret, libertatem populi Romani defendere poſſet. In cod. Tornaeſ. legabatur: *nolo enim Lacedaenem longinquo quem Lanuvium exiſtimari* Cruſell. *nolo enim Lacedaemonem loci in quo quoniam Lanuvium exiſtimari.* Beſſarionis liber:

Quid faciam? plorando fessus sum. Dii immortales! quam me conturbatum tenuit epistolae tuae prior pagina? quid autem iste in domo tua casus armorum? Sed hunc quidem nimbum cito transiisse laetor. Tu quid egeris de tua tum tristi, tum etiam difficili ad consiliandum legatione, vehementer exspecto. Est enim inexplicabilis, ita circumsedemur copiis omnibus. Me quidem Bruti literae, quas ostendis a te lectas, ita perturbarunt, ut, quamquam ante egebam consilio, tamen animi dolore sim tardior. Sed plura, quum ista cognoro. Hoc autem tempore, quod scriberem, nihil erat, eoque minus, quod dubitabam, tu has ipsas literas essesne accepturus. Erat enim incertum, visurusne te esset tabellarius. Ego tuas literas vehementer exspecto.

EPISTOLA DCCXXII. (ad Att. XV. 10.)

Scr. in Tusculano circa Nonas Iunias A. U. C. 709.

Incertum se esse fatetur quidnam Bruto consilii det.

CICERO ATTICO S.

O Bruti amanter scriptas literas! o iniquum tuum tempus, qui ad eum ire non possis! Ego autem quid scribam? Beneficio istorum utantur? Quid turpius? — Ut moliantur aliquid? Nec audent, nec iam possunt. Age; quiescant auctoribus nobis? quis incolumitatem praestet? Si vero aliquid de Decimo gravius; quae no-

---

nolo enim Lacedaemonem cum Lanuvium existimavit. I. F. Gronovius probante Graevio corrigebat: *nolo enim Lacedaemonem longinquiorem Lanuvio existimaris.*

quid egeris de tua] quid egeris de impetranda libera legatione. Inserui praepositionem *de;* quae in edd. abest. Hac enim omissa sensus esset, *quid legatione tua perfeceris*, quod est ineptum.

Epist. DCCXXII. *ut beneficio utantur*] frumenti curandi mandato.

de Decimo gravius] Veram hanc lectionem e cor-

ſtris vita, etiam ſi nemo moleſtus ſit? Ludos vero non facere, quid foedius? Frumentum imponere, quae eſt alia Dionis legatio? aut quod munus in re publica ſordidius? Prorſus quidem conſilia tali in re ne iis quidem tuta ſunt, qui dant. Sed poſſim id negligere proficiens. Fruſtra vero qui ingrediar? Matris conſilio quum utatur, vel etiam precibus, quid me interponam? Sed tamen cogitabo, quo genere utar literarum. Nam ſilere non poſſum. Statim igitur mittam vel Antium, vel Circaeos.

---

ruptis MSſ. eruit Gronovius. Senſus eſt: Si Antonius gravius conſulat in Decimum Brutum, ut ei eripiat provinciam Galliam, quemadmodum paullo poſt tentavit, Mutinam obſidendo, quam aegre hoc ferent Brutus et Caſſius, etiamſi eos nemo adoriatur.

Ludos vero non facere] Apollinares, quos ut praetor facere debebat.

frumentum imponere] Mandare Bruto et Caſſio ut frumentum curent, hoc eſt eos ſpecie legationis tanquam in exſilium mittere; ſicuti Dionyſius tyrannus Dionem ablegavit, quum tamen eum diceret non in exſilium a ſe miſſum, ſed paululum ſeceſſiſſe. Plutarchus et Nepos. Quamquam apud eos legationis nulla mentio. Sed potuit Dionyſius ad tollendam invidiam facti inter cetera et hoc fingere, Dionem a ſe legatum aliquo miſſum. *Manut.*

ſordidius] Quomodo ſordidum munus, cura annonae? quae Pompeio mandata eſt, eique tanto honori fuit? Sed aliter Pompeio decreta, aliter his deſtinabatur, opinor. Illi cum imperio, his labor tantum et cura emendi. *Erneſti.*

proficiens] In tali re, ſi quis velit illis conſilium dare, ſine periculo non poſſit; ſed ego ſi modo quid proficere, et illos conſilio iuvare poſſem, periculum negligerem. *Manut.*

ſtatim igitur mittam] Literas miſiſſe haud videtur, quum ipſe ſtatim ad Brutum profectus ſit Antium, cf. ep. 723.

EPISTOLA DCCXXIII. (ad Att. XV. 11.)

Scr. in Antiati V. Id. Iun. A. U. C. 709.

Narrat suum cum Bruto et Cassio colloquium; ac Dolabellam se sibi legasse nuntiat.

CICERO ATTICO S.

Antium veni ante VI Idus. Bruto iucundus noster adventus. Deinde multis audientibus, Servilia, Tertulla, Porcia, quaerere, quid placeret. Aderat etiam Favonius. Ego, quod eram meditatus in via, suadere, ut uteretur Asiatica curatione frumenti; nihil esse iam reliqui, quod ageremus, nisi ut salvus esset. In eo etiam ipsi rei publicae esse praesidium. Quam rationem quum ingressus essem, Cassius intervenit. Ego eadem illa repetivi. Hoc loco, fortibus sane oculis,

---

Epist. DCCXXIII. *ante* VI *Idus*] Sic verissime correxit Strothius in sylloge epistolarum Cic. selectarum quum vulgo esset *ante VI Kal.* „Neque enim, inquit, Kalendae Iuniae intelligi possunt; tunc enim frumentaria legatio Bruti et Cassii nondum decreta erat, (quod factum demum Nonis Iuniis) neque Iuliae, tum enim sera, utrum obeundum sit hoc negotium necne, deliberatio fuisset, quam in recenti fuisse ex tota epistola apparet; neque omnino Kalendae, quum in fine epistolae dicat: *Dolabella me sibi legavit a. d. IV. Nonas, id mihi heri vesperi nuntiatum est.* Post XXIII igitur diem? quomodo probabile hoc? Puto fuisse V. I. id est V. Idus, iunctis deinde literis VI. effectum; tum a librario *Kal.* additum est.„ Hactenus ille.

Servilia — Porcia] Servilia Bruti mater, Tertulla eius soror Cassio nupta, Porcia Bruti uxor, M. Catonis filia.

Favonius] M. Favonius ille Catonis aemulus, Bruti familiaris, post praelium Philippense captus, et quum catenatus produceretur in Caesarem Octavianum acerbissime invectus. Suet. Aug. 13.

ut salvus esset] Ita rescripsi pro vulg. *ut salvos esse.*

Caſſius, (Martem ſpirare diceres,) ſe in Siciliam non iturum. „Egone, ut beneficium accepiſſe in contumeliam?„ — Quid ergo agis? inquam. — At ille, in Achaiam ſe iturum. — Quid tu, inquam, Brute? — Romam, inquit, ſi tibi videtur. — Mihi vero minime; tuto enim non eris. — Quid, ſi poſſem eſſe? placeretne? — Atque ut omnino, neque nunc, neque ex praetura in provinciam ires? ſed auctor non ſum, ut te urbi committas. Dicebam ea, quae tibi profecto in mentem veniunt, cur non eſſet tuto futurus. Multo inde ſermone querebantur, atque id quidem Caſſius maxime, amiſſas occaſiones; Decimumque graviter accuſabat. Ego negabam oportere praeterita: aſſentiebar tamen. Cuumque ingreſſus eſſem dicere, quid oportuiſſet, (nec vero quidquam novi, ſed ea, quae quotidie omnes;) nec tamen illum locum attingerem, quemquam praeterea oportuiſſe tangi, ſed ſenatum vocari, populum ardentem ſtudio vehementius incitari, totam ſuſciperem rem publicam: exclamat tua familiaris: *hoc vero neminem umquam audivi.* Ego repreſſi. Sed et Caſſius mihi videbatur iturus: (etenim Servilia pollicebatur ſe curaturam, ut illa frumenti curatio de ſenatus conſulto tolleretur,) et noſter cito deiectus eſt

---

accepiſſe] ſcil. videar.

occaſiones — accuſabat] occaſiones liberandae rei publ. et ſecuritatis reſtituendae; Decimum accuſabat, quod ille auctor fuerat Antonii non interficiendi cum Caeſare, quod ſuaſerat Caſſius. *Erneſti.*

nec vero — omnes] Hoc in parentheſi dictum, quod non animadverſum fecit locum corruptelis. Hoc poſito correxi *attingerem*, ut voluit I. F. Gronovius, ut paulo poſt pro *ſuſcipere*, *ſuſciperem*, quod et edd. pr. habent; denique *vocari*, *incitari*, pro *vocare*, *incitare*, ut iam fecit e Mſſ. Graevius, et ſic pariter habent edd. Rom. Ienſ. Aſc. Ald. — *Tangi* eſt interfici. *Erneſti.*

tua familiaris] Servilia.

audivi] ſcil. ſuadere.

et noſter] M. Brutus omi-

de illo inani sermone. Velle enim se dixerat. Constituit igitur, ut ludi, absente se, fierent suo nomine. Proficisci autem mihi in Asiam videbatur ab Antio velle. Ne multa; nihil me in illo itinere, praeter conscientiam, delectavit. Non enim fuit committendum, ut ille ex Italia prius, quam a me conventus esset, discederet. Hoc dempto munere amoris atque officii, sequebatur, ut mecum ipse:

Ἡ δεῦρ' ὁδός σοι τί δύναται νῦν, θεοπρόπε;

Prorsus dissolutum offendi navigium, vel potius dissipatum. Nihil consilio, nihil ratione, nihil ordine. Itaque etsi ne antea quidem dubitavi, tamen nunc eo minus, evolare hinc; idque quamprimum, ubi

„*Nec Pelopidarum facta, neque famam audiam.*

Sed heus tu, ne forte sis nescius, Dolabella me sibi legavit a. d. IV Nonas. Id mihi heri vesperi nuntiatum est. Votiva ne tibi quidem placebat. Etenim erat absurdum, quae, si stetisset res publica, vovis-

---

sit celeriter, quod ante temere dixerat se Romam iturum.

velle enim se dixerat] Haec mihi insititia videntur. Nam quum statim sequatur: *constituit — nomine*, quem inanem illum Brutum sermonem significaret, satis declaratum erat, nempe quod dixerat Romam se iturum. Quid? quod illis verbis, haud satis definite enuntiatis, nihil ad intelligendum proficitur.

ἡ δεῦρ' ὁδός] *iter huc susceptum cui usui tibi nunc est vates?* Senarius videtur Sophocleus Valckenario diatr. ad Eurip. fr. p. 192. cuius initio infra quoque utitur ad Att. XVI. 6. Particulam *νῦν* vel Cicero ipse vel aliquis librarius infersit, opinor.

Pelopidarum] Antoniorum. Initio huius senarii utitur Ep. 691. At ep. 652. eum sic effert: *ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam.*

me sibi legavit] decrevit ut sibi in Syriam ituro legatus essem. Hoc ius legationis concessum erat Ciceroni in quinquennium.

ad IV. Nonas] Iunias. Falso olim addebatur *April.*

sem, ea me, eversa illa, vota dissolvere: et habent, opinor, liberae legationes definitum tempus lege Iulia; nec facile addi potest. Aveo genus legationis, ut, quum velis, introire, exire liceat: quod nunc mihi additum est. Bella est autem huius iuris quinquennii licentia. Quamquam quid de quinquennio cogitem? Contrahi mihi negotium videtur. Sed βλάσφημα mittamus.

EPISTOLA DCCXXIV. (ad Att. XV. 12.)

Scr. in Antiati IV. Id. Iun. A. U. C. 709.

Repetit breviter quae de Bruto et Cassio scripserat, additque pauca de L. Antonii literis, et de Octaviani ingenio et animo.

CICERO ATTICO S.

Bene mehercule de Buthroto. At ego Tironem ad Dolabellam cum literis, quia iusseras, miseram.

---

nec facile — legationis] Haec ita referebat cod. Crusell. *nec facile addi potest ad idque adeo g. l.* unde correxit Bosius: *ad id, quod ad deos.* Vulgo: *nec facile addi potest: idque adeo g. l.* Lambino legendum videtur *nec facile addi potest ad hoc genus legationis;* dicitque libros Mss. non habere *idque;* *adeo* autem corruptum esse pro *ad hoc*, vel *ad, id*, quod ultimum recte habere Mss. asseruit Ursinus. Iunius vero ex suis omnibus Mss. legit *nec facile addi potest adeo genus legationis.* Hactenus *Clericus.* Certe quum et Balliol. MS. non habeat aliud, nisi quod protulit Iunius, non dubitavi in eo veram latere lectionem: *nec facile addi potest. Aveo genus legationis,* quam in contextum admisi. *Iac. Gronov.*

contrahi — videtur] Oraculum Ciceronis, quod eventus comprobavit. Proximo enim anno interfit. *Casaub.*

sed βλάσφημα mittamus] sed ne nobis male ominemur. *Manut.*

Epist. DCCXXIV. *de Buthroto*] Atticus ad Ciceronem scripserat, consules de consilii sententia decrevisse secundum Buthrotios cf. epist. 738. 739.

ad Dolabellam] quem ut

Quid nocet? De nostris autem Antiatibus satis videbar plane scripsisse, ut non dubitares, essent quin otiosi futuri, usurique beneficio Antonii contumelioso. Cassius frumentariam rem aspernabatur. Eam Servilia sublaturam ex senatus consulto se esse dicebat. Noster vero, καὶ μάλα σεμνός, in Asiam, postea quam mihi est assensus tuto se Romae esse non posse. Ludos enim absens facere malebat. Statim autem se iturum, simul ac ludorum apparatum iis, qui curaturi essent, tradidisset. Navigia colligebat. Erat animus in cursu. Interea in eisdem locis erant futuri. Brutus quidem se alebat Asturae. L. quidem Antonius liberaliter literis sine cura me esse iubet. Habeo unum beneficium; alterum fortasse, si in Tusculanum venerit. O negotia non ferenda! quae feruntur tamen. Τῶν δ' αἰτίαν τῶν Βρούτων τίς ἔχει? Octaviano, ut perspexi, satis ingenii, satis animi: videbaturque erga nostros

---

Buthrotiis faveret rogaverat.

Antiatibus] Bruto et Cassio, qui tum Antii commorabantur.

noster vero — σεμνός] Brutus autem noster et valde quidem gravis dicebat se in Asiam iturum.

ludos] Apollinares, quos praetor facere debebat.

L. quidem Antonius] Marci consulis frater.

si in Tusculanum] Rumor enim erat L. Antonium cum armatis venturum, ut agrum Tusculanum divideret. cf. ep. 717. Itaque iam tum Cicero praedio suo Tusculano timebat. Hoc autem loco dicit, alterum fortasse beneficium ab eo accipiam, si in agrum Tusculanum venerit, et praedio meo et villa abstinuerit. Ceterum Bosius e Cruqell. pro *si in Tusculanum* reposuit *ni in Tusculanum venerit.* Sed si ita Cicero scripsisset, non addidisset *fortasse;* nam si L. Antonius prorsus non venisset in agrum Tusculanum, id Cicero non fortasse, sed certo poterat in beneficii loco ponere.

τῶν δ' αἰτίαν] *Quis Brutorum* (Marcusne an Decimus) *huius rei culpam sustinet*, scil. quod non una cum Caesare Antonius quoque sit interfectus.

ἥρωας ita fore, ut nos vellemus, animatus. Sed quid aetati credendum sit, quid nomini, quid hereditati, quid κατηχήσει, magni consilii est. Vitricus quidem nihil censebat; quem Asturae vidimus. Sed tamen alendus est: et, ut nihil aliud, ab Antonio seiungendus. Marcellus praeclare, si praecipit nostro nostri: cui quidem ille deditus mihi videbatur. Pansae autem et Hirtio non nimis credebat. Bona indoles, ἐὰν διαμείνῃ.

---

quid aetati — κατηχήσει] *quid aetati*, ut adolescenti XVIII annorum, *quid nomini*, quum se Caesarem appellet, et verendum sit, ne patris adoptivi mores imitetur, *quid hereditati* ab eo acceptae, *quid κατηχήσει* denique fidendum sit, i. e. *institutioni* Caesarianorum.

vitricus] L. Marcius Philippus.

nihil censebat] ei fidendum.

Marcellus] Hic Octaviani sororem in matrimonio habebat.

si praecipit nostro nostri] Manutius putabat hoc sic intelligendum: si praecipit Q. nostro, Quinti nostri filio. Verum ex antecedentibus intelligitur de Octaviano sermonem esse. Legendum vero suspicor: *si praecipit puero de nostris.* Nam *nostro* de Octaviano, ut quibusdam visum, accipi nequit, eum nusquam Cicero *nostrum* vocat. Puerum vero saepius appellat.

cui quidem ille] quem Marcellum Octavianus colere videbatur.

bona indoles] bonam indolem Octaviani appellat, quod antea satis ingenii, satis animi, in eo esse, eumque erga Brutum et Cassium bene animatum visum dixerat.

ἐὰν διαμείνῃ] si permanserit.

EPISTOLA DCCXXV. (ad Att. XV. 16.)

Scr. in villa ad Lucrinum IV. Id. Iun. A. U. C. 709.

De literis a filio acceptis, Leonidaeque et Herodis de eo testimoniis.

CICERO ATTICO S.

Tandem a Cicerone tabellarius; et mehercule literae πεπινωμένως ſcriptae; quod ipſum προκοπὴν aliquam ſignificat: itemque ceteri praeclara ſcribunt. Leonidas tamen retinet ſuum illud *adhuc*; ſummis vero laudibus Herodes. Quid quaeris? vel verba mihi dari facile patior in hoc, meque libenter praebeo credulum. Tu, velim, ſi quid tibi eſt a Statio ſcriptum, quod pertineat ad me, certiorem me facias.

EPISTOLA DCCXXVI. (ad Att. XV. 16. extr.)

Scr. in villa ad Lucrinum III. Id. Iun. A. U. C. 709.

Oſtendit ſe mox in Tuſculanum cogitare.

CICERO ATTICO S.

Narro tibi, haec loca venuſta ſunt, abdita certe, et, ſi quid ſcribere velis, ab arbitris libera. Sed ne-

---

Epiſt. DCCXXV. πεπινωμένως — προκοπὴν] literae filii ſunt nitide et eleganter ſcriptae quod ipſum progreſſum, aliquem in ſtudiis ſignificat. Iam ſupra epiſt. 686. laudaverat aliam filii epiſtolam, ſcripſeratque πίνος literarum eum doctiorem ſignificare.

ſignificat] Vulgo *ſignificaret.*

ſuum — ADHUC] ep. 697. dixerat Leonidam de filio ſcripſiſſe: *quomodo nunc eſt, laudari meretur.*

Epiſt. DCCXXVI. *Narro tibi*] Haec epiſtola vulg. in edd. cum ſuperiore coniungitur. Manutius vero rectius hic novae epiſtolae initium eſſe vidit. Formula enim *narro tibi* alias ſemper in principio epiſtolae utitur.

haec loca] Pompeianam villam hic ſignificari putabant; idque ex eo colligebant, quod in epiſtola, quae

ſcio quo modo οἶκος φίλος. Itaque me referunt pedes in Tuſculanum. Et tamen haec ῥωπογραφία ripulae videtur habitura celerem ſatietatem. Equidem etiam pluvias metuo, ſi prognoſtica noſtra vera ſunt. Ranae enim ῥητορεύουσιν. Tu, quaeſo, fac ſciam, ubi Brutum noſtrum, et quo die videre poſſim.

---

in edd. numeratur decima tertia lib. XV. quaeque prius, quam haec in qua verſamur, ſcripta eſſe videbatur Cicero ſcribit: in *Pompeianum properabam*. Verum hanc epiſtolam menſe demum Octobri ſcriptam eſſe infra docebimus.

οἶκος φίλος] proverbium Graecum οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, quod ſignificat nusquam commodius vivi quam domi. Ideo cupiebat redire in Tuſculanum, ubi frequentius et libentius morabatur, ut quaſi altera domus eſſet. *Popma.*

ῥωπογραφία] „Qui belluas, arbores, portus, et alia id genus varia et minuta opera topiario exprimebant ῥωπογράφοι vulgo dicebantur. Nam ῥῶπος eſt varia et minuta merces. Hinc ῥωπογραφία ripulae apud Cic. in Epp. ad Att. quam vocem vulgo deducunt ἀπὸ τῶν ῥώπων i. e. a virgultis, omnino male; quum ἀπὸ τοῦ ῥώπου factum ſit.„ Ita Cl. Salmaſius in Ael. Spartianum p. 886. Verum cf. ῥωπογράφοι dicebantur, qui pingebant argumenta vilium et humilium rerum. ῥῶπος λεπτὸς καὶ εὐτελὴς καὶ ποικίλος φόρτος. Hinc ῥωποπώλης, *qui ſcrutariam facit*, ut Apuleius loquitur, quem Horatius dicit lib. I. ep. 7. *vilia vendentem tunicato ſcruta popello*. Sed et ῥῶπος eſt ῥωπήϊα ὕλη καὶ ὑλώδη φυτά, δρυμοῦ φρύγανα. Ad utrumque alludens Cicero elegantiſſime ῥωπογραφίαν ripulae vocat arbuſtum, quo conſita erat ripa, topiario opere excultum, non magni pretii, vel ſimpliciter varia viridia, quibus ripa distinguebatur, et quaſi pingebatur. Nihil igitur aliud dicit, quam varietas. *Gronov.*

prognoſtica noſtra] Aratea ſcil. a Cicerone in latinum carmen translata, e quo lib. I. de Divinatione c. 9. hi verſiculi afferuntur; ad quos h. l. reſpexit:

Vos quoque ſigna videtis aquai dulcis alumnae:
Quum clamore paratis inanis fundere voces,
Abſurdoque ſono fontes et ſtagna cietis.

ῥητορεύουσιν] declamitant,

EPISTOLA DCCXXVII. (ad Att. XV. 15.)

Scr. in villa ad Lucrinum prid. Iun. A. U. C. 709.

De numis Arpinatium depositis Fadio reddendis; de Cleopatrae reginae iniquitate, et et Sarae insolentia; de nominibus suis expediendis et de pecunia filio Athenas permutanda.

CICERO ATTICO S.

L. Antonio male sit, siquidem Buthrotiis molestus est. Ego testimonium composui; quod, quum voles, obsignabis. Tu numos Arpinatum, si L. Fadius aedilis petet, vel omnes reddito. Ego ad te alia epistola scripsi de H-S cx, quae Statio curarentur. Si ergo petet Fadius, ei volo reddi; praeter Fadium, nemini. Apud me item puto depositum. Id, scripsi ad Erotem, ut redderet. Reginam odi. Me iure facere scit. Sponsor promissorum eius Ammonius; quae quidem erant φιλόλογα,

---

quasi rhetorum more; facete de ranarum clamore. *Ern.*

Epist. DCCXXVII. *L. Antonio*] M. fratri, qui videtur decretum in gratiam Buthrotiorum factum impedire voluisse. Fuit enim septemvir agris dividundis. Philipp. II.

testimoniam] quo testor ea, quae de Buthrotiis me praesente cum Caesare sunt acta. *Manut.* Rem narrat infra in ep. 738. ad Plancum.

obsignabis] Edd. pr. *obsignavi.* Quidam edidere *obsignabo*, quod facillimum est. Sed Atticus videtur habuisse signum Ciceronis, quo uti posset, quum opus esset. Eo videtur ei opus fuisse, v. c. quum literas Ciceronis nomine daret, quod aliquoties supra vidimus factum. *Ernesti.*

aedilis] Aedilitas erat in Arpinati municipio, alius magistratus praeterea non creabatur lib. XIII. ep. 11. ad Fam. (h. ed. 481.) *Manut.*

puto depositum] Numorum summam excidisse putabat Lambinus; recte. *Ernesti.*

reginam] Cleopatram.

φιλόλογα] Recte Mongaltius interpretatur: *il s'agissoit de choses, qui convenoient à un homme de lettres;* intel-

et dignitatis meae, ut vel in concione dicere auderem. Saram autem praeterquam quod nefarium hominem cognovi, praeterea in me contumacem. Semel eum omnino domi meae vidi. Cum φιλοφρόνως ex eo quaererem, quid opus esset; Atticum se dixit quaerere. Superbiam autem ipsius reginae, quum esset trans Tiberim in hortis, commemorare sine magno dolore non possum. Nihil igitur cum istis: nec tam animum me quam vix stomachum habere arbitrantur. Profectionem meam, ut video, Erotis dispensatio impedit. Nam quum ex reliquis, quae Nonis April. fecit, vel abundare debeam; cogor mutuari: quodque ex istis fructuosis rebus receptum est, id ego ad illud fanum sepositum putabam. Sed haec Tironi mandavi, quem ob eam causam Romam misi. Te nolui impeditum

---

ligitque statuas, aliaque artis Aegyptiae monumenta. Poterat etiam addere volumina graeca e bibliotheca fortassis Alexandrina. Ceterum Cleopatra haec Ciceroni pro officio quodam ei praestito promisisse videtur.

ut vel in concione dicere auderem] tantum aberat ut me donorum a Cleopatra oblatorum pudere deberet.

Saram] Hic sine dubio erat unus ex aulico reginae famulitio, sicut Hammonius.

contumacem] quod nostri dicunt: *grob und ungeschliffen;* Gallis *impertinent.*

Atticum se dixit quaerere] Id scilicet erat hominis inurbani et parum officiosi, qui quum in Ciceronis domum venisset, ab eoque comiter interrogatus esset, nihil aliud responderet, quam se Atticum quaerere. Non enim cum Corrado sic intelligendum, quasi ille significare voluerit, se Atticum oratorem quaerere, h. e. in Cicerone Atticum dicendi genus desiderare

ex reliquis] Eros Nonis Aprilibus rationes omnes confecerat, summaque facta, quantum pecuniae Ciceroni deberetur, quantum aliis ab ipso, apparebat Ciceroni tantum pecuniae superare, ut non modo non egere, sed etiam abundare deberet. *Manut.*

ex istis fructuosis rebus] ut mercedibus insularum.

ad illud fanum] quod Tulliae erigere cogitaverat.

impedire. Cicero noster quo modestior est, eo me magis commovet. Ad me enim de hac re nihil scripsit, ad quem nimirum potissimum debuit. Scripsit hoc autem ad Tironem, sibi post Kal. April. (sic enim annuum tempus confici) nihil datum esse: * * tibi pro tua natura semper placuisse, teque existimasse id etiam ad dignitatem meam pertinere, eum non modo liberaliter a nobis, sed etiam ornate cumulateque tractari. Quare velim cures, (nec tibi essem molestus, si per alium hoc agere possem,) ut permutetur Athenas, quod sit in annuum sumptum. Tibi scilicet Eros numerabit. Eius rei causa Tironem misi. Curabis igitur, et ad me, si quid tibi de eo videbitur, scribes.

EPISTOLA DCCXXVIII. (ad Att. XV. 17.)

Scr. in villa ad Lucrinum XVII. Kal Quintil. A. U. C. 709.

Duabus Attici epistolis respondet.

CICERO ATTICO S.

Duas accepi postridie Idus, alteram eo die datam, alteram Idibus. Prius igitur superiori. De Bruto, quum scies. De consulum ficto timore cognoveram.

---

tibi pro tua — tractari] Ut nunc illa leguntur, ita continuantur cum antecedentibus, quasi haec omnia Cicero filius ad Tironem scripserit; quod absurdum esse iam Mongaltius sensit; qui subaudiendum esse monuit: *intellexi.* Verum hoc durissimum fuisset lectori intelligendum relinquere. Itaque librariorum culpa ante illa: *tibi pro tua* etc. intercidisse quaedam verba arbitror; v. c. *Ego vero intellexi* aut: *Ego vero memini.*

tibi scilicet Eros] Ita legendum, non ut vulgo: *ei* scilicet Eros numerabit. Sunt qui sic interpungant: *quod sit in annuum sumptum ei. Scilicet Eros numerabit.* Graevio vero placebat: *quod sit in annuum sumptum ei scilicet Eros numerabit.* Neutrum satis commodum.

Epist. DCCXXVIII. *ficto timore*] Antonius enim bar-

Sica enim φιλοστόργως ille quidem, sed tumultuosius ad me etiam illam suspicionem pertulit. Quid tu autem? τὰ μὲν διδόμενα? Nullum enim verbum a Sara regio. Non placet. De Plaetorio vicino tuo permoleste tuli, quemquam prius audisse, quam me. De Syro prudenter. L. Antonium per M. fratrem, ut arbitror, facillime deterrebis. Antroni vetui; sed nondum acceperas literas; nec cuiquam, nisi L. Fadio aedili. Aliter enim nec caute, nec iure fieri potest. Quod scribis tibi deesse H-S c, quae Ciceroni curata sint; velim ab Erote quaeras, ubi sit merces insularum. Arabioni de Sitio nihil irascor. Ego de itinere, nisi explicato A,

---

baris stipatus procedebat, quum sibi fingeret timere, aliis re vera timorem incutere vellet.

τὰ μὲν διδόμενα] de hoc proverbio vide supra ep. 269.

a Sara regio] Sic e Gronovii coniectura edidi pro vulg. *Siregio*. Sara enim in satellitio reginae Cleopatrae supra quoque memoratur ep. 727.

deterrebis] efficies ut Buthrotiis molestus non sit, ep. 15. (h. ed. 727.) *Manut.*

Antroni vetui] Sic e MSS. dedit Bosius. Edd. vett. vel *auctorita vel vi*, vel *a. 3. non Sept.* Antroni vetui pecuniam, quae Arpinatibus debetur, dari solvi, qui Arpinatium nomine videtur postulasse. *Ernesti.*

merces insularum] Argileti et Aventini, quarum annuum proventum ep. 550. putabat Ciceroni filio in annuum sumptum sufficere.

nisi explicato A] Hanc notam puto denotare *annuum* quod ad sententiam optime convenit. Dicit enim se de profectione in Graeciam nihil cogitare, nisi primo expedito et constituto annuo illo, nimirum quod Ciceroni filio in annuum sumptum assignaverat, sed Eros dispensator turbatis rationibus non persolverat, ep. 15. et 20. *nisi explicata solutione non sum discessumus.* Notum autem est veteres solitos istius modi nomina, *Annus*, *Dies*, *Hora* singulis literis perscribere A. D. H. De annuo item testatur Paulus Diaconus has notas: A. T. P. significare *annuo tempore.* — *Popma.* Gronovius tamen coniiciebat intelligendum esse: *nisi*

nihil cogito. Quod idem tibi videri puto. Habes ad superiorem. Nunc audi ad alteram. Tu vero facis, ut omnia, quod Serviliae non dees, id est, Bruto. De regina gaudeo te non laborare; certe etiam tibi probari. Erotis rationes et ex Tirone cognovi, et vocavi ipsum. Gratissimum, quod polliceris, Ciceroni nihil defuturum: de quo mirabilia Messala; qui Lanuvio, rediens ab illis, venit ad me: et mehercule ipsius literae sic et φιλοστόργως et εὐπινῶς scriptae, ut eas vel in acroasi audeam legere: quo magis illi indulgendum puto. De Buciliano Sextium puto non moleste ferre. Ego, si Tiro ad me, cogito in Tusculanum. Tu vero, quidquid erit, quod me scire par sit, statim.

---

explicato λοιπῷ f. *reliquo*, h. e. *solutis debitis*.

id est Bruto] Serviliae pecuniam numeraverat Atticus, quam illa Bruto daret in Asiam proficiscenti. Nam ipsi Bruto circa Lanuvium moranti numerare Atticus non poterat. Ire autem ad eum apud Antonium et Caesarianos suspiciosum fuisset. Mittebat igitur per Serviliam. Et opinor intelligi H-S C, quae Bruto Italia cedenti ab Attico muneri missa scribit Nepos in eius vita. *Manut.*

certe etiam tibi probari] Vel legendum: *certe meum* (scil. reginae) *odium etiam tibi probari*; vel saltim sic intelligendum.

ex Tirone] quem Romam miserat, ea causa ut rationes Ciceronis ab Erote administratas, cognosceret ep. 15. (h. ed. 727.) *Manut.*

Messala] qui et ipse Athenis fuerat studiorum causa. cf. ep. 550. Is Ciceroni de filio mirabilia narrabat.

ab illis] a Bruto et Cassio.

Buciliano] Bucilianus et Sextius e percussoribus Caesaris fuerunt, de quibus etiam ep. 4. l XVI. (h. ed. 749.) Appianus Bucolianum vocat. *Manut.*

EPISTOLA DCCXXIX. (ad Att. XV. 18.)

Scr. in itinere a villa ad lacum Lucrinum a. d. XVI. Kal. Quint. A. U. C. 709.

Nuntiat se ad Dolabellam scripsisse de mulis vecturae itineris, in eoque ut sibi paullum operae tribuat Atticus petit.

CICERO ATTICO S.

Septimodecimo Kal. etsi satis videbar scripsisse ad te, quid mihi opus esset, et quid te facere vellem, si tibi commodum esset: tamen, quum profectus essem, et in lacu navigarem, Tironem statui ad te esse mittendum, ut iis negotiis, quae agerentur, interesset: atque etiam scripsi ad Dolabellam, me, si ei videretur, velle proficisci: petiique ab eo de mulis vecturae itineris. Ut in his, (quoniam intelligo te distentissimum esse qua de Buthrotiis, qua de Bruto; cuius etiam ludorum seorsum curam, etiam administrationem suspicor ex magna parte ad te pertinere;) ut ergo in eiusmodi re, tribues nobis paullum operae; nec enim multum opus est. Mihi res ad caedem, et eam quidem propinquam, spectare videtur. Vides homines; vides arma. Prorsus non mihi videor esse tutus. Sin tu aliter sentis, velim ad me scribas. Domi enim manere, si recte possum, multo malo.

Epist. DCCXXIX. *me si ei videretur*] hoc dicit, quia videri volebat se ideo discedere, quod a Dolabella mandata haberet, cuius legatus erat. ep. 20. (h. ed. 731.) *Manut.*

de mulis] ut mulos mihi dandos curaret, pro vectura itineris; publicis enim magistratibus et mulos, et tabernacula de publico dari solita ipse tradit lib. ult. in Verrem. *Manut.*

ut in his] Ita correxit I. F. Gronovius vulgatum, *ut in eis*. Ernestius restituit ex edd. vett. *et in his*. Eidem pro *quoniam* placebat *quamquam*.

EPISTOLA DCCXXX. (ad Att. XV. 19.)

Scr. in Tusculano a. d. XV. Kal. Quint. A. U. C. 709.

De Buthrotiorum negotio; de Theophanis literis; de Q. filii consilio ad Brutum et Cassium transeundi; denique de aliis breviter.

CICERO ATTICO S.

Quidnam est, quod audendum amplius de Buthrotiis? stetisse enim te frustra scribis. Quid autem se refert Brutus? doleo mehercule te tam esse detentum. Quod decem hominibus referendum acceptum, est illud quidem ἐργῶδες, sed ἀνεκτόν, mihique gratissimum. De armis, nihil vidi apertius. Fugiamus

---

Epist. DCCXXX. *audendum*] Fortasse verius *agendum*, vel *enitendum*.

stetisse te] causam egisse Buthrotiorum, sive potius exspectasse, v. c. in aedibus consulis et aliorum senatorum, dum impetraretur aliquid. *Ernesti.*

quid se refert Brutus] int. acturum in hac quidem causa, opinor. Nam alias esset totum alieno loco. Tum vero id postulat *fert*, non *refert*. — *Ernesti.*

decem hominibus] homines appellat, non viros per contemptum. Nam ad agrorum divisionem decemviri creati erant. lib. XI. ep. 20. ad fam. (h. ed. 839.) *Manut.* Non decemviri sed septemviri agris dividundis creati sunt; et in illo loco lib. XI. ep. 20. ad fam. prorsus non agitur de his, quorum hic fit mentio, sed de decemviris, qui anno sequente creabantur, ut rationem gesti ab Antonio consulatus exigerent. Ergo h. l. legendum est *septem hominibus.* Vulgo sic interpungebatur: *te tam esse detentum; quod decem hominibus referendum acceptum. Est illud quidem ἐργῶδες, sed ἀνεκτόν, mihique gratissimum;* quasi illud de decem hominum instituto ad rem Buthrotiam pertineret. Agitur autem de Tusculano Ciceronis a periculo agri dividundi liberato, de quo ep. 724. dicebat: *L. quidem Antonius liberaliter literis sine cura me esse iubet. Habeo unum beneficium, al-*

igitur: at, ut ais, coram. Theophanes quid velit, nescio. Scripserat enim ad me: cui rescripsi, ut potui. Mihi autem scribit, venire ad me se velle, ut et de suis rebus, et quaedam, quae ad me pertineant. Tuas literas exspecto. Vide quaeso, ne quid temere fiat. Statius scripsit ad me, locutum secum esse Q. Ciceronem valde asseveranter, se haec ferre non posse; certum sibi esse, ad Brutum et Cassium transire. Hoc enimvero nunc discere aveo; hoc ego, quid sit, interpretari non possum. Potest aliquid iratus Antonio; potest gloriam novam quaerere; potest totum esse σχεδίασμα; et nimirum ita est. Sed tamen et ego vereor, et pater conturbatus est. Scit enim, quae ille de hoc: mecum quidem ἄφατα olim. Plane, quid velit, nescio. A Dolabella mandata habebo, quae

---

terum fortasse, si in Tusculanum venerit. Videntur igitur septemviri, quum decrevissent agrum Tusculanum, certe Ciceronis praedium liberari, aliud quid instituisse, quod esset cum aliqua Ciceronis molestia coniunctum (ἐργῶδες) sed tamen tolerabile (ἀνεκτὸν) ideoque, quod incolume servaretur Tusculanum, ipsi gratissimum.

coram] sc. de fuga deliberabimus.

Theophanes] ille olim Pompeii Magni familiaris, de quo vid ep. 31.

Statius] Q. Ciceronis libertus.

Q. Ciceronem] filium.

ferre non posse] quae M. Antonius agat.

σχεδίασμα] subitum consilium, fortasse mox abiiciendum, *ein flüchtiger bald vorübergehender Einfall.*

scit enim quae ille de hoc] nempe quae Q. filius olim de Antonio dixerit, cuius iam videbatur esse dextella. cf. ep. 703. Idem ad patrem mense Maio scripserat: *se ab Caesare habuisse omnia, nil a patre, reliqua sperare ab Antonio.* ep. 698. Quae loca ii recordati non sunt, qui h. l. sic intellexerunt, quasi *ille* ad Antonium, *de hoc* ad Q. filium referretur.

mecum — ἄφατα] mecum quidem ipse Q. filius olim infanda quaedam locutus est de suo in M. Antonium studio.

mihi videbuntur, id est nihil. Dic mihi, C. Antonius voluitne fieri septemvir? fuit certe dignus. De Menedemo est, ut scribis. Facies omnia mihi nota.

EPISTOLA DCCXXXI. (ad Att. XV. 20.)

Scr. in Tusculano XI. Kal. Quint. A. U. C. 709.

De periculis rei publ. ab Antonio imminentibus; et de suis rationibus expediendis.

CICERO ATTICO S.

Egi gratias Vecteno: nihil enim potuit humanius. Dolabellae mandata sint quaelibet: mihi aliquid, vel quod Niciae nuntiem. Quis enim haec, ut scribis,

---

id est nihil] Dolabella mihi in mandatis dabit, quod voluero, id est prorsus nihil. Quum enim Cicero ius exeundi, quo vellet, ideo haberet, quia legatus esset Dolabellae, tamen dari sibi ab eo mandatorum aliquid volebat, ne discedere sine causa videretur. Neque vero tam ipsa mandata, quam speciem mandatorum aliquam quaerebat. Ideo dicit: *id est nihil.* Et in ep. quae sequitur proxima: *Dolabellae mandata sint quaelibet, modo aliquid, vel quod Niciae nuntiem.* — *Manut.*

C. *Antonius*] alter M. triumviri frater.

septemvir] agris dividundis.

fuit certe dignus] qui in numero hominum improborum esset, qui improbum illud negotium agrorum dividendorum curarent, ipse improbissimus. *Ernesti.*

de Menedemo] Hoc nomen est e coniectura Victorii. Edd. pr. *de mea domi, est ut scribis.* Tunstallus p. 81. coniecit: *de me actumne est, ut scribis?* sed nullus inde sensus commodus. *Ernesti.*

Epist. DCCXXXI. *Vecteno*] argentario, qui in re pecuniaria studium suum et officium Ciceroni probaverat. Eius in se studium alibi laudavit ep. 381.

Niciae] Grammatico illi, quem adsciverat sibi Dolabella et in provinciam praemiserat; i. e. levissimum quid, quod sc. non pertineat ad rem publicam. *Ernesti.*

λεπτυνει; Nunc dubitare quemquam prudentem, quin meus discessus desperationis sit, non legationis? Quod ais, extrema quaedam iam homines de re publica loqui, et eos qui sint viros bonos; ego, quo die audivi illum tyrannum in concione CLARISSIMUM VIRUM appellari, subdiffidere coepi. Postea vero quam tecum Lanuvii vidi nostros tantum spei habere ad vivendum, quantum accepissent ab Antonio, desperavi. Itaque, mi Attice, fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo. Genus illud interitus, qui causae cursus est, foedum duco, et quasi denuntiatum nobis ab Antonio. Ex hac naxa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem

---

λεπτύνει] Ita rescripsi de sententia I. F. Gronovii, pro lectione corrupta *anteno*, que h. l. codd. invasit. Atticus saepe solebat Graecis vocabulis in epp. ad Ciceronem uti; et librarii saepius Graeca in his ad Atticum epistolis in eiusmodi monstra verborum depravarunt. Facile autem pro ΛΕΠΤΥΝΕΙ, quasi latinum nomen esset, scribere potuerunt ANTENO. Significat autem, *quis enim haec λεπτύνει?* idem ac: quis haec subtiliter exsequetur aut disquiret, quae ego a Dolabella, ut legatus eius, mandata acceperim? Alias doctorum virorum coniecturas praetereo.

qui causae cursus est] Cod. Tornaes. Mss. Iun. *quid causa cursus est*. Crusell. *qua causa occursus est*, ex quo alii fecerunt *quo casurus est*, alii *quo casurus et*. Manutio placebat: *quo casuri sumus*. Sed propius ad vestigia lectionis in codd. accedit, et sensum habet aptissimum, quod reposuimus: *qui causae cursus est*, h. e. ut res nunc geruntur, *wie die Sachen itzt laufen*. Simili ratione dixit ep. 710. *Si haec ita manant, ut videntur, (feres, quod dicam) me Idus Martiae non delectant*.

duco] Sic rescripsi pro *duces*, quod vulgo legitur in edd. Nam non de Attici sed de sua ipsius persuasione loquitur; ideoque praemiserat: *fortiter hoc velim accipias, ut ego scribo*.

naxa] Sic Ed. Rom. Aliae post *nassa* usitatiori scriptura. Veterem scripturam revocavit Victorius. Ed. Iens. habet *noxa*. — *Ernesti*.

mortis melioris. Haec omnis culpa Bruti. Pompeium Carteiae receptum ſcribis: iam igitur contra hunc exercitum. Utra ergo caſtra? media enim tollit Antonius. Illa infirma, haec nefaria. Properemus igitur. Sed iuva me conſilio, Brundiſione, an Puteolis. Brutus quidem ſubitò: ſed ſapienter. Πάσχω τι. Quando enim illum?. ſed humana ferenda. Tu ipſe eum videre non potes. Dii illi mortuo, qui umquam Buthrotum! ſed acta miſſa. Videamus, quae agenda ſint. Rationes Erotis, etſi ipſum nondum vidi, tamen et ex literis eius, et ex eo, quod Tiro cognovit, propemodum cognitas habeo. Verſuram ſcribis eſſe faciendam menſium quinque; id eſt ad Kal. Novemb. H-S cc: in eam diem cadere numos, qui a Quintò debentur. Velim igitur, quoniam Tiro negat tibi placere, me eius rei cauſa Romam venire; ſi te ea res nihil offendet, videas, unde numi ſint; mihi feras expenſum. Hoc video in praeſentia opus eſſe. Reliqua diligentius ex hoc ipſo exquiram; in his, de mercedibus dotalium praediorum: quae ſi fideliter Ciceroni

---

Bruti] qui Antonium interfici cum Caeſare noluit.

exercitum] ſcil. parabunt Antoniani.

utra — caſtra] ſequamur.

media tollit] non concedit cuiquam medium eſſe, et ab armis abſtinere. *Ern.*

Brutus — ſubito] profecturus eſt.

illum] videam? ſcil. Vidit autem illum in Neſide ad Att. XVI. 2. (h. ed. 750.) Veliae menſe Sextili Orat. Philipp. II. cap. 4. ad Att. XVI. 7. (h. ed. 758.)

dii illi mortuo] irati ſint Caeſari, quamquam mortuo, qui agrum Buthrotium proſcripſit, unde tibi tot moleſtiae et propter quam cauſam Brutum convenire non potes. *Erneſti.*

dotalium praediorum] ſupra dixit inſularum, quae ſunt praedia urbana. Dotalia vocat, per dotem accepta, a Publilia, opinor. *Erneſti.* Minime de praediis agitur ex Publiliae dote, (nam ea reddenda erat) ſed quod Manutius vidit, de praediis ex Terentiae dote acceptis; cuius dotis pars,

curabuntur, quamquam volo laxius, tamen ei propemodum nihil deerit. Equidem video mihi quoque opus esse viaticum. Sed id ex praediis, ut cadet, ita solvetur: mihi autem opus est universo quidem. Etsi mihi videtur iste, qui umbras timet, ad caedem spectare; tamen, nisi explicata solutione, non sum discessurus. Sitne autem extricata necne, tecum cognoscam. Hanc putavi mea manu scribendam: itaque feci. De Fadio, ut scribis; utique alii nemini. Rescribas velim hodie.

---

quamquam dimissa Terentia apud eum filii causa potuit permanere. Recte quoque Manutius intelligit insulas in Argileto et Aventino, quarum fructus Ciceroni filio in annuum sumptum assignaverat; coll. epp. 550. 728.

quamquam volo laxius] quamquam non solum hoc volo, ut nihil ei desit, sed ut etiam abundet, et ut illi largius, prolixiusque suppeditetur. *Manut.*

qui umbras timet] Fingebat Antonius consul se timere, ut haberet ob eam rem barbaros Ityreos circa se, ad omne facinus paratos. *Manut.*

de solutione] Manutius explicabat: nisi videro esse unde solvatur creditoribus meis. At non hoc solum sed etiam de exigendis pecuniis, quae a Quinto fratre ei debebantur, et quae e mercedibus dotalium praediorum redibant, quorum pars ei opus erat ad viaticum. cf. ep. 728.

sitne autem extricata] Edd. pr. *excitata.* MSS. quidem *explicata* Bosius e cod. Crusell. dedit *extricata.* Mihi a glossatoribus esse videtur, quicquid hic est: satis erat *sit autem nec ne.* — *Ernesti.*

alii nemini] Numos Arpinatum apud me depositos L. Fadio reddes, praeterea nemini ep. 15. (h. ed. 727.) *Manut.*

EPISTOLA DCCXXXII. (ad Att. XV. 21.)

Scr. in Tusculano X. Kal. Quint. A. U. C. 709.

De laetitia Q fratris ex filii literis percepta: breviterque de aliis; in primis de navigatione sua.

CICERO ATTICO S.

Narro tibi; Q. pater exultat laetitia. Scripsit enim filius, se idcirco profugere ad Brutum voluisse, quod, quum sibi negotium daret Antonius, ut eum dictatorem efficeret, praesidium occuparet, id recusasset: recusasse autem se, ne patris animum offenderet: ex eo sibi illum hostem. „Tum me, inquit, collegi, verens, ne quid mihi ille iratus tibi noceret. Itaque eum placavi. Et quidem cccc certa: reliqua in spe.„ Scribit autem Statius, illum cum patre habita-

---

Epist. DCCXXXII. *ut eum dictatorem efficeret*] Nempe per legem, sicut quondam Sulla dictator factus lege Valeria. In quo intelligendum Quintum tribunum plebis futurum fuisse per Antonium. *Praesidium* intelligendus locus urbis munitus, et Capitolium, ut in potestate haberet urbem, et defendere se posset, ut quondam Catilinarii statuerant urbis praesidia occupare. *Ernesti.* Assentior autem Mongaltio, qui de veritate huius rei dubitat, et Q. filium haec finxisse suspicatur, ut se in patris amorem insinuaret. Certe M. T. Cicero in Philippicis, si res certa fuisset, Antonio, qui dictaturam in perpetuum sustulerat, nihilo secius eam paulo post ipsum invadere voluisse, crimini dedisset.

tum me collegi placavi] Sunt verba Q. filii in epistola ad patrem scripta.

et quidem CCCC certa reliqua in spe] Mongaltius haec verba cum superioribus coniungit, quasi una cum illis sint ex Q. filii epistola deprompta; intelligitque Antonium Quinto CCCC H-S. certa assignasse, reliqua promisisse; sive hoc verum fuerit, sive a Quinto filio confictum. Ernestius vero cum Manutio haec verba M. Ciceroni tribuit, hoc sensu: Et quidem usque adeo Q. pater laetus est,

re velle. Hoc vero mirum: et id gaudet. Ecquem tu illo certiorem nebulonem? Ἐποχὴν vestram de re Cani deliberationis probo. Nihil eram suspicatus de tabulis: ἀκεραίως restitutam arbitrabar. Quae differs,

---

ut nunc quidem CCCC H-S. filio det, reliqua promittat. Utraque ratio habet, quo se commendet; mihi tamen Mongaltii sententia magis arridet. Nam illud *et quidem* cum proxime antecedentibus cohaerere videtur, non cum istis verbis: *Q. pater exultat laetitia*, quae nimis ab h. l. sunt remota. Sane Cicero in hac verborum iunctura clarius enuntiasset, opinor, patrem CCCC filio dedisse, et plura etiam promisisse.

et id gaudet] nempe Statius in literis scripserat, se gaudere quod filius Quinti Cic. cum patre habitare vellit, quod antea recusaverat. Ernestius intelligit hoc de patre, qui aegre tulerat, filium noluisse ferre Aquilliam novercam. Id vero minus aptum est proxime consequentibus.

nebulonem] Statium intelligit, cui M. Cicero minime favebat. Eum nebulonem vocat, quod putabat illum non ex animi sententia, sed per simulationem scripsisse se filii consilio cum patre habitandi gaudere.

ἐποχὴν — probo] Si ἐποχὴν est a Cicerone, *deliberationis* de glossa mihi suspectum est. *De re Cani* est, de nuptiis Q. filii cum Cani filia de qua supra XIII. 41. (h. ed. 624.) Reliqua pertinent ad dotem Canae, quae ei non soluta erat a marito superiori, sed adhuc debebatur, quam Cicero restitutam putasset. Tunstallus p. 192. *de re Cani* corrigit *de regina* sc. Cleopatra de qua supra. *Ernesti.* Tunstalli coniectura prorsus inutilis. Vocabulum *deliberationis* autem e glossemate fluxisse nullus dubito. Cicero enim ἐποχὴν in Acad. Qu. II. 18. vertit *retentionem assensionis*; eoque in ep. 276. utitur sic, ut pro *dubitatione* ponat, sine addito genitivo. Itaque *deliberationis* hic et prorsus otiosum et alieno loco positum est. Pro *Cani* fortasse legendum *Canae*; *de re Canae* est de eius dote, sive re familiari.

ἀκεραίως restitutam] i. e. plane, omnino restitutam sine ullo detrimento. *Tabulae* autem, de quibus Cicero ait se nihil suspicatum esse, videntur fuisse nomina quaedam, quibus Canae

ut mecum coram; exſpectabo. Tabellarios, quoad voles, tenebis; es enim occupatus. Quod ad Xenonem, probe. Quod ſcribo, quum abſolvero. Quinto ſcripſiſti, te ad eum literas: nemo attulerat. Tiro negat iam tibi placere Brundiſium, et quidem dicere aliquid de militibus. At ego iam deſtinaram, Hydruntem quidem. Movebant me tuae quinque horae. Hinc autem quantus πλοῦς? ſed videbimus. Nullas a te XI Kal. quippe: quid enim iam novi? Quum primum igitur poteris, venies. Ego propero, ne ante Sextus; quem adventare aiunt.

---

dos eſſet onerata, tabulis ſcil. cum marito factis, quibus partem bonorum creditori mariti obſtrinxerat.

quod ad Xenonem] quod ad Xenonem ſcripſiſti, ut Ciceroni filio meo ſuppeditaret; probe feciſti. cf. XIV. 16. (h. ed. 697.) *Manut.*

quod ſcribo] quod opus nunc in manibus habeo, mittam ad te, quum abſolvero. *Manut.*

Brundiſium] me ire Brundiſium, ut inde in Graeciam navigem ep. 20. (h. ed. 731.) *Manut.*

aliquid de militibus] et ait te quiddam loqui de legionibus Macedonicis Brundiſium adventantibus, ut eo proficiſci minus tuto poſſim. De his legionibus vid. lib. XII. ep. 23. ad Fam. (h. ed. 768.) et Philipp. III. c. 2. *Manut.*

movebant me tuae quinque horae] Ut ego Hydruntem ire vellem, ibique navim conſcendere, faciebat illud, quod te mihi recordabar dixiſſe, ab Hydrunte in Graeciam traiectum eſſe quinque horarum. Hic autem ſi conſcenderem, quam longa eſſet navigatio? Et ſane ab Hydrunte ad Graeciae continentem minimum eſſe intervallum, et Plinius et omnes coſmographi auctores ſunt. *Manut.*

hinc autem] Sic auctore Erneſtio reſcripſi pro vulg. *hic autem.* Senſus eſt, ſi Brundiſio in Graeciam traiicere vellem, quam longa eſſet navigatio.

ego propero] Maturo profectionem meam ne ante Sex. Pompeius in Italiam cum exercitu veniat. cf. ep. 20. (h. ed. 731.) *Manut.*

EPISTOLA DCCXXXIII. (ad Att. XV. 23.)

Scr. in Tusculano IX Kal. Quint. A. U. C. 709.

Se de itinere etiamnum dubitare scribit, et de Bruti itinere, si quid Atticus scierit, cognoscere velle.

CICERO ATTICO S.

Mirifice torqueor, sine dolore tamen: sed permulta mihi de nostro itinere in utramque partem occurrunt. Quousque? inquies. Quoad erit integrum: erit autem usque dum ad navem. Pansa si rescripserit, et meam tibi, et illius epistolam mittam. Silium exspectabam, si quid novi; cui ὑπόμνημα compositum. Ego literas misi ad Brutum: cuius de itinere etiam ex te velim, si quid scies, cognoscere.

Epist. DCCXXXIII. *torqueor*] mihi de itinere meo deliberanti ita multa veniunt in mentem in utramque partem, ut in capiendo consilio mirifice torquear. *Manut.*

quousque? inquies] quousque deliberabis, o Cicero, de profectione tua? deliberabo, inquit, dum integrum erit, erit autem, usque dum ad navem venero. *Manut.*

Silium] Videtur esse idem Silius, a quo Cicero anno superiore hortos emere cogitabat ep 540. 581.

exspectabam, si quid novi] Verba *si quid novi*, quae vulgo sequuntur post illa, *cui ὑπόμνημα compositum* hic potius collocanda putavi. Sensus est: *Silium exspectabam, si forte quid novi afferret.*

cui ὑπόμνημα compositum]. Manutius intelligendum opinabatur: *dabis.* At non agitur de libello quem ab Attico exspectabat; sed potius de oratiuncula vel commentariolo, quem in caussa quadam Silii composuerat, quo Silius uteretur. Quod vidit etiam Mongaltius, coll. epistola sequente; ubi dicit: *caussam composui.*

EPISTOLA DCCXXXIV. (ad Att. XV. 24.)

Scr. in Tusculano VII. Kal. Quint. A. U. C. 709.

Significat, Brutum profectum esse, librumque in causa Silii compositum mittit.

CICERO ATTICO S.

Tabellarius, quem ad Brutum miseram, ex itinere rediit VII Kal. ei Servilia dixit, eo die Brutum H. IIII profectum. Sane dolui, meas literas redditas non esse. Silius ad me non venerat. Causam composui. Eum libellum tibi misi. Te quo die exspectem, velim scire.

EPISTOLA DCCXXXV. (ad Att. XV. 22.)

Scr. in Tusculano VII. Kal. Quint. A. U. C. 709.

Q. filium urbe exiisse laetatur; Pansam bene loqui credit, an ex animi sententia dubitat; de Sex. Pompeii adventu quid sentiat exponit.

CICERO ATTICO S.

Gratulor nobis Q. filium exiisse: molestus non erit. Pansam bene loqui credo. Semper enim coniunctum esse cum Hirtio scio. Amicissimum Bruto et Cassio puto, si expediet; sed quando illos videbit? inimicum Antonio; quando, aut cur? quousque ludemur? Ego autem scripsi Sextum adventare, non quo

---

Epist. DCCXXXIV. *Brutum — profectum*] non iam ex Italia discessisse, sed in Anagninum, quo postea alium tabellarium ad eum Cicero misit ep. 26.

causam composui] idem quod ep. sup. ὑπόμνημα vacaverat.

Epist. DCCXXXV: *si expediet*] si in rem ipsius erit. *Manut.*

quousque ludemur] Putat Pansam ea, quae loquatur, non loqui ex animo, sed simulate, ut ab eo verba dari videantur. *Manut.*

iam adesset, sed quia certe id ageret, ab armisque nullus discederet. Certe, si pergit, bellum paratum est. Hic autem noster Cytherius, nisi victorem, neminem victurum. Quid ad haec Pansa? utro erit, si bellum erit? quod videtur fore. Sed et haec, et alia coram: hodie quidem, ut scribis, aut cras.

EPISTOLA DCCXXXVI. (ad Att. XV. 14.)

Scr. in Tusculano V. Kal. Quint. A. U. C. 709.

Attico mittit exemplum epistolae ad Dolabellam scriptae, seque etsi animo sit suspenso tamen ad libros scribendus rediisse, significat.

CICERO ATTICO S.

Sexto Kal. accepi a Dolabella literas, quarum exemplum tibi misi: in quibus erat, omnia se fecisse quae tu velles. Statim ei rescripsi, et multis verbis gratias egi. Sed tamen, ne miraretur, cur idem iterum facerem, hoc causae sumpsi, quod ex te ipso coram antea nihil potuissem cognoscere. Sed quid multa? literas hoc exemplo dedi:

Cytherius] Antonius Cytheridis amator.

nisi victorem, neminem victurum] Antonius omnes a partibus suis alienos perituros minatur, nisi vicerint.

utro erit] Int. loco. Graevius *cum utro* edidit, quod id Ursinus in cod. se reperire dixit. Recepit et de coniectura Brutus. *Ernesti.*

hodie aut cras] Ac re vera Atticus Ciceronem convenit d. VII. Kal. Quint. quod intelligitur ex epist. 736. 744.

Epist. DCCXXXVI. *Sexto Kal.*] Haec epistola in edd. male et adversus temporis rationes collocata erat ante epist. 15. lib. XV. (h. ed. 727.) quare *Sextum Kalendas* editores interpretantur *VI. Kal. Iunias.* Intelligendum vero esse VI. Kal. Quintiles hoc argumento constat. Quum consules Antonium et Dolabellam ex senatusconsulto oporteret de actis Caesaris cognoscere, res Buthrotia inter cetera in Kal. Iun. de-

CICERO DOLABELLAE COS. SUO.

Antea quum per literas Attici nostri de tua summa liberalitate, summoque erga se beneficio certior factus essem; quumque tu ipse etiam ad me scripsisses, te fecisse ea, quae nos voluissemus: egi tibi gratias per literas iis verbis, ut intelligeres, nihil te mihi gratius facere potuisse. Postea vero quam ipse Atticus ad me venit in Tusculanum huius unius rei causa, tibi ut apud me gratias ageret, ut cuius eximiam quandam et admirabilem in causa Buthrotia voluntatem, et singularem erga se amorem perspexisset; teneri non potui, quin tibi apertius illud idem his literis declararem. Ex omnibus enim, mi Dolabella, studiis in me et officiis, quae summa sunt, hoc scito mihi et amplissimum videri, et gratissimum esse, quod perfeceris, ut Atticus intelligeret, quantum ego te, quam tu me amares. Quod reliquum est, Buthrotiam et causam, et civitatem, quamquam a te constituta est, (beneficia autem nostra tueri solemus) tamen velim, receptam in fidem tuam, a meque etiam tibi commendatam, auctoritate et auxilio tuo tectam velis esse. Satis erit in perpetuum Buthrotiis praesidii, magnaque cura et sollicitudine Atticum et me liberaris, si hoc honoris mei causa susceperis, ut eos semper a te defensos velis. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

---

lata est. Accessit deinde ad Senatus Consultum lex, quae lata est ad IV. Non. Iun. quae lex, earum rerum, quas Caesar statuisset, decrevisset, egisset consulibus cognitionem dedit, tum causa Buthrotiorum delata est ad consules. Ii deinde de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios, Plancumque eius rei arbitrum et curatorem dederunt. Quare, quum totum hoc negotium actum sit mense Iunio, non potuit Dolabel-

His literis scriptis, me ad συντάξεις dedi: quae quidem, vereor, ne miniata cerula tua pluribus locis notandae sint: ita sum μετέωρος, et magnis cogitationibus impeditus.

EPISTOLA DCCXXXVII. (ad Att. XVI. 16.)

Scr. in Tusculano exeunte Iunio A. U. C. 709.

Exemplum literarum ad Plancum in Buthrotiorum causa scriptarum Attico mittit.

CICERO ATTICO S.

Iucundissimas tuas legi literas. Ad Plancum scripsi: habes exemplum. Cum Tirone quid sis locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris.

---

la jam VI. Kal. Iun. i. e. exeunte Maio ad Ciceronem scribere se omnia in causa Buthrotiorum, quae Atticus vellet, fecisse. Ergo quum Sexto Kal. Quintil. literas illas a Dolabella Tullius acceperit, huic epistolae temporis ordine hunc locum assignavimus.

ad συντάξεις] ad libros de officiis, quos eo tempore scribere coeperat.

miniata cerula] Atticus in Ciceronis libris ea, quae non probaret, notare miniata cera solitus erat. vid. XVI. 11. (h. ed. 767.) *Manut.*

μετέωρος] *ancipitis curae plenus.*

Epist. DCCXXXVII. *iucundissimas*] haec epistola in edd. una cum annexis ad Plancum, Capitonem et Cupiennium praeter temporis ordinem reiecta erat ad finem libri XVI. epist. ad Att.

quid sis locutus] Ita scribendum esse iam Corradus viderat. Vulgo *quid sit locutus*, quasi Tiro cum Planco locutus sit, qui tamen Romae tum non erat.

cum sorore] Attici sorore, Pomponia, quae fuerat Q. fratris uxor. Videtur pertinere ad dotem ei reddendam.

occupatione ista] de Buthrotiorum negotio.

EPISTOLA DCCXXXVIII.
(ad Att. XVI. 16. *append. A.*)

Scr. in Tusculano exeunte Iunio A. U. C. 709.

Gn. Planco causam Buthrotiorum diligentissime commendat.

M. CICERO L. PLANCO PRAET. DES. S.

Attici nostri te valde studiosum esse cognovi, mei vero ita cupidum, ut mehercule paucos aeque observantes atque amantes me habere existimem. Ad paternas enim magnas, et veteres, et iustas necessitudines magnam attulit accessionem tua voluntas erga me, meaque erga te par atque mutua. Buthrotia tibi causa ignota non est; egi enim saepe de ea tecum, tibique totam rem demonstravi: quae est acta hoc modo. Ut primum Buthrotium agrum proscriptum vidimus, commotus Atticus libellum composuit. Eum mihi dedit, ut darem Caesari. Eram enim cenaturus apud eum illo die. Eum libellum Caesari dedi; probavit causam; rescripsit Attico, aequa eum postulare: admonuit tamen, ut pecuniam reliquam Buthrotii ad diem solverent. Atticus, qui civitatem conservatam cuperet, pecuniam numeravit de suo. Quod

Epist. DCCXXXVIII. *Gn. Planco*] Hic est Gn. Manutius Plancus L. fil. et L. Planci L. F. Cos. des. (ad quem scriptae sunt epistolae libri X. ad Fam.) frater. Vulgo in edd. inscripta legitur haec epistola *L. Planco*, quod falsum esse dudum Pighius docuerat ad A. 710. quo anno Gn. Plancus Praetor fuit; nunc autem in Epiro erat, ut causam Buthrotiorum a Caesare ei demandatam cognosceret.

de ea tecum] Vulgo *de re ea tecum*; sed illud *re* delendum esse iam Ernestius monuit.

pecuniam reliquam] nam imperatae pecuniae partem iam antea solverant, reliquae solutionem quum differrent, Caesar eorum agrum proscripserat. *Manut.*

quum esset factum, adimus ad Caesarem, verba fecimus pro Buthrotiis, liberalissimum decretum abstulimus; quod est obsignatum ab amplissimis viris. Quae quum essent acta, mirari quidem solebam, pati Caesarem convenire eos, qui agrum Buthrotium concupissent: neque solum pati, sed etiam ei negotio te praeficere. Itaque et ego cum illo locutus sum, et saepius quidem; ut etiam accusarer ab eo, quod parum constantiae suae confiderem; et M. Messalae, et ipsi Attico dixit, ut sine cura essent; aperteque ostendebat, se praesentium animos (erat enim popularis, ut noras) offendere nolle: quum mare transissent, curaturum se, ut in alium agrum deducerentur. Haec illo vivo. Post interitum autem Caesaris, ut primum ex senatus consulto causas consules cognoscere instituerunt, haec, quae supra scripsi, ad eos delata sunt. Probaverunt causam sine ulla dubitatione, seque ad te literas daturos esse dixerunt. Ego autem, mi Plance, etsi non dubitabam, quin et senatus consultum, et lex, et consulum decretum ac literae apud te plurimum auctoritatis haberent, teque ipsius Attici causa velle intellexeram: tamen hoc pro coniunctione et benivolentia nostra mihi sumpsi, ut id a te peterem, quod tua singularis humanitas, suavissimique mores a te essent impetraturi. Id autem est, ut hoc, quod te tua sponte facturum esse certo scio, honoris nostri causa libenter, prolixe, celeriter facias. Mihi nemo est amicior, nec iucundior, nec carior Attico: cuius antea res solum familiaris agebatur, eaque magna; nunc accessit etiam

---

convenire] sc. ad petendum agrum Buthrotiorum. *Ern.*

et lex] quia praeter S. C. etiam lege negotium consulibus est datum, ut de actis Caesaris cognoscerent. ep. 15. (h. ed. 771.) *Manut.*

res solum familiaris] numos enim Caesari numeraverat de suo pro agri Buthrotii liberatione, quod nisi consequeretur, eos numos a Buthrotiis exigere non potuisset. *Manut.*

exiſtimatio, ut, quod conſecutus eſt magna et induſtria, et gratia, et vivo Caeſare, et mortuo, id, te adiuvante, obtineat. Quod ſi a te erit impetratum, ſic velim exiſtimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo ſummo beneficio me affectum iudicem. Ego, quae te velle, quaeque ad te pertinere arbitrabor, ſtudioſe diligenterque curabo. Da operam, ut valeas.

EPISTOLA DCCXXXIX.
(ad Att. XVI. 16. *App. B.*)

Scr. in Tuſculano exeunte Iunio A. U. C. 709.

Capitonem rogat, ut ſibi et Attico in cauſa Buthrotiorum operam praeſtet.

CICERO CAPITONI SUO, S.

Numquam putavi fore, ut ſupplex ad te venirem. Sed hercule facile patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atticum quanti faciam, ſcis. Amabo te, da mihi et hoc: obliviſcere mea cauſa, illum aliquando ſuo familiari, adverſario tuo, voluiſſe conſultum, quum illius exiſtimatio ageretur. Hoc primum ignoſcere, eſt humanitatis tuae; ſuos enim quisque debet tueri; deinde, ſi me amas, (omitte Atticum) Ciceroni tuo, quem quanti facias, prae te ſoles ferre, totum hoc da, ut, quod ſemper exiſtimavi, nunc plane intelligam, me a te multum amari. Buthrotios quum Caeſar decreto ſuo, quod ego obſignavi cum multis ampliſſimis viris, liberaviſſet, oſtendiſſetque

---

Epiſt. DCCXXXIX. *ut ſupplex ad te venirem*] Iocatur in Capitonem haud magnae auctoritatis hominem; quum dicit, nunquam ſe futurum putaſſe, ut illius opera valde egeret. Et eſt C. Ateius Capito de quo ep. 33. lib. XIII. (h. ed. 592.) et XIII. 29. ad Fam. (h. ed. 434.) *Manut.*

nobis, se, quum agrarii mare transissent, literas missurum, quem in agrum deducerentur; accidit, ut subito ille interiret. Deinde, quemadmodum tu scis, (interfuisti enim, quum consules oporteret ex senatus consulto de actis Caesaris cognoscere,) res ab iis in Kal. Iun. dilata est. Accessit ad senatus consultum lex, quae lata est a. d. IV. Non. Iun. quae lex earum rerum, quas Caesar statuisset, decrevisset, egisset, consulibus cognitionem dedit. Causa Buthrotiorum delata est ad consules. Decretum Caesaris recitatum est, et multi praeterea libelli Caesaris prolati. Consules de consilii sententia decreverunt secundum Buthrotios; literas ad Plancum dederunt. Nunc, mi Capito, (scio enim, quantum semper apud eos, quibuscum sis, posse soleas, eo plus apud hominem facillimum, atque humanissimum Plancum,) enitere, elabora, vel potius eblandire, effice, ut Plancus, quem spero optimum esse, sit etiam melior opera tua. Omnino res huiusmodi videtur esse, ut sine cuiusquam gratiá Plancus ipse pro ingenio et prudentia sua non sit dubitaturus, quin decretum consulum, quorum et lege, et senatus consulto cognitio et iudicium fuit, conservet; praesertim quum, hoc genere cognitionum labefactato, acta Caesaris in dubium ventura videantur: quae non modo ii, quorum interest, sed etiam ii, qui illa non

---

agrarii] i. e. ii, quibus Caesar agros promiserat in Epiro, quibus alii multati essent.

literas ad Plancum dederunt] Vulgo erat: *Plancum dederunt*, quod esset paullo durius dictum pro *Plancum arbitrum dederunt*. Manutius autem excidisse putabat voculae *literas ad* ante *Plancum* quod verum esse nullus dubito, quia Planco huius negotii Buthrotiani cura iam a Caesare demandata erat; et ep. 737. ad Plancum sic scripsit noster: *consules — probaverunt caussam sine ulla dubitatione, seque ad te literas daturos esse dixerunt.* Itaque Manutio obsecutus sum.

probant, otii caussa confirmari velint. Quod quum ita sit, tamen interest nostra, Plancum hoc animo libenti prolixoque facere. Quod certe faciet, si tu nervulos tuos, mihi saepe cognitos, suavitatemque, qua nemo tibi par est, adhibueris. Quod ut facias, te vehementer rogo.

EPISTOLA DCCXL. (ad Att. XVI. 16. *app. D.*)

Scr. in Tusculano exeunte Iunio A. U. C. 709.

Cupiennio caussam civitatis Buthrotiorum commendat.

CICERO C. CUPIENNIO S.

Patrem tuum plurimi feci; meque ille mirifice et coluit, et amavit: nec mehercule umquam mihi dubium fuit, quin a te diligerer. Ego quidem id facere non destiti. Quamobrem peto a te in maiorem modum, ut civitatem Buthrotiam subleves, decretumque consulum, quod ii secundum Buthrotios fecerunt, quum et lege, et senatus consulto statuendi potestatem haberent, des operam, ut Plancus noster quam primum confirmet et comprobet. Hoc te vehementer, mi Cupienni, etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA DCCXLI. (ad Att. XV. 25.)

Scr. in Tusculano V. Kal. Quint. A. U. C. 709.

Varias de itinere suo sententias esse, et se ipsum etiamnum dubitare significat.

CICERO ATTICO S.

De meo itinere variae sententiae. Multi enim

---

confirmari] Recte sic Faërnus, quem secutus est Ernestius, emendandum censuit. Vulg. *confirmare.*

Epist. DCCXL. *Cupiennio*] Corradus existimabat hunc esse C. Cupiennium Libonem Cumanum, quod colligebat ex Horat. Sat. II. lib. I. eiusque interprete.

ad me. Sed tu incumbe quaeso in eam curam. Magna res est. An probas, si ad Kal. Ian. cogitamus? meus animus est aequus, sic tamen, ut nihil offensionis sit: et tu etiam scite, quo die olim piaclum mysteria scilicet. Ut ut sit res, casus consilium nostri itineris iu-

---

Epist. DCCXLI. *si ad Kal. Ian. cogitamus*] scil. ad urbem redire. Philipp. I. *ea mente discessi, ut adessem Kalendis Ianuariis quod initium senatus cogendi fore videbatur.* Et ad Att. XVI. 6. *quamvis non fueris suasor et impulsor profectionis meae approbator certe fuisti, dum modo Kal. Ian. Romae essem.*

meus animus — offensionis sit] mihi animus aequus est, sive ad discedendum, sive ad manendum, modo, si discedam, id mihi vitio non vertatur, et si maneam, a periculo tutus sim. Gronovius de reditu acccepit: mihi non displicet ad Kal. Ian. redire, si tum non turbabitur in re publica.

et tu etiam scite, quo die olim piaclum mysteria scillicet] Hic locus varie corruptus est in Mss. et Edd. In Iens. *et tu etiam scribe quo die Olympiacum m. s.* Ed. Rom. Ald. *et tu etiam scribe quo die Olympia: cum mysteria scilicet.* Victor. *et tu etiam scire, quo die Olympia: quum mysteria scilicet.* Bosius e cod Crusellino eruit hanc lectionem, nunc a recentioribus criticis receptam: *et tu etiam scite, quo die olim piaclum mysteria scilicet*, idque ille accepit de eo die, quo *mundus patere* dicebatur, quod ter in anno fiebat, postridie Vulcanalia, ante diem tertium Nonas Octobres, et ante diem sextum Idus Novembres. Verum I. F. Gronovius obss. IV. c. 9. ubi illam Bosii opinionem, futilesque aliorum coniecturas refutat, idoneis argumentis docuit intelligi hic Sacra Bonae deae; Atticum enim suasisse, ut circiter eum diem esset praesto, *quo die olim piaclum mysteria scilicet;* i. e. quo die olim nefario Clodii incesto sacra Bonae deae violata essent. Unum est, in quo Gronovius erravit, quod Atticum putavit Ciceroni suasisse, ut Kalendis Maiis demum rediret; quod illo die sacra Bonae Deae celebrari solita essent. Optime hunc errorem redarguit Mongaltius; certum enim est Sacra Bonae deae Ciceronis aetate initio mensis Decembris celebrata esse; Constat enim e Plutarchi vita Ciceronis et Dionis Cassii

dicabit. Dubitemus igitur. Est enim hiberna navigatio odiosa; eoque ex te quaesieram mysteriorum diem. Brutum, ut scribis, visum iri a me puto. Ego hinc volo prid. Kal.

---

hist. libro XXXVII. Cicerone consule, III. Non. Dec. quo die Catilinariam coniurationem patefecerat, ista sacra domi eius facta esse; Clodii autem incestum quo sacra ista polluerat, itidem mense Decembri A. V. C. 691. commissum esse, patet ex ep. ed. Att. I. 12. (h. ed. epist. 16.) Cicero igitur ex Attico quaesiverat, an probaturus esset, si ante diem mysteriorum rediret. Atticus responderat, hunc esse diem, quo olim piaclum Clodii mysteria polluisset, ac fortasse innuerat verendum esse, ne si ante hunc diem rediret, aliud piaculum Ciceronis interficiendi ab Antonio committeretur.

eoque ex te quaesieram mysteriorum diem] Nempe duabus de causis, primum ut iam in Italia esset, quum tribuni designati munus essent adituri; deinde ut non opus esset hibernae se navigationi committere, si initio Decembis rediret, neque Kalendas Ianuarias exspectaret. Nam quum dicit: *eoque ex te quaesieram mysteriorum diem*, non significat, se quaesisse, quo die Sacra Bonae deae futura essent, sed an Atticus probaturus esset, si ante diem mysteriorum reverteretur. *Mongault*. Sane Mongaltius probabili ratione difficultatem expedivit, quam alii ne senserant quidem. Nam de mysteriorum die quaerere nihil attinebat, si id tantum ageret, ut hibernam navigationem effugeret. At ut ab Antonio tutus esset, aut redeundum erat ante Kal. Ian., quum novi consules, aut ante IV. Id. Decembr. quo die novi tribuni in annum sequentem designati magistratum adituri essent, quos inter complures fuisse scimus, qui Ciceroni faverent, ut P. Servilius Casca (e Caesaris percussoribus) ad Att. XVI. 15. (h. ed. 771.) P. Apuleius Phil. VI. 1. XIV. 6. M. Servilius Phil. IV. 6.

hinc volo prid. Kal.] nempe in villam Arpinatem. cf. epist. 742.

EPISTOLA DCCXLII. (ad Att. XV. 26.)

Scr. in Arpinati VI. Non. Quintil. A. U. C. 709.

De variis negotiis domesticis, et de literis a Bruto acceptis.

CICERO ATTICO S.

De Quinti negotio video a te omnia facta. Ille tamen dolet, dubitans, utrum morem gerat Leptae, an fidem infirmet filio. Inaudivi L. Pisonem velle exire legatum ψευδεγγράφῳ senatus consulto. Velim scire, quid sit. Tabellarius ille, quem tibi dixeram a me ad Brutum esse missum in Anagninum, ad me venit ea nocte, quae proxima ante Kal. fuit; literasque ad me attulit: in quibus unum alienum summa sua prudentia, ut spectem ludos suos. Rescripsi scilicet, pri-

---

Epist. DCCXLII. *de Q. negotio*] Videtur caussa pecuniaria fuisse, nata a filio. *Ernesti.*

utrum morem — filio. Inaudivi] Antea legebatur: *utrum morem gerat Leptae, an fidem infirmet Silio. Inaudivi* — e correctione Bosii, qui hanc lectionem se dicit fecisse e Ms Crusellino, in quo esset *Silio in audibili Pisonem.* Sed sic erat iam in ed. Rom. Lectio vulgata tum erat: *Silio Mandibili.* Ed. Iens. habet *filio Mandibili Pisonem*, quod et Victorius edidit in ed. 2. In prima enim dedit *filio inaudibili* e Iensoniana, sed in notis eiusdem ed. *Silio Mandibili* praeferebat, quamquam vitiosum fatebatur; et inter has duas lectiones fluctuant edd. vett. Rem ignoramus. Itaque nec est aliquid certi. Non intelligo, quid sit *fidem infirmet Silio.* Ego praetulerim *filio*; ut sensus sit: utrum Leptae morem gerat, et pro filio solvat pecuniam, quam ille debebat, an non solvendo faciat, fidem ei ut nemo posthaec habeat et pecuniam credat. Nam eum aes alienum contraxisse constat. *Ernesti.*

ψευδεγγράφῳ] legatum falso senatus consulto, qualia multa tunc Antonius referebat ep. XII. 1. ad Fam. (h. ed. 711.) *Corrad.* Nempe, ut recte coniicit Mongaltius, videtur Piso legationem liberam impetrasse falso SCto.

ludos suos] quos Romae praetor, sed absens facien-

mum me iam profectum, ut non integrum sit: dein, ἀτοπώτατον esse, me, qui Romam omnino post haec arma non accesserim, neque id tam periculi mei causa fecerim, quam dignitatis, subito ad ludos venire. Tali enim tempore ludos facere illi honestum est, cui necesse est. Spectare mihi ut non est necesse, sic ne honestum quidem est. Equidem illos celebrari, et esse quam gratissimos mirabiliter cupio; idque ita futurum esse confido: et tecum ago, ut iam ab ipsa commissione ad me, quemadmodum accipiantur; deinde omnino reliquorum dies singulos persequare. Sed de ludis hactenus. Reliqua pars epistolae est illa quidem in utramque partem: sed tamen nonnullos interdum iacit igniculos viriles: quod quale tibi videretur, ut posses interpretari, misi ad te exemplum epistolae. Quamquam mihi tabellarius noster dixerat, tibi quoque se attulisse literas a Bruto, easque ad te e Tusculano esse delatas. Ego itinera sic composueram, ut Nonis Quint. Puteolis essem. Valde enim festino; ita tamen, ut, quantum homo possit, quam cautissime navigem. M. Aelium cura liberabis: is metuit paucos specus in extremo fundo, et eos quidem subterraneos; servitutis putat aliquid habituros:

---

dos curabat. Victorius laudavit locum Plutarchi in vita Bruti, ubi narrat illum ad Ciceronem scripsisse, ut ludis suis interesset; ἔγραφε καὶ Κικέρωνι πάντως παρατυχεῖν ταῖς θέαις.

ἀτοπώτατον esse] absurdissimum esse, s. minime decere.

is metuit.— habituros] Ernestius h. l. sic edidit: *is me paucos specus in extremo fundo, et eos quidem subterraneos; servitutis putat aliquid habituros.* In verbis *is me* intelligebat *rogat*, quod mihi duriusculum videtur. Olivetus correxit *is metuit*, quem secutus sum. Bene enim respondet antecedenti: *Aelium cura liberabis.* Pro *putat aliquid* edd. pr. habebant *apud tale quid.* Gronovius corrigebat *apud se aliquid.* Sensus est: metuit

id me iam nolle, neque mihi quidquam esse tanti; sed, ut mihi dicebas, quam lenissime; potius ut cura liberetur, quam ut me succensere aliquid suspicetur. Item de illo Tulliano capite libere cum Cascelio loquare. Parva res est; sed tu bene attendisti; nimis callide agebatur. Ego autem, si mihi imposuisset aliquid, quod paene fecit, nisi tua malitia fuisset, animo iniquo tulissem. Itaque, ut ut erit, rem impediri malo. Octavam partem tolli luminarium in aedibus ad Streniae memineris. Quod Caerellia, videris mancipio dari ad eam summam, quae sub praecone fuit maxi-

---

specus aliquos subterraneos i. e. aquaeductus, quos ego in extremo fundo, ubi contiguus est Aelii praedio parare institueram; putat nimirum inde sibi aliquid servitutis oriturum.

id me iam nolle] Fac sciat me id consilium mutasse, nec ullum commodum mihi tanti esse, ut ob id eius gratiam amittam. *Gronov.*

item de illo] Hoc auctore Ernestio reposui pro vulg. *idem de illo.*

Tulliano capite] nomine, pecunia. *Ernesti.*

nisi tua malitia fuisset] Vulgo est *affuisset;* quod videtur ortum ex ultima syllaba praecedentis vocabuli cum *fuisset* coalescente. Simplicius et aptius est *fuisset.* Nos similiter: *wenn deine Schlauheit nicht gewesen wäre.* Hoc enim loco *malitia* bono sensu pro callido et prudenti consilio ponitur.

Octavam partem tolli — memineris] Ita h. l. qui est foede corruptus in antiquis libris recte constitutum puto, ad Corradi potissimum sententiam. Nimirum Cicero aedes habebat in Carinis haud procul a Streniae fano; in iis octavam partem fenestrarum tolli, i. e. foriculos lapidibus obstrui volebat. (*er wollte den achten Theil der Fenster zumauern lassen.*) Nam de *altius tollendis fenestris* haud acceperim; multo minus cum Barravio, cui Schottus assentitur, legendum: *octo pedes tolli luminaria.* Ernestius de hoc loco restituendo prorsus desperaverat, ideoque monstrum illud lectionis in textu reliquit: *octavam partem tuli luminarium in aedium adstranae memineris.*

Quod Caerellia — dari] Sic Gronovius emendavit vulg. *cui Caerellia — dare;*

ma: id opinor esse ccc LXXX. Novi si quid erit, atque etiam si quid prospicies, quod futurum putes, scribas ad me quam saepissime velim. Varroni, quemadmodum tibi mandavi, memineris excusare tarditatem literarum mearum. Mundus istum * * M. Ennius quid egerit de testamento (curiosus enim) facias me velim certiorem. Ex Arpinati, VI Non.

EPISTOLA DCCXLIII. (ad Att. XV. 28.)

Scr. in Arpinati V. Non. Quintil. mane. A. U. C. 709.

Scribit se Nonis in Puteolanum venire, ibique Attici literas exspectare.

CICERO ATTICO S.

Ego, ut ad te pridie scripseram, Nonis constitueram venire in Puteolanum. Ibi igitur quotidie tuas literas exspectabo, et maxime de ludis; de quibus etiam ad Brutum tibi scribendum est. Cuius epistolae, quam interpretari ipse vix poteram, exemplum pridie

---

hoc sensu: quod Caerellia proscripsit praedium, curabis tibi mancipio dari meo nomine pro ea pecunia, quam licitatores in auctione maximam obtulerunt.

Mundus istum] Gronovius hanc aposiopesin sic explicat: Mundus istum, quicunque est, quicum habet negotium exercebit vel exerceat sine. At multo probabilius est hic verba aliquot intercidisse, quorum sensum sine codd. melioribus nemo assequi possit. Itaque lacunae signum hic posui.

M. Ennius] Corradus quia rarum sit hoc nomen, vel *M. Lenius*, vel *M. Annius*, vel *Memmius* legendum putabat. Sed nihil certi.

curiosus enim] sc. es, et non ignorabis. Edd. pr. *curiosius* — *Ernesti.*

Epist. DCCXLIII. *in Puteolanum*] Ita recte emendandum censuit Mongaltius vulg. *in Tusculanum;* et sic postea edidit Lallemandus.

de ludis] Bruti, de quibus supra. Eorum curam sustinebat Atticus magna ex parte, quo et sequens pertinet. *Ernesti.*

tibi miſeram. Atticae meae velim me ita excuſes, ut omnem culpam in te transferas, et ei tamen confirmes, me minime totum amorem eius mecum abstuliſſe.

EPISTOLA DCCXLIV. (ad Att. XV. 27.)

Scr. in Arpinati V. Non. Quintil. inter coenam. A. U. C. 709.

Reſpondet ad ea quae Atticus proxime ſcripſerat.

CICERO ATTICO S.

Gaudeo id te mihi ſuadere, quod ego mea ſponte pridie feceram. Nam quum ad te VI Non. darem, eidem tabellario dedi etiam ad Sextium, ſcriptas πάνυ φιλοστόργως. Ille autem, quod Puteolos proſequitur, humane; quod queritur, iniuſte. Non enim ego tam illum exſpectare, quum de Coſano rediret, debui, quam ille aut non ire ante, quam me vidiſſet, aut citius reverti. Sciebat enim me celeriter velle proficiſci, ſeſeque ad me in Tuſculanum ſcripſerat eſſe venturum. Te, ut a me diſceſſeris, lacrimaſſe, moleſte ferebam. Quod ſi me praeſente feciſſes, conſilium totius itineris fortaſſe mutaſſem. Sed illud praeclare, quod te conſolata eſt ſpes brevi tempore congrediendi: quae quidem exſpectatio me maxime ſuſtentat. Meae tibi

---

ut omnem culpam in te transferas] Attica queſta erat per iocum, Ciceronem, antequam proficiſceretur, ipſam haud ſalutaſſe. Petit igitur ut Atticus culpam in ſe transferat, quod eam non ſecum adduxerit in Tuſculanum Ciceronis.

totum amorem eius — abſtuliſſe] Sic ſcribendum erat pro vulg. *me minime totum amorem eo mecum attuliſſe*, quod ſenſu prorſus caret. Cicero feſtive quaſi amatorem ſe fingit Atticulae, (ſaepe enim cum ea iocari et ludere ſolebat) aitque, ſe magnam partem amoris, quo eam complectatur, ei reliquiſſe, quamquam ex uſura eius per abſentiam aliquid pereat. Gronovio placebat: *me intimo totam amore eam mecum abſtuliſſe.* Et *intimo* habent aliquot codd.

literae non deerunt. De Bruto, scribam ad te omnia. Librum tibi celeriter mittam de Gloria. Excudam aliquid Ἡρακλείδιον, quod lateat in thesauris tuis. De Planco, memini. Attica iure queritur. Quod me de Bacchide, de statuarum coronis certiorem fecisti, valde gratum: nec quidquam posthac non modo tantum, sed ne tantulum quidem praeterieris. Et de Herode et Mettio meminero, et de omnibus, quae te velle suspicabor modo. Obturbabat me sororis tuae filius, quum haec scriberem. Adventabat autem βουλύσει cenantibus nobis.

EPISTOLA DCCXLV. (ad Att. XV. 29.)

Scr. in Formiano a. d. III. Non. Quintil. A. U. C. 709.

Breviter de variis rebus domesticis; et de subito Planci Buthrotii reditu.

CICERO ATTICO S.

Bruti ad te epistolam misi. Dii boni, quanta

Epist. DCCXLIV. *de Bacchide*] Sic e Balliol. Ms. corrigi volebat Graevius. Sic et in libro vetere se reperisse testatus est Ursinus. At sic iam editum erat in exemplo Romano, Ascens. Ald. altera. Illa lectio *de Bacchi* ex ed. Iens. fluxit. Bacchis mima fuit. *Statuarum coronae* sunt, quae statuis quibusdam impositae sunt, ad indicandum animum et sensum in re publ. *Ernesti.*

et de Herode] Mandaverat Atticus Ciceroni, ut et cum Herode et cum Mettio Athenis quiddam ageret. Herodem enim fuisse Athenis apparet ep. 16. lib. XIV. et XV. ad Att. (h. ed. 697. 725.)

Obturbabat me sororis tuae filius] Vulgo est: *o turpem sororis tuae filium, quum haec scriberem.* At nulla hic est causa tam acerbi in Q. filium convicii; quem Cicero potius quodammodo laudat epist. 745. Itaque illud *o turpem* depravatum esse puto ex compendio vocabuli: *obturbabat.* Nostri dicerent: *Indem ich dieses schreibe, kömmt mir dein Schwestersohn über den Hals.*

βουλύσει] tempore vespertino, quum boves aratro solvuntur.

ἀμηχανία! cognosces, quum legeris. De celebratione ludorum Bruti, tibi assentior. Ad M. Aelium nullus tu quidem domum, sed sicubi inciderit. De Tulliano semisse M. Axianum adhibebis, ut scribis. Quod cum Cosano egisti, optime. Quod non solum mea, verum etiam tua expedis, gratum. Legationem probari meam, gaudeo. Quod promittis, dii faxint: Quid enim mihi meis iucundius? sed istam, quam tu excipis, metuo. Brutum quum convenero, perscribam omnia. De Planco et Decimo, sane velim. Sextum scutum abiicere nolebam. De Mundo, si quid scies. Rescripsi ad omnia tua. Nunc nostra accipe. Quintus filius usque Puteolos: mirus civis, ut tu Favonium, Asinium dicas: et quidem duas ob caussas, et

---

Epist. DCCXLV. ἀμηχανία] inopia consilii.

ad M. Aelium] Significat nihil opus esse, ut Atticus propter illud negotium, de quo ep. 742. Aelium conveniat, satis esse, si occasio venerit cum eo loquendi, eum ista cura liberare.

de Tulliano semisse] de usura, quam Tullius ipse, de quo scripserat ep. 26. pendere debebat, quae erat semissibus.

quod cum Cosano] Intelligit Sextium de quo ep. 744. quem a praedio, quod habebat, prope Cosam, Cosanum vocat. Vulgo *Cosiano* male.

quod promittis — metuo] Atticus promiserat se Ciceronem mox in Graecia visurum, nisi forte Atticae valetudo impedierit. Eam igitur Cicero metuit.

de Planco et Decimo] L. Planco et Decimo Bruto consulibus in annum 711. designatis.

Sextum] Pompeium.

scutum abiicere] ab armis recedere.

ut tu Favonium, Asinium dicas] Non bene compositum par Favonius et Asinius. Conieci *Favonium alterum* etiam illud *ut tu* non placet. Malim abesse totum, aut saltem *ut.* — *Ernesti.* Coniecturam Ernestii verissimam puto. Favonius enim Ciceroni, ut acerrimus libertatis defensor, cognitus et perspectus erat; de Asinii Pollionis animo, qui a Caesaris partibus steterat, et nunc Hispaniam pro consule

ut mecum; et σπείσασθαι vult cum Bruto, et Cassio. Sed tu quid ais? scio enim te familiarem esse Othonum. Ait hic sibi Iuliam ferre. Constitutum enim esse discidium. Quaesivit ex me pater, qualis esset fama. Dixi, nihil sane me audisse, (nesciebam enim, cur quaereret) nisi de ore, et patre. Sed quorsus, inquam? at ille, filium velle. Tum ego, etsi ἐβδελυττόμην, tamen negavi putare me illa esse vera: σκοπὸς (hoc est enim) huic nostro nihil praebere. Illa autem οὐ παρα τοῦτο. Ego tamen suspicor hunc, ut solet, allucinari. Sed velim quaeras, (facile autem potes,) et me certiorem.

Obsecro te, quid est hoc? Signata iam episto- 2
la, Formiani, qui apud me cenabant, Plancum se aiebant, hunc Buthrotium, pridie, quam hoc scribebam, id est IIII Nonas, vidisse demissum, sine phaleris:

---

regebat, nondum poterat decernere; nam eius epistolae ad Ciceronem Lib. X. 31-33. ad Fam. quibus se libertati favere ostendit, proximo demum anno scriptae sunt.

σπείσασθαι cum Bruto et Cassio] ad eorum partes transire, quod et ante iactarat. ep. 19. (h. ed. 730.) *Ernesti.*

ait hic — ferre] Quintus filius ait Iuliam Othonis uxorem sibi nuptias suas offerre. *Ernesti.*

nisi de ore et patre] Mira compositio. Fortasse legendum: *nisi de ore putri*; ut Cicero dicat se de Iulia nihil admodum audisse, nisi eam tristi anhelitu male odorati oris laborare; cui sane bene responderet id quod sequitur ἐβδελυττόμην.

filium velle] eam uxorem ducere.

ἐβδελυττόμην] abominabar.

σκοπὸς (hoc est enim)] Pater nihil aliud spectat, nisi ut nullos amplius sumptus in filium facere debeat, illo coniugio inito. *Ernesti*

οὐ παρὰ τοῦτο] h. e. illa vero propterea, quod Quintus filius dives non est, non absterrebitur ab eius nuptiis. Ita Corradus et Casaubonus. Alii minus bene παρὰ τούτῳ vel παρὰ τοῦτον.

Plancum hunc Buthrotium] diversum ab illo, cuius supra in hac epistola mentio, praepositum agris Buthrotiis dividendis. *Ernesti.*

demissum, sine phaleris] *demissum*, valde abiectum animo, *sine phaleris* equo vectum, ut appareret repen-

servulos autem dicere, eum, et agripetas eiectos a Buthrotiis. Macte! Sed amabo te, perscribe mihi totum negotium.

EPISTOLA DCCXLVI. (ad Div. XI. 29.)

Scr. initio mensis Quintilis A. U. C. 709.

Profecturus in Graeciam res suas Oppio commendat.

CICERO OPPIO S.

Dubitanti mihi, quod scit Atticus noster, de hoc toto consilio profectionis, quod in utramque partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem, iudicium et consilium tuum. Nam et scripsisti aperte, quid tibi videretur, et Atticus a me sermonem tuum pertulit. Semper iudicavi, in te, et in capiendo consilio prudentiam summam esse, et in dando fidem; maximeque sum expertus, quum initio civilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres: eundumne ad Pompeium, an manendum in Italia. Suasisti, ut

---

te, equo non ornato, in iter se contulisse, vel latere velle. Cf. XVI. 1. init. (h. ed. 747.) *Ernesti.*

eiectos a Buthrotiis] Rumorem hunc falsum fuisse cognoscitur ex epist. 750.

Epist. DCCXLVI. OPPIO] In cod. Palat. 3. Stewech. Mentel. et ed. Victor. est *Appio*, quod Gebhardus sine causa idonea revocavit. Sunt qui putent Appium hunc esse filium Sex. Clodii, P. fratris, ab Antonio restituti, quem Cicero Bruto in epist. XI. 22. ad Div. commendat. At hic nunquam inter Caesaris amicissimos occurrit. C. Oppius autem Caesarem secutus est in bello civili fuitque eius legatus in Africa; teste auctore de bello Afr. c. 68.

suasisti] Non eam epistolam, quam una cum Balbo ad Ciceronem scripsit, ep. ad Att. IX. 6. (h. ed. 347.) adiunctam significare videtur, quanquam in hac quoque dignitatis eius mentio fit, sed aliam seorsim ab Oppio scriptam, quum eum Cicero consuluisset, eundumne ad Pompeium esset an manendum in Italia.

consulerem dignitati meae. Ex quo, quid sentires, intellexi, et sum admiratus fidem tuam, et in consilio dando religionem; quod, quum aliud malle amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quam illius voluntas fuit. Equidem et ante hoc tempus te dilexi, et semper me a te diligi sensi. Et quum abessem, atque in magnis periculis essem: et me absentem, et meos praesentes a te cultos et defensos esse, memini. Et post meum reditum quam familiariter mecum vixeris, quaeque ego de te et senserim et praedicarim, omnes, qui solent haec animadvertere, testes habemus. Gravissimum vero iudicium de mea fide et constantia fecisti, quum post mortem Caesaris totum te ad amicitiam meam contulisti. Quod tuum iudicium nisi mea summa benivolentia erga te omnibusque meritis comprobaro, ipse me hominem non putabo. Tu, mi Oppi, conservabis amorem tuum, (etsi more magis hoc quidem scribo, quam quo te admonendum putem,) meaque omnia tuebere; quae tibi ne ignota essent, Attico mandavi; a me autem, quum paullum otii nacti erimus, uberiores literas exspectato. Da operam, ut valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

EPISTOLA DCCXLVII. (ad Att. XVI. 1.)

Scr. in Puteolano VIII. Id. Quint. A. U. C. 709.

Indignatur in proscriptione ludorum Bruti mensi Quintili nomen Iulii datum 1. *quaerit quid sit quod agripetae Buthroti concisi dicantur.* 2. *se una cum Bruto, si fieri possit, navigaturum ostendit.* 3. *de bello civili quid exspectet* 4. *de explicandis filii sui rationibus* 5.

CICERO ATTICO S.

Nonis Quint. veni in Puteolanum. Postridie iens

---

amicissimum] Caesarem; qui in literis (epistolae ad Att. h. ed. 374. insertis) Ciceroni omnibus modis per-

ad Brutum in Nesidem haec scripsi. Sed eo die, quo veneram, cenanti Eros tuas literas. Itane? Nonis Iuliis? Dii hercule istis! sed stomachari totum diem licet. Quidquamne turpius, quam Bruto, Iuliis? Redeo ad meum igitur, *ἔτι ἑῶμεν?* nihil vidi.

2 Sed quid est quaeso, quod agripetas Buthroti concisos audio? quid autem Plancus tam cursim (ita enim audiebam) diem et noctem? Sane cupio scire quid sit.

---

suadere cupiebat, ut a civili bello abesset, et neutram patrem sequeretur.

Epist. DCCXLVII. 1. *in Nesidem*] Nesis insula Campaniae obiecta, in qua Brutus erat in villa Luculli filii. Philipp. X. Meminit Plinius XIX. 18. Lucanus VI. 90. et Papinius Silv. III. 1, 150. *Popma.*

Nonis Iuliis] Scripserat Atticus Ciceroni Bruti ludos esse proscriptos sic: A NONIS IULIIS ad III. IDUS. Id Cicero detestatur, quia nimis absurdum videretur apparere Iulii nomen in proscriptione ludorum, quos Brutus daret, is qui ipse Iulium non ferens vita privasset. Oportebat autem non *nonis Iuliis* proscribere, sed *nonis Quintilibus*, primum ne tyranni nomen usurparetur, deinde quae ad Caesaris honorem civitas non libera constituisset, ea ne confirmarentur. Nam ex historia notum est, decrevisse senatum, ut Iulius mensis e Caesaris nomine vocaretur Quintilis ante dictus cf. ep. ad Att. XVI. 14. (h. ed. 773.) *Manut.*

dii hercule istis] scil. Antonianis male faciant, qui id ausi sunt. *Ernesti.*

quidquamne turpius quam Bruto Iuliis] h. e. quidquamne turpius esse potest, quam Bruto hanc ignominiam infligere, ut eius ludi proscribantur a *Nonis Iuliis.* Lambinus tamen malebat: *quidquamne turpius Bruto quam Iuliis.*

ἔτι ἑῶμεν] Sic Bosius recte (quum in MSS. esset ETEΩMEN) Sensus: adhucne sinemus illos scilicet nobis illudere, et credemus, quum prae se ferunt se velle pacem, nec ardere desiderio vindicandi Caesaris? *Gronov.* In aliis MSS. erat ἔλθωμεν, pro quo Lambinus edidit θέωμεν.

nihil vidi] scil. turpius, vel quod minus ferendum sit.

Meam profectionem laudari gaudeo. Videndum 3
est, ut mansio laudetur. Dymaeos, agro pulsos, mare infestum habere, nil mirum. Ἐν ὁμοπλοΐᾳ Bruti videtur aliquid praesidii esse. Sed, opinor, minuta navigia. Sed iam sciam, et ad te cras.

De Ventidio, πανικὸν puto. De Sexto, pro 4
certo habebatur, haud arma. Quod si verum est; sine bello civili video serviendum. Quid ergo? Kal. Ian. in Pansa spes? λῆρος πολύς, in vino et in somno istorum.

De CCX optime Ciceronis rationes explicentur. 5
Ovius enim recens; is multa, quae vellem; in his ne hoc quidem malum, H-S LXXII satis esse, affatim

---

3. *Dymaeos — nil mirum*] Haec verba vulgo male inter *laudari gaudeo* et *videndum est* collocata, Ernestius in suum locum restituit. Dymaei erant piratae, quos Pompeius in bello piratico prope Dymen in Achaia collocaverat. Ii nunc agris suis pulsi ad pristinum vitae genus redierant, et mare infestum habebant.

praesidii] adversus piratas istos.

4. *de Ventidio*] inane videtur terriculamentum Ventidium Bassum se cum Antonio coniungere. *Popma.*

haud arma] eum posthaec usurpaturum. Supra dixit famam esse, arma abiecturum Pompeium. *Ernesti.*

sine bello civili] quod si verum est, nullum quidem erit bellum civile, sed tamen servitus nostra manebit. Manutius negatione praeposita: *non sine bello civili* legendum arbitratus, a vero sensu aberravit.

istorum] Pansae et Hirtii coss. designatorum.

5. *Ovius enim recens. Is multa quae vellem*] Sic recte locum olim misere corruptum emendavit Turnebus e libris antiquis; ut Cicero dicat Ovium paullo ante Athenis a filio venisse, multaque de eo narrasse quae vellet. Eandem lectionem Lambinus cod. Tornaes. auctoritate confirmavit.

in his ne hoc quidem malum] Vulgo addebatur: *in mandatis sat abunde;* id auctoribus Lambino et Ernestio delevimus.

prorsus; sed Xenonem perexigue, et γλίσχρως praebere. Quod plus permutasti, quam ad fructum insularum, id ille annus habeat, in quem itineris sumptus accessit. Hinc ex Kal. April. ad H-S LXXX accommodetur. Nunc enim insulae tantum. Videndum etiam est, quid, quum Romae erit. Non enim puto socrum illam ferendam. Pindaro decumano negaram.

Xenonem] Hic Attico mandante pecuniam Athenis Ciceroni numerabat, sed perexigue, multisque pensionibus concisam. *Manut.*

γλισχρως praebere] Quod vulgo hic sequebatur: *id est minutatim*, e glossemate in textum irrepsisse viderunt Corradus, Manutius et Valckenarius diatr. in Eurip. fr. p. 194.

quod plus permutasti] edd. pr. *quae quo plus*. Vulgo *quo plus*. Sed scribendum *quod plus permutasti* etc. quod ei plus curasti Athenas permutatione, quam fructus, *mercedes* supra vocavit, insularum efficiunt, (*ad* est verbum rationis) id in illum annum computetur, in quo itineris sumptus accedunt ad reliquos sumptus. *Ernesti.*

videndum etiam est] Vulgo *videndum enim est*. Sed h. l. *enim* non quadrat; nec in tribus incisis deinceps positis eandem particulam ter repetere Ciceronianum est.

quid quum Romae erit] necessarium ei futurum sit in sumptum. *Ernesti.*

socrum illam ferendam] Sunt qui Publiliam matrem intelligant; et Manutius quidem sic explicat: Quum enim Publiliae uxoris meae matrem ferre non possim, divortium erit faciendum, ita dote reddita, re familiari comminuta unde filio suppeditabimus? At Publiliae, quum hoc scribebat Cicero, iam ante aliquot menses nuntium remiserat, et partem dotis iam ab eo redditam fuisse, ex ep. 750. perspicitur. Non magis placet Ernestii ratio, qui sententiam *non enim puto socrum illam ferendam* sic supplendam putat: Publiliam, ut apud eum filius habitare et vivere possit. Quomodo enim Ciceroni in mentem venire potuisset, filium suum dimissae uxoris matri delegare, quae eum in domum suam reciperet, ut sumptus scilicet in filium erogandi sibi levarentur? Mongaltius suspicatur aliam

Nunc, cuius rei caussa tabellarium miserim, accipe. Q. filius mihi pollicetur se Catonem. Egit autem et pater, et filius, ut tibi sponderem: sed ita, ut tum crederes, quum ipse cognosses. Huic ego literas ipsius arbitratu dabo. Eae te ne moverint. Has scripsi in eam partem, ne me motum putares. Dii faxint, ut faciat ea, quae promittit! commune enim gaudium. Sed ego nihil dico amplius. Is hinc VII Idus. Ait 6

Publilia dimissa; Ciceroni conditionem, uxoris ducendae oblatam fuisse, cuius dote uti posset, ad nomina sua expedienda; cuius tamen matrem ferri posse h. l. neget. Quae ratio etsi ceteris istis multo probabilior est, certum tamen est hoc tempore Ciceronem post divortium Publiliae a novis nuptiis prorsus abhorruisse. cf. Epist. 515. Itaque hic de puella quadam divite Ciceroni filio collocanda agi opinor, ut sensus sit: videndum etiam est unde filius meus habeat in sumptum, quum Romae erit: nam nuptias illas, quas nosti, haud arbitror confieri posse; etsi enim bene dotata est illa virgo, tamen haud puto matrem eius ut socrum vel filio, vel mihi ferendam esse.

Pindaro decumano] Pindaro publicano, qui decimas agrorum publicorum redemerat. *Gronov.* Alii legerunt *de Cumano*; quod Corradus interpretabatur sic: quum Pindarus me Publiliae et matris nomine rogaret, ut illis in Cumanum venire liceret, negavi. At hoc tempore minime est credibile Publiliam aliquid rogasse, quod Cicero iam antea negaverat. (ep. 550.) Ernestius vero intelligit Pindarum de Cumani venditione adiisse Ciceronem, eumque id venale esse negasse. Male autem huc trahit. XIV. 13. Equidem etsi incertum est, quid Pindaro Cicero negaverit, suspicor tamen Pindarum decumanum fortasse de illa puella Ciceronis filio collocanda ad eum delegatum fuisse, cui ante quam hanc epistolam scriberet, iam negaverat sibi illam conditionem placere.

6. *Catonem*] pollicetur se Catonem in defendenda populi libertate imitaturum;

literas ipsius arbitratu dabo] Significat epistolam proxime sequentem. 748.

is hinc VII Idus] Ernestius ex ed. Rom. reposuit

enim attributionem in Idus, se autem urgeri acriter. Tu ex meis literis, quo modo respondeas, moderabere. Plura quum et Brutum videro, et Erotem remittam. Atticae meae excusationem accipio, eamque amo plurimum, cui et Piliae salutem.

EPISTOLA DCCXLVIII. (ad Att. XVI. 5.)

Scr. in Puteolano VII. Id. Quint. A. U. C. 709.

Praemissis quibusdam de Bruti ludis 1. *Q. Ciceronem filium collaudat* 2. *de navigatione sua se dubitare* 3. *Nepotis epistolam se exspectare* 4. *postremo de epistolis suis edendis scribit.* 5.

CICERO ATTICO S.

Tuas iam literas Brutus exspectabat: cui quidem ego novum attuleram de Tereo Attii. Ille Brutum putabat. Sed tamen rumoris nescio quid afflaverat.

VI. Idus. Vera est autem vulgata. Nam VIII. Idus erat cum Q. filio apud Brutum in Niside; VII. Idus Q. F. profectus est, et ut est in ep. altero die h. e. VI. Idus Atticum convenire volebat.

attributionem in Idus] Solutioni pecuniae debitae debitae destinatas Idus. Ea attributa erat alicui Romae a creditore Quinti. *Ernesti.*

Epist. DCCXLVIII. *novum attuleram*] Vulgo *non novum attuleram.* Negandi autem particulam delendam esse iam Manutius viderat.

de Tereo Attii] quod in ludis Bruti nomine Romae datis Tereum Attii tragoediam populus magno plausu excepisset. cf. ep. 2. (h. ed. 750.) *Manut.*

Brutum] aliam Attii tragoediam de L. Bruto, qui Tarquinium regem eiecit M. Bruti ludis actam. De hac tragoedia Cicero in orat. pro Sextio cap. 56. et de Div. l. I. c. 22. et ep Varr. de L. L. lib. IV. *Manut.*

nescio quid afflaverat] nescio quid rumoris affluxerat. Absolute dictum, non ut alibi ἐνεργητικῶς. Ut in Cat. mai. c. 17. *suavitatem odorum, qui afflarent e floribus.* Et Lucretius lib. VI.

commiſſione Graecorum, frequentiam non fuiſſe: quod quidem me minime fefellit. Scis enim, quid ego de Graecis ludis exiſtimem.

Nunc audi quod pluris eſt, quam omnia. Quin- 2
tus fuit mecum dies complures: et, ſi ego cuperem, ille vel plures fuiſſet: ſed, quantum fuit, incredibile eſt, quam me in omni genere delectarit: in eoque maxime, in quo minime ſatisfaciebat. Sic enim commutatus eſt totus, et ſcriptis meis quibusdam, quae in manibus habebam, et aſſiduitate orationis, et praeceptis, ut tali animo in rem publicam, quali nos volumus, futurus ſit. Hoc quum mihi non modo confirmaſſet, ſed etiam perſuaſiſſet, egit mecum accurate multis verbis, tibi ut ſponderem, ſe dignum et te, et nobis futurum; neque ſe poſtulare, ut ſtatim crederes, ſed, quum ipſe perſpexiſſes, tum ut ſe amares. Quod niſi fidem mihi feciſſet, iudicaſſemque hoc, quod dico, firmum fore, non feciſſem id, quod dicturus ſum. Duxi enim mecum adoleſcentem ad Brutum. Sic ei probatum eſt, quod ad te ſcribo, ut ipſe crediderit, me ſponſorem accipere noluerit, eumque laudans amiciſſime mentionem tui fecerit, complexus oſculatusque dimiſerit. Quamobrem etſi magis eſt,

---

682. *fornacibus efflet.* Et ibidem VI. 70. *atque efflare foras.* *Manut.*

commiſſione Graecorum] quum Graeci ludi committerentur infrequentem populum affuiſſe. *Commiſſione* ipſo initio. *Manut.*

de Graecis ludis exiſtimem] minime dignos, qui ſpectentur, ep. 1. lib. VII. (h. ed. 126.) *Manut.*

2. *Quintus fuit*] Nempe haec eſt epiſtola, quam Cicero Q. filio ipſi ad Atticum perferendam tradiderat, ipſius arbitratu ſcriptam; de qua epiſt. 747. Atticum monuerat, ne laudibis ipſi tributis nimium fideret.

in quo minime ſatisfaciebat] Intelligit amicitiam Quinti cum Antonio et conſenſionem cum Caeſarianis. lib. XIV. 14. 17. 19. (h. ed. 693. 698. 700.) *Manut.*

quod gratuler tibi, quam quod te rogem, tamen etiam rogo, ut, si quae minus antea propter infirmitatem aetatis constanter ab eo fieri videbantur, ea iudices illum abiecisse; mihique credas, multum allaturam, vel plurimum potius, ad illius iudicium confirmandum, auctoritatem tuam.

3 Bruto quum saepe iniecissem de ὁμοπλοίᾳ, non perinde, atque ego putaram, arripere visus est. Existimabam μετεωρότερον esse: et hercule erat, et maxime de ludis. At mihi, quum ad villam redissem, Cn. Lucceius, qui multum utitur Bruto, narravit, illum valde morari, non tergiversantem, sed exspectantem, si qui forte casus. Itaque dubito, an Venusiam tendam, et ibi exspectem de legionibus; si aberunt, ut quidam arbitrantur, Hydruntem: si neutrum erit ἀσφαλές, eodem revertar. Iocari me putas? moriar, si quisquam me tenet praeter te. Etenim circumspice; sed ante, erubesco. O dies in auspiciis Lepidi lepide descriptos, et apte ad consilium reditus nostri.

---

3. *de ὁμοπλοίᾳ*] de meo una cum eo navigandi proposito.

arripere] Bene *arripere* Victorius pro *accipere* dedit e codd. vett. Sed tamen sic et Iensonus dederat. *Ern.*

μετεωρότερον] animo suspensiore et molestia quadam districto.

exspectem de legionibus] dum audiam transiiciantne legiones e Graecia, an, ut quidam arbitrantur, nullae veniant. Verebatur maxime, ne si ipse Hydrunte aut Brundisio transiiceret in Graeciam, incideret in legiones Macedonicas, quas in Italiam adventare rumor increbuerat. lib. XV. 21. et XVI. 4. (h. ed. 732. 749.) *Man.*

circumspice, sed ante, erubesco] Si vera est lectio, nihil melius quam cum Gronovio post Iunium sic explicare: circumspice, num quis sit alius, cuius cupiditate remanere velim, sed ante oculos tuos et in os tuum hoc dicere erubesco, ne me blandum existimes.

dies — lepide descriptos] Lepidus Pontifex Max. in auspiciis pontificatus ferias indixerat; vid. ep. 11. (h.

Magna ῥοπὴ ad proficiſcendum tuis literis. Atque utinam te illic! ſed ut conducere putabis.

Nepotis epiſtolam exſpecto. Cupidus ille meo- 4
rum? qui ea, quibus maxime γαυριῶ, legenda non putet? et ais μετ' ἀμύμονα. Tu vero ἀμύμων: ille quidem ἄμβροτος.

Mearum epiſtolarum nulla eſt συναγωγή: ſed ha- 5
bet Tiro inſtar ſeptuaginta. Et quidem ſunt a te quaedam ſumendae. Eas ego, oportet, perſpiciam, corrigam. Tum denique edentur.

---

ed. 768.) Eas dicit Cicero lepide deſcriptas, quia eius conſilio redeundi Romam bene conveniebant. *Erneſti.*

magna ῥοπή] valde me ad profectionem impellunt literae tuae. *Manut.*

te illic] ſcil. in Graecia videam.

4. *Nepotis epiſtolam*] Cornelii Nepotis, clariſſimi hiſtorici, ad quem fuerunt Ciceronis libri epiſtolarum. Is non multum tribuebat philoſophiae, atque adeo exagitabat ipſos philoſophos, ut animo et vita improbos, quod indicant ipſius verba ex epiſtola ad Ciceronem, quae Lactantius refert lib. III cap. 16. Inſtitut. divinar. *Tantum abeſt, ut ego magiſtram eſſe putem vitae philoſophiam, beataeque vitae perfectricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris vivendi quam philoſophis, qui in ea diſputando verſantur. Videmus enim magnam partem eorum, qui in ſchola de continentia et pudore praecipiunt argutiſſime, eosdem in omnium libidinum voluptatibus verſari* — *Popma.*

quibus maxime γαυριῶ] quibus maxime glorior et ſuperbio, nempe ſcripta philoſophica.

et ais μετ' ἀμύμονα] ſcripſerat Atticus ad Ciceronem, Cornelium Nepotem teneri magno deſiderio ſcriptorum ipſius; ſimulque Nepotem commendans, dixerat eum eſſe μετ' ἀμύμονα, (poſt eum qui omnis reprehenſione ſolutus eſſet,) quum Ciceronem ipſum intelligeret, et ab eo ſecundum Cornelium faceret. Cicero hanc laudem a ſe modeſte amovens ait Atticum ipſum eſſe ἀμύμονα, Cornelium vero ἄμβροτον i. e. divinum plane et immortalem. Reſpicit autem ad verſum illum Homericum ex Odyſſ. H. quo

EPISTOLA DCCXLIX. (ad Att. XVI. 4.)

Scr. in Puteolano VI. Id. Quint. A. U. C. 709.

Narrat quid apud Brutum de Sex. Pompeio audiverit 1. *de Buthrotiis se nihil certi reperisse scribit* 2. *denique de navigatione sua quae cogitet exponit* 3.

CICERO ATTICO S.

Ita ut heri tibi narravi, vel fortasse hodie (Quintus enim altero die se aiebat) in Nesida VIII Idus. Ibi Brutus. Quam ille doluit de Nonis Iuliis? mirifice est conturbatus. Itaque sese scripturum aiebat, ut venationem etiam, quae postridie ludos Apollinares futura est, proscriberent, III. ID. QUINT. Libo intervenit. Is Philonem, Pompeii libertum, et Hilarum suum, venisse a Sexto cum literis ad consules, sive quo alio nomine sunt. Earum exemplum nobis legit, si quid videretur. Pauca παρὰ λέξιν: ceteroqui et satis gravi-

---

'Aiacem laudans ait eum omnium formosissimum fuisse μετ' ἀμύμονα Πηλείωνα. *Manut.*

Epist. DCCXLIX. 1. *ita ut heri*] ut in literis, quas ad te scripsi, heri legisti, vel fortasse hodie (Quintus enim, cui eas literas dedi, altero se die Romae futurum aiebat) in Nesida veni XVIII. Idus. *Manut.*

de Nonis Iuliis] quod in ludorum suorum proscriptione *Nonis Iuliis* pro *Nonis Quintilibus* legeretur. cf. ep. 1. (h. ed. 747.)

venationem eam — futura esset] Recte sic Ernestius corrigendum censuit vulg. *venationem etiam — futura est.*

et Hilarum suum] in edd. vett. compluribus est *et Hilarum suum libertum;* in quo *libertum* sine causa repetitum delevit post P. Manutium Ernestius.

a Sexto] Pompeio, Libonis genero, ut ex Dione cognoscitur. *Manut.*

alio nomine] quasi consules appellandi non essent Antonius et Dolabella, qui non agerent id, quod consules deceret. *Manut.*

si quid videretur] haec est lectio edd. pr. cuius sensus est, ut si quid videretur notandum, diceremus. Eam tamen correxere: *dixi, quid videretur,* quod sequentibus non consentit. *Ernesti.*

pauca παρὰ λέξιν] quaedam minus proprie dicta;

ter, et non contumaciter. Tantum addi placuit, quod erat COSS. solum, ut esset, PRAETT. TRIBB. PLEB. SENATUI; ne illi non proferrent eas, quae ad ipsos missae essent. Sextum autem nuntiant cum una solum legione fuisse Karthagine: eique eo ipso die, quo oppidum Boream cepisset, nuntiatum esse de Caesare: capto oppido, miram laetitiam, commutationemque animorum, concursumque undique: sed illum ad sex legiones, quas in ulteriore reliquisset, revertisse. Ad ipsum autem Libonem scripsit, nihil esse, nisi ad larem suum liceret. Summa postulatorum, ut omnes exercitus dimittantur, qui ubique sint. Haec fere de Sexto.

De Buthrotiis undique quaerens, nihil reperiebam. Alii, concisos agripetas; alii, Plancum, acceptis nummis, relictis illis, aufugisse. Itaque non video sciturum me, quid eius sit, ni statim aliquid literarum. 2

ἄχυρα, in quo Ernestius non debebat offendi. „Nam si maxime, inquit, quaedam parum proprie dixit, quid id ad rem in tali epistola?„ Cur autem Cicero, Liboni, qui Brutum et Ciceronem rogaverat, ut si quid videretur notandum, dicerent, non aliquot orationis vitia notaret, quae tamen corrigi nihil attinebat? Itaque recte Mongaltius: *il y a quelques fautes du stile; du reste elles sont ecrites avec dignité et avec moderation.* Fortasse tamen scripsit Cicero *pauca* περὶ λέξιν.

et non contumaciter] sine superbia. *Manut.*

Boream] Intelligunt vulgo Boream Africae oppidum. Sed quid id ad Sextum, qui in Hispania erat? Itaque aut in vicinia Carthaginis Hispanicae fuit oppidum hoc nomine, aut vitiosa est lectio. *Ernesti.* Fortasse scriptum fuit *Bigerram*, quod nomen est oppidi in Hispania. Turnebus conieceerat *Eboram* in Lusitania.

nisi ad larem suum liceret] sc. reverti. Scripserat Sex. Pompeius se ab armis non recessurum et pacem facturum, nisi domum patris sui publicatam et venditam Antonio reciperet. *Ernesti.*

3 Iter illud Brundisium, de quo dubitabam, sublatum videtur. Legiones enim adventare dicuntur. Haec autem navigatio habet quasdam suspiciones periculi. Itaque constituebam uti ὁμοπλοίᾳ. Paratiorem offendi Brutum, quam audiebam. Nam et ipse Domitius bona plane habet dicrota: suntque navigia praeterea luculenta Sestii, Buciliani, ceterorum. Nam Cassii classem, quae plane bella est, non numero ultra fretum. Illud est mihi submolestum, quod parum Brutus properare videtur. Primum confectorum ludorum nuntios exspectat; deinde, quantum intelligo, tarde est navigaturus, consistens in locis pluribus. Tamen arbitror esse commodius tarde navigare, quam omnino non navigare; et si, quum processerimus, exploratiora videbuntur, Etesiis utemur.

EPISTOLA DCCL. (ad Att. XVI. 2.)

Scr. in Puteolano a. d. IV. Quint. A. U. C. 709.

De Buthrotiis 1. *de nominibus suis expediendis* 2. *de suo cum Bruto congressu* 3. *de itinere suo* 4. *breviter de aliis* 5.

CICERO ATTICO S.

Sexto Idus duas epistolas accepi, unam a meo

---

3. *haec autem navigatio*] e portu Puteolano, s. Puteolis in Graeciam *habet suspiciones periculi* a piratis, qui in illo mari vagari dicatur, de quo supra. *Ernesti.*

non numero ultra fretum] Siculum scilicet; quia Cassius inde Syriam, non Graeciam petebat.

et si] Sic Gronovius recte hoc sensu: et si, ubi iam in cursu fuerimus, speculatoriae naves, ut mos est, praemissae explorandi itineris caussa, nobis referent pacatum liberumque a piratis esse, omisso Bruto, ventis Etesiis nos mandabimus. Antea legebatur *etsi*, sensu incommodo.

tabellario, alteram a Bruti. De Buthrotiis longe alia fama in his locis fuerat: sed cum aliis multis hoc ferendum.

Erotem remisi citius, quam constitueram, ut 2 esset, qui Hortensio; et quia equitibus quidem ait se Idibus constituisse. Hortensius vero impudenter. Ni-

---

Epist. DCCL. 1. *longe alia fama*] Scribis agrum Buthrotium dici a Planco divisum agripetis, at nos hic contra audieramus agripetas a Buthrotiis concisos et eiectos. ep. 1. (h. ed. 747.) *Manut.*

2. *ut esset qui Hortensio*] Hortensius Cluvii heres, quae illi bonorum Cluvianorum pars ex hereditate obvenerat, eam Ciceroni vendidit coheredi, pactus ut pecunia sibi tribus pensionibus numeraretur. Ex iis pensionibus Cicero duas solverat, et maiorem etiam tertiae partem ante diem solutioni praefinitam, i. e. ante Kal. Sextil. ut impudenter faceret Hortensius, qui quod sibi ex tertia pensione deberetur, ante diem postularet, quum praesertim eius ipsius pensionis maiorem iam partem exegisset. Hac de re ep. 6. (h. ed. 756.) quum, *diligentia*, inquit, *opus est*, *coheredibus pro Cluviano Kalendis Sextilibus persolutum ut sit.* Quo ex loco non Hortensium modo, sed et ceteros coheredes Ciceroni vendidisse, quae illis Cluvius testamento legaverat perspicuum est. *Manut.* In verbis *ut esset qui Hortensio* intelligendum: *petenti responderet.* Ceterum ep. 628. inter coheredes Cluvianos nominabatur *Hordeonius*, quod si h. l. in codice repertum esset, Hortensii nomini praeferendum putarem.

et quia equitibus quidem ait se Idibus constituisse] Si vera est lectio significat, alteram caussam Erotis citius remittendi hanc fuisse, quod is dixerit se equitibus quidem Idibus constituisse h. e. cum iis de pecunia Idibus numeranda convenisse. Quum autem *equitibus* quid Cicero debuerit, difficile sit conlicere, nec satis apte dicatur *equitibus* infinite, merito haec vox Ernestio suspecta fuit. Et quum in antiquo Bessarionis libro Manutius legerit *equid*, suspicor ita scripsisse Ciceronem, *cui quidem ait se Idibus constituisse;* ut significetur Erotem cum Hortensio convenisse, ut Idibus de ea re cum eo

hil enim debetur ei, nisi ex tertia pensione, quae est Kal. Sext. ex qua pensione ipsa maior pars est ei soluta aliquanto ante diem. Sed haec Eros videbit Idibus. De Publilio autem, quod perscribi oportet, moram non puto esse faciendam. Sed quum videas, quantum de iure nostro decesserimus, qui de residuis cccc H-S, cc praesentia solverimus, reliqua rescribamus; loqui cum eo, si videbitur, poteris, eum commodum nostrum exspectare debere, quum tanta sit a nobis iactura facta iuris. Sed amabo te, mi Attice, (videsne, quam blande?) omnia nostra, quoad eris Romae, ita gerito, regito, gubernato, ut nihil a me exspectes. Quamquam enim reliqua satis apta sunt ad solvendum;

---

colloqueretur; cui bene respondet, quod sequitur: *sed haec Eros videbit Idibus.*

Publilio] agitur de pecunia debita ex dote Publiliae dimissae. *Ernesti.*

perscribi oportet] *Perscribere* est de mensa numerare, aut chirographo ab argentario solvere, ut dudum eruditi viri docuerunt, qui modus solvendi nostris mercatoribus est notissimus, cui opponitur praesente pecunia solvere. Dicitur id quoque *rescribere* paulo post. *Graevius.*

de iure nostro decesserimus] Planum fit ex hoc loco intra certam diem reddendam fuisse dotem ab iis, qui divortium fecerant. Cicero autem de suo iure decedens, etiam ante eam diem exceptis cc H-S omnem dotem numeraverat, de quibus cc ut sibi fieret perscriptio Publilius urgebat. epist. 5. (h. ed. 748.) *Manut.*

qui de residuis] qui quum apud me residua essent ex dote H-S cccc, neque dum solutionis dies adesset, ex iis ipsis tamen cccc H-S praesentia solvimus cc, reliquorum facimus perscriptionem. *Manut.*

iactura facta iuris] quum tanto ante diem solverimus, de nostro iure sponte decedentes. Sic infra ep. 6. (h. ed. 756.) *Publilius non debet urgere, quoniam iure non utimur.* — *Manut.*

nihil a me exspectes] nihil ad me referas, sed agas ipse, quod ageres in rebus tuis. *Manut.*

reliqua] collatis creditorum et debitorum nomini-

tamen fit saepe, ut ii, qui debent, non respondeant ad tempus. Si quid eiusmodi acciderit, ne quid tibi sit fama mea potius. Non modo versura, verum etiam venditione, si ita res coget, nos vindicabis.

Bruto tuae literae gratae erant. Fui enim apud 3
illum multas horas in Neside, quum paulo ante tuas literas accepissem. Delectari mihi Tereo videbatur, et habere maiorem Attio, quam Antonio, gratiam. Mihi autem quo laetiora sunt, eo plus stomachi et molestiae est, populum Romanum manus suas non in defendenda re publica, sed in plaudendo consumere. Mihi quidem videntur istorum animi incendi etiam ad repraesentandam improbitatem suam. Sed tamen, *dummodo doleat aliquid, doleat quod lubet.*

---

bus, quum eam pecuniam, quam ipsi debemus, et quam alii nobis, redigimus, id quod superat nobis, *reliqua* dicuntur. *Manut.*

3. *in Neside*] Hunc in Neside congressum significans Philipp. X. 4. *Brutum,* inquit, *his ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis Luculli, propinqui sui, nihil nisi de pace et concordia civium cogitantem.*

delectari — Tereo] Pertinet ad plausum, qui Bruto in ludis eius saepe datus fuerat, quum ageretur fabula Attii Tereus. *Ernesti.*

istorum] Antonium maxime significat, qui patriae liberatores oderat, ad tyrannidem spectans. *Manut.*

incendi] invitari, quod videant populum Bruto absenti plausum dare. *Manut.*

repraesentandam] citius aliquando, quam fecissent, ostendendam. *Manut.* Apte Mongaltius comparavit locum Caesaris de B. G. I. 40. *itaque se, quod in longiorem diem collaturus fuisset, repraesentaturum, et proxima nocte de quarta vigilia castra moturum.*

dummodo doleat] edidi *doleat* pro *doleant* quod omnes libri habent. Nam sic et res et latinitas postulat, et sic alibi habet Cicero, ut Tusc. IV. 20. ubi et Buherius monuit, hic sic corrigendum esse. *Ernesti.* Versiculus est Afranii, quem Cic. in Tusc. dispp. l. l. nominat.

4 Consilium meum quod ais quotidie magis laudari, non moleste fero; exspectabamque, si quid de eo ad me scriberes. Ego enim in varios sermones incidebam. Quin etiam idcirco trahebam, ut quam diutissime integrum esset. Sed quoniam furcilla extrudimur, Brundisium cogito. Facilior enim et exploratior devitatio legionum fore videtur, quam piratarum, qui apparere dicuntur. Sextius VI Idus exspectabatur, sed non venerat, quod sciam. Cassius cum classicula sua venerat. Ego, quum eum vidissem, V Id. in Pompeianum cogitabam, inde Aculanum. Nosti reliqua.

5 De Tutia ita putaram. De Aebutio non credo: nec tamen curo plus, quam tu. Planco et Oppio scripsi equidem, quoniam rogaras: sed, si tibi videbitur, ne necesse habueris reddere. Quum enim tua causa fecerint omnia; vereor, ne meas literas supervacaneas arbitrentur. Oppio quidem utique; quem tibi amicissimum cognovi. Verum, ut voles. Tu, quoniam scribis hiematurum te in Epiro, feceris mihi gratum, si ante eo veneris, quam mihi in Italiam, te auctore,

---

4. *legionum*] quas ab Antonio arcessitas, profectas e Macedonia Brundisium adventare fama erat. Brundisium tamen et iter illud postea vitavit, ut ipse narrat Philipp. I. *Manut.*

piratarum] Dymaeos intelligit, qui agro pulsi mare infestum habebant. ep. 1. (h. ed. 747.) *Manut.*

Sextius — exspectabatur] a Bruto, ut una discederent ep. 4. (h. ed. 749.) *Manut.*

V. Id.] Ita corrigendum esse vulg. *V. Kal.* dudum viderat Manutius. Conf. epist. 758.

5. *de Tutia*] Corradus legendum suspicabatur *de Iulia* ut pertineat ad illam Iuliam, qua de agebatur ep. 745. Eam coniecturam Ernestius sibi valde arridere professus est.

de Aebutio] Sic erat in codd. Tornaes. Crusell. Vulg. olim *de C. Metio.*

Oppio quidem utique] Subaudi: *ne putaris necessarium reddere. Manut.*

in Italiam te auctore] i. e. ante mensem Ianuarium. Nam Atticus auctor erat Ciceroni ut omnino Romae adesset Kalendis Ianuariis;

veniendum sit. Literas ad me quam saepissime, sed de rebus minus necessariis, aliquem nactus; sin autem erit quid maius, domo mittito. Ἡρακλείδειον, si Brundisium salvi, adoriemur. De Gloria misi tibi. Custodies igitur, ut soles: sed notentur eclogarii; quos Salvius, bonos auditores nactus, in convivio duntaxat legat. Mihi valde placent; mallem tibi. Etiam atque etiam vale.

EPISTOLA DCCLI. (ad Att. XVI. 16. *app. B.*)

Scr. in Puteolano a. d. IV. Quint. A. U. C. 709.

Caussam Buthrotiorum iterum Planco commendat.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

Iam antea petivi abs te per literas, ut, quum caussa Buthrotiorum probata a consulibus esset, quibus

---

quod eo die futurum erat, ut a novis Pansa et Hirtio consulibus de re publ. referretur ep. 6. (h. ed. 758.) „meae profectionis approbator fuisti, dummodo Kalendis Ianuariis Romae essem„ et ep. 5. (h. ed. 748.) *Manut.*

sed de rebus] Hoc Ernestius ex edd. pr. revocavit. Vulg. *si de rebus.*

aliquem nactus] quemcunque habueris, cui des.

domo mittito] h. e. domesticos tabellarios.

Ἡρακλείδιον] quod tu a me tantopere postulasti lib. XV. ep. 4. 13. 27. (h. ed. 710. 766. 744.) *Manut.*

sed notentur eclogarii] Legendum *sed notent eclogarii,* partim interpungant, distinguantque membra orationis, partim nomina interloquentium rubrica picta interponant ad faciliorem lectionem. Eclogarii excerptores sunt inter servos studiorum caussa, ut bibliothecarii, anagnostae, scribae, a manuenses. *Gronov.* Probavit Gronovii emendationem Ernestius. Mongaltius tamen *notentur eclogarii* sic intellexit, *notentur loci insigniores*, quod quidem bene respondet iis, quae Cicero XVI. 11. (h. ed. 769.) ad Atticum scribit: *Nostrum opus* (de Gloria) *tibi probari laetor; ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quae mihi florentiora visa sunt tuo iudicio.*

et lege et ſenatusconſulto permiſſum erat, ut de Caeſaris actis cognoſcerent, ſtatuerent, iudicarent, eam rem tu adiuvares; Atticumque noſtrum, cuius te ſtudioſum cognovi, et me, qui non minus laboro, moleſtia liberares. Omnibus enim rebus magna cura, multa opera et labore confectis, in te poſitum eſt, ut noſtrae ſollicitudinis finem quam primum facere poſſimus. Quamquam intelligimus, ea te eſſe prudentia, ut videas, ſi ea decreta conſulum, quae de Caeſaris actis interpoſita ſunt, non ſerventur, magnam perturbationem rerum fore. Equidem, quum multa, quod neceſſe erat in tanta occupatione, non probentur, quae Caeſar ſtatuerit; tamen otii paciſque cauſa acerrime illa ſoleo defendere: quod tibi idem magnopere faciendum cenſeo; quamquam haec epiſtola non ſuaſoris eſt, ſed rogatoris. Igitur, mi Plance, rogo te, et etiam oro, ſic medius fidius, ut maiore ſtudio, magiſque ex animo agere non poſſim, ut totum hoc negotium ita agas, ita tractes, ita conficias, ut, quod ſine ulla dubitatione apud conſules obtinuimus, propter ſummam bonitatem et aequitatem cauſae, id tu nos obtinuiſſe non modo facile patiare, ſed etiam gaudeas. Qua quidem voluntate te eſſe erga Atticum, ſaepe praeſens et illi oſtendiſti, et vero etiam mihi. Quod ſi feceris, me, quem voluntate et paterna neceſſitudine coniunctum ſemper habuiſti, maximo beneficio devinctum habebis: idque ut facias, te vehementer etiam atque etiam rogo.

Epiſt. DCCLI. *non ſerventur*] ut ſervanda cenſuimus cauſa pacis et otii Philipp. I. et XII. 1. ad Fam. (h. ed. 711.) *Corr.*

q. q. voluntate te eſſe erga Atticum] Vulgo abeſt *te*, quod Graevio auctore inſerui.

EPISTOLA DCCLII. (ad Att. XVI. 16. *App. E.*)

Scr. circa Id. Quint. A. U. C. 709.

Buthrotiorum caussam iterum Planco commendat.

CICERO PLANCO PRAET. DES. S.

Ignosce mihi, quod quum antea accuratissime de Buthrotiis ad te scripserim, eadem de re saepius scribam. Non mehercule, mi Plance, facio, quo parum confidam aut liberalitati tuae, aut nostrae amicitiae; sed quum tanta res agatur Attici nostri, nunc vero etiam existimatio, ut id, quod probavit Caesar, nobis testibus et obsignatoribus, qui et decretis, et responsis Caesaris interfueramus, videatur obtinere potuisse, praesertim quum tota potestas eius rei tua sit, ut ea, quae consules decreverunt secundum Caesaris decreta et responsa, non dicam comprobes, sed studiose libenterque comprobes. Id mihi sic erit gratum, ut nulla res gratior esse possit. Etsi iam sperabam, quum has literas accepisses, fore, ut ea, quae superioribus literis a te petiissemus, impetrata essent; tamen non faciam finem rogandi, quoad nobis nuntiatum erit, te id fecisse; quod magna cum spe exspectamus. Deinde enim confido fore, ut alio genere literarum utamur; tibique pro tuo summo beneficio gratias agamus. Quod si acciderit, velim sic existimes, non tibi tam Atticum, cuius permagna res agitur, quam me, qui non minus laboro, quam ille, obligatum fore. Vale.

Epist. DCCLII. *quo parum confidam*] Codd. nonnulli *quod parum confidam.*
nobis testibus] qui libellum dedimus et verba pro Buthrotiis fecimus cf. ep. 16. (h. ed. 738.) *Corr.*

EPISTOLA DCCLIII. (ad Att. XVI. 16. app F.)

Scr. circa die Quint. A. U. C. 709.

Iterum rogat Capitonem ut Buthrotiorum caussam apud Plancum iuvet.

CICERO CAPITONI S.

Non dubito, quin mirere, atque etiam stomachere, quod tecum de eadem re agam saepius. Hominis familiarissimi et mihi omnibus rebus coniunctissimi, permagna res agitur, Attici. Cognovi ego tua studia in amicos, etiam in te amicorum. Multum potes nos apud Plancum iuvare. Novi humanitatem tuam. Scio, quam sis amicis iucundus. Nemo nos in hac caussa plus iuvare potest, quam tu. Et res ita est firma, ut debet esse, quam consules de consilii sententia decreverunt, quum et lege, et senatusconsulto cognoscerent. Tamen omnia posita putamus in Planci tui liberalitate: quem quidem arbitramur quum officii sui, et rei publicae caussa decretum consulum comprobaturum, tum libenter nostra caussa esse facturum. Adiuvabis igitur, mi Capito: quod ut facias, vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA DCCLIV. (ad Att. XVI. 3.)

Scr. in Pompeiano Id. Quint. A. U. C. 709.

Rescribit Attici literis, et quae se in discessu vel moveant, vel consolentur, exponit.

CICERO ATTICO S.

Tu vero sapienter. Nunc demum enim rescribo his literis, quas mihi misisti, convento Antonio Tiburi.

Epist. DCCLIII. *officii sui*] recte sic Ernestius pro vulg. *officii tui*.

Epist. DCCLIV. 1. *Tiburi*] in Tiburtino Metelli Scipionis Philipp. II. 42. V. 7. et

Sapienter igitur, quod manus dedisti, quodque etiam ultro gratias egisti. Certe enim, ut scribis, deseremur potius a re publica, quam a re familiari. Quod vero scribis te magis et magis delectari, O TITE, SI QUID EGO, addis mihi scribendi alacritatem. Quod Erotem non sine munusculo exspectare dicis; gaudeo non fefellisse eam rem opinionem tuam: sed tamen idem σύνταγμα misi ad te retractatius; et quidem ἀρχέτυπον ipsum, crebris locis inculcatum et refectum. Hunc tu tralatum in macrocolum lege arcano convivis tuis; sed, si me amas, hilaris, et bene acceptis; ne in me stomachum erumpant, quum sint tibi irati. De

---

XII. 2. ad Fam. (h. ed. epist. 762.)

quod manus dedisti] Interpretes hoc de re Buthrotia intelligunt. Mihi vero agi videtur de agro Tusculano, in quo Ciceronis quidem villae Antonius pepercerat, alia tamen, quae ei molesta erant, instituerat. De eodem negotio supra ep. 724. sic scripserat: *L. quidem Antonius liberaliter literis sine cura me esse iubet. Habeo unum beneficium, alterum fortasse si in Tusculanum venerit O negotia non ferenda, quae feruntur tamen.*

deseremur potius a re publica quam a re familiari] i. e. si rem publicam tenere non possumus, id potius ferendum est, quam iacturam rei familiaris fieri, quod factum esset, si Antonius Tusculanum nostrum proscripsisset. Minime igitur opus est de transpositione verborum cogitare, quasi Cicero scripsisset: *deseremur potius a re familiari, quam a re publica.* Quod Ernestio in mentem non venisset nisi cum aliis h. l. de re Buthrotia agi putasset.

delectari O TITE] libro de senectute, cuius initium est ab hoc versiculo. *Ernesti.*

exspectare dicis] Nempe Atticus illam epistolam, cui nunc respondet Cicero, scripserat, antequam epistolam 760. cum libro de Gloria accepisset.

idem σύνταγμα] librum de Gloria, cuius antea apographum miserat, nunc ipsum ἀρχέτυπον mittit novis curis retractatum.

in macrocollum] Vid. supra ep. 617.

quum sint tibi irati] quod

Cicerone, velim ita ſit, ut audimus. De Xenone coram cognoſcam; quamquam nihil ab eo arbitror neque indiligenter; neque illiberaliter. De Herode faciam, ut mandas; et ea, quae ſcribis, ex Saufeio et e Xenone cognoſcam. De Q. filio, gaudeo tibi meas literas prius a tabellario meo, quam ab ipſo, redditas; quamquam te nihil fefelliſſet. Verumtamen. Sed exſpecto, quid ille tecum, quid tu viciſſim; nec dubito, quin ſuo more uterque. Sed eas literas Curium mihi ſpero redditurum: qui quidem, etſi per ſe eſt amabilis, a meque diligitur, tamen accedit magnus cumulus commendationis tuae.

2 Literis tuis ſatis reſponſum eſt: nunc audi, quod etſi intelligo ſcribi neceſſe non eſſe, ſcribo tamen. Multa me movent in diſceſſu, in primis mehercule, quod diiungor a te. Movet etiam navigationis labor, alienus non ab aetate ſolum noſtra, verum etiam a dignitate; tempusque diſceſſus ſubabſurdum. Relinquimus enim pacem, ut ad bellum revertamur; quodque temporis in praediolis noſtris, et belle aedificatis, et ſatis amoenis conſumi potuit, in peregrinatione conſumimus. Conſolantur haec. Aut proderimus aliquid Ciceroni; aut, quantum profici poſſit, iudicabimus. Deinde tu iam, ut ſpero, et ut promittis, aderis.

---

minus laute a te accepti ſint. Suaviter iocatur cum Attico, quaſi metuat, ne Attici convivae ſtomachum e coena parum lauta in librum ſuum erumpant.

de Xenone coram cognoſcam] Quum Athenas venero, cognoſcam an verum ſit eum filio meo pecuniam γλισχρως praebuiſſe. cf. ep. 747.

de Herode — Saufeio] utroque Athenis tum verſante.

meas literas] epiſtolam 747.

quam ab ipſo] ſignificat epiſtolam 748, quam Q. filio ad Atticum perferendam dederat.

quin ſuo more uterque] tu ſapienter, ille ſtulte. *Manut.*

2. *aderis*] venies in Epirum, ac fortaſſe Athenas.

Quod quidem si acciderit, omnia nobis erunt meliora. Maxime autem me angit ratio reliquorum meorum; quae quamquam explicata sunt; tamen, quod et Dolabellae nomen in iis est, et attributione mihi nomina ignota, conturbor; nec me ulla res magis angit ex omnibus. Itaque non mihi videor errasse, quod ad Balbum scripsi apertius, ut, si quid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subveniret; meque tibi etiam mandasse, ut, si quid eiusmodi accidisset, cum eo communicares: quod facies, si tibi videbitur, eoque magis, si proficisceris in Epirum. Haec ego conscendens e Pompeiano tribus actuariolis, decem scalmis. Brutus erat in Neside etiam nunc, Neapoli Cassius. Ecquid amas Deiotarum, et non amas Hieram?

Dolabellae nomen] pecunia mihi a Dolabella ex Tulliae dote debita; cuius hoc tempore difficilis erat exactio.

et attributione — ignota] h. e. et nesciam an ii debitores per quos mihi Dolabella attributione soluturum se ostendit, bona nomina sint. Manutius legebat: *et attributio mihi nominum ignota*; quod minus aptum videtur. Melius est, quod Ernestio placuit, *et in attributione mihi nomina ignota*, i. e. in iis, a quibus pecuniam per attributionem accipere debeo, sunt mihi ignoti homines.

ut non concurrerent nomina] ut, quo tempore ego solvere debeam creditoribus meis, non respondeant ii, qui mihi debent.

ecquid amas et non amas Hieram] Hieram et Blesamium legatos Deiotari nominat in oratione pro eo habita cap. 15. Et illud *amas* est dictum εἰρωνικῶς. Cur, inquit, Hieram aeque atque Deiotarum odio dignum non putas, qui quum ei praescriptum esset a Deiotaro, ne quid sine Sexti nostri sententia ageret, neque ad illum neque ad quemquam nostrum retulit. Miserat autem eum Deiotarus, ut Armeniam sibi a Caesare ereptam emeret ab Antonio, quod factum est Fulvia, quae Antonii uxor erat, intercedente, i. e. cum Deiotari legatis de pretio paciscente, inde illud XIV. 12. (h. ed. 691.) *Deiotarus noster dignus ille quidem omni regno, sed non per Fulviam.*

qui, ut Blesamius venit ad me, quum ei praescriptum esset, ne quid sine Sexti nostri sententia ageret; neque ad illum, neque ad quemquam nostrum retulit. Atticam nostram cupio absentem suaviari; ita mihi dulcis salus visa est, per te missa ab illa. Referes igitur ei plurimam, itemque Piliae dicas velim.

EPISTOLA DCCLV. (ad Div. VII. 20.)

Data XIII. Kal Sext. A. U. C. 709 Veliae.

Scribit de amore Veliensium in Trebatium, et hortatur, ne paternas possessiones vendat, quae, tam miseris temporibus, perfugium esse possint.

CICERO TREBATIO S. D.

Amabilior mihi Velia fuit, quod te ab ea sensi amari. Sed quid ego dicam te? quem quis non amat? Rufio, medius fidius, tuus ita desiderabatur, ut si esset unus e nobis. Sed ego te non reprehendo, qui illum

---

Armeniam autem quum Deiotaro Antonius accepta grandi pecunia venderet, dixit se restituere ex Caesaris libellis. Quod ei Cicero Philipp. II c. 37. in criminibus obiicit his verbis: *Sunt ea quidem innumerabilia, quae a diversis emebantur non insciente te; sed unum egregium de rege Deiotaro populo Romano amicissimo decretum in Capitolio fixum, quo proposito nemo erat, qui in ipso dolore risum posset continere. Quis enim inimicior quam Deiotaro Caesar?* et quae sequuntur. *Manut.*

Sexti nostri] Peducei.

Epist. DCCLV. *Rufio*] I. F. Gronovius hunc eundem esse putat, qui perstringitur ad Att. V. 2. (h. ed. 185.) Quod si verum esset, ea quae hic videntur in laudem eius dici, ironice potius dicta putarem. Multo autem probabilius est alium hunc esse Rufionem, ac fortasse Trebatii gentilem. Manutius enim antiquum lapidem commemorat, quem vidit Romae ad portam Latinam, sic inscriptum: C. VIBIUS C. F. MACER. C. TREBATIUS. RUFIO. FACIUND. CURAVERUNT.

ad aedificationem tuam traduxeris. Quamquam enim Velia non est vilior, quam Lupercal, tamen istuc malo, quam haec omnia. Tu, si me audies, quem soles, has paternas possessiones tenebis: nescio quid enim Velienses verebantur: neque Haletem, nobilem amnem, relinques, nec Papirianam domum deseres. Quamquam illa quidem habet lotum, a quo etiam advenae

---

aedificationem tuam] aedificabat Trebatius in regione Lupercali proxima. *Manut.*

Lupercal] Locus in urbe Roma, sic appellatus a Lupercali sive fano Panis Luperci. Varro IV. de L. L. 24. *Luperci*, quod *Lupercalibus* in *Lupercali sacra faciebant*. Iustin. XLIII. 1. *Gronov.*

tamen istuc malo quam haec omnia] Gronovius interpretatur: *nempe ut domus tibi sit, in qua nobiscum vivas Romae.* At cur Cicero diceret *quam haec omnia?* Neque vero sic apparet, quomodo ista vel inter se vel cum antecedente cohaereant, id quod iam Ernestius monuit: Itaque suspicor legendum esse: *quamquam enim Velia non est vilior quam Lupercal, tamen istic malo te, quam hic hiemare;* vel certe aliquid in eandem sententiam. Nam verba *quam haec omnia* sine dubio corrupta sunt. Cicero igitur laudat Trebatium, quod in Lupercali aedificet; quamquam enim Veliam habeat, ubi suaviter vivere possit, mavult tamen Cicero eum hieme Romae habitare, ubi eius consuetudine scilicet frui possit. Neque tamen possessiones, quas Veliae habeat, ideo deseri vult, sed potius ad perfugium et secessum servari.

Tu si me audies] In quibusdam MSS. fuit *tamen si me audies;* quod aptum esset, si proxime antecedentia ut diximus, legerentur *tamen istic malo te quam hic hiemare.*

verebatur] ne tu forte possessiones Velinas venderes.

Haletem] Hales, s. Heles fluvius in Lucania prope Veliam.

nobilem amnem] iocose εἰρωνεύεται.

lotum] *Lotum* correxit e MS. Flor. Victorius, quum alii libri, ut edd. vett., haberent *locum*; cui vitio etiam genus masculinum in *a quo*, *quem*, locum fecisse videtur; in quo ipse Victo-

teneri solent: quem tamen si excideris, multum prospexeris. Sed in primis opportunum videtur, his praesertim temporibus, habere perfugium, primum eorum urbem, quibus carus sis: deinde tuam domum tuosque agros, eaque remoto, salubri, amoeno loco: idque etiam mea interesse, mi Trebati, arbitror. Sed valebis, meaque negotia videbis, meque diis iuvantibus ante brumam exspectabis. Ego a Sex. Fadio, Niconis discipulo, librum abstuli, Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suavem, meque docilem ad

---

rius haerebat, quod non erat necesse, quum et alii *lotum* eo genere dixerint, et Graeci semper. *Lotum* hic legendum esse, etiam coniectura intelligi poterat e verbis, *quo advenae teneri solent*, et *quem si excideris*. Nam id manifeste respicit Graecorum de loto proverbium, et hac de arbore esse sermonem docet. *Ernesti*. Fuerunt olim qui *lucum* emendarent, quod iam Victorius iure improbavit. Ante domum Papirianam Veliae erat lotus arbor, patulis diffusa ramis, quae illam domum obumbrabat. Itaque Cicero iocans, ut fere solet cum Trebatio; hoc ait: non deseres Papirianam domum a maioribus hereditate acceptam. Quamquam id a te eo minus exspectandum est, quod habet ille domus lotum arborem, a quo etiam advenae teneri solent.

quem tamen si excideris] Lotus scil. prospectui efficiebat. Ceterum hoc dicto Manutius utitur, ut lectionem *lucum* pro *lotum* defendat; quia scil. magis prospectum lucus impediat, quam arbor. Quod etiam si verum esset, h. l. tamen parum valeret, quia Cicero cum Trebatio iocatur. At ne verum quidem est, quod Manutius oggerit. Lotus enim prope ante domum posita et patulis diffusa ramis prospectui sic officere potest, ut vel integer lucus magis eum impedire nequeat.

multum prospexeris] Non duplici sensu accipiendum, ut Corradus putabat, quasi simul innuatur Trebatium excisa arbore rebus suis prospecturum, sed ad solum prospectum ex aedibus refertur.

remoto] sc. ab urbe Roma. *Ernesti*.

Νίκωνος — πολυφαγίας] Hic

hanc disciplinam! Sed Bassus noster me de hoc libro celavit: te quidem non videtur. Ventus increbescit. Cura, ut valeas. XIII. Kal. Sext. Velia.

EPISTOLA DCCLVI. (ad Div. VII. 19.)

Dat. Rhegio V. Kal. Sext. A. U. C. 709.

Trebatio librum Topicorum mittit, in itinere a Velia scriptum.

CICERO TREBATIO S.

Vide, quanti apud me sis; etsi iure id quidem. Non enim te amore vinco. Verumtamen quod praesenti tibi prope subnegaram, non tribueram certe, id

---

Nico in libro, quem de edacitate scripserat, non incommoda solum ex nimio esu oriunda exposuisse videtur, sed etiam praecepisse, qua ratione is, qui plurimum cibi ingessisset, stomachi noxas avertere posset. Ad hanc igitur disciplinam Cicero per iocum se docilem profitetur.

te quidem non videtur] quia te video sine valitudinis damno largiter edere, ut ex lectione illius libri multum mihi profecisse videaris.

ventus increbescit] ut mox me navigaturum sperem.

Epist. DCCLVI. *subnegaram — tribueram*] Nempe ut ex prooemio Topicorum intelligitur, quum Trebatius apud Ciceronem in Tusculano esset, incidit in Aristotelis Topica, et ab eo illorum librorum sententiam requisivit. Et quum Cicero ei exposuisset, disciplinam inveniendorum argumentorum libris illis contineri, rogavit eum Trebatius ut sibi illam traderet. Cicero autem qui tum esset valde occupatus, id facere recusavit, Trebatiumque ut vel Aristotelis libros per se ipse legeret, vel totam rationem a doctissimo quodam rhetore acciperet, hortatus est. Trebatium vero a libris obscuritas reiecit. Rhetor autem ille haec Aristotelia se ignorare respondit. Itaque Trebatius illius rationis cognitione, quam tamen vehementer desiderabat, diutius caruisset, nisi Cicero Veliae quum esset, huius quasi aeris alieni admonitus in ipsa

absenti debere non potui. Itaque, ut primum Velia navigare coepi, institui Topica Aristotelea conscribere, ab ipsa urbe commonitus, amantissima tui. Eum librum tibi misi Rhegio, scriptum, quam planissime res illa scribi potuit. Sin tibi quaedam videbuntur obscuriora: cogitare debebis, nullam artem literis, sine interprete, et sine aliqua exercitatione percipi posse. Non longe abieris. Num ius civile vestrum ex libris cognosci potest? qui quamquam plurimi sunt, doctorem tamen usumque desiderant. Quamquam tu si

---

navigatione se ad Topica conscribenda dedisset. Ceterum ex his, quae modo exposuimus, facile intelligitur, lectionem *subnegaram — tribueram*, quam dudum Corradus et Manutius probaverant, male a plurimis, qui secuti sunt editoribus desertam esse, qui ex aliis codd. invexerunt *subnegarem — tribuerem.*

absenti debere non potui] Topic. c. 1. „Non potui igitur tibi saepius hoc roganti, et tamen verenti ne mihi gravis esses, (facile enim id cernebam,) debere diutius. — "

quam planissime] Hoc bene restituit Graevius, sublatum a Gebhardo, qui *plenissime* ex edd. pr. ediderat, quod et in libro meo est, et edd. vett. pluribus, etiam Victorii. Non hic quaeritur de absolutione et plenitudine operis; tale erat Aristotelicum; nec id de compendiolo tali dici potest; sed de perspicuitate, quam quis facile in illo opusculo desideret; quo pertinent etiam quae sequuntur. *Planissime* habet Gn. 1. *plenissime* secundus. *Ernesti. Planissime* verum esse, etsi Benedictus obloquitur, vel ex eo perspicitur, quod Cicero statim addit: *Sin tibi quaedam videbuntur obscuriora.*

nullam artem literis] i. e. solis libris legendis, qui de ea arte scripti sunt. *Literae* pro libris saepe dictae. *Ernesti.*

usumque desiderant] Graevius quidem in suo primo reperit *unum quem desiderant;* sed ipse in addendis hanc lectionem damnat. Quare mirum videri debet, quare Ernesti quoque hanc lectionem praetulerit. Quam eius sententiam fortasse etiam error confirmavit, quod hanc lectionem primum a Victorio prolatam esse pu-

attente leges, si saepius, per te omnia consequere, ut certe intelligas. Ut vero etiam ipsi tibi loci, proposita quaestione, occurrant, exercitatione consequere. In qua quidem nos te continebimus, si et salvi redierimus, et salva ista offenderimus. V Kal. Sext. Rhegio.

EPISTOLA DCCLVII. (ad Div. XI. 3.)

Scr. prid. Non. Sext. A. U. C. 709.

Contumeliosis et minacibus Antonii literis Brutus et Cassius fortiter respondent.

BRUTUS ET CASSIUS PRAETT. S. D. ANTONIO COS.

S. V. B. E. Literas tuas legimus, simillimas edicti tui, contumeliosas, minaces, minime dignas, quae a te nobis mitterentur. Nos, Antoni, te nulla lacessiimus iniuria, neque miraturum credidimus, si praetores, et ea dignitate homines, aliquid edicto postulassemus a consule. Quodsi indignaris, ausos

---

tabat. Victorii autem lectio ex antiquioribus eruta fuit *unumque desiderant*, sicut etiam Dresd. 1. 2. 3. legunt. Asc. I. Dr. 4. aliaeque quam plurimae edd. legunt *tum eaque*. Dresd. 5. habet *unum quemque*. Manutii coniecturam, *usumque*, ipse Victorius elegantissimam putavit atque Graevius etiam in addendis eam commendat. Haud dubie est aptior, quam reliquae omnes, atque ipsa adeo Lambiniana, quam ex quibusdam libris protulit: *unum quem* — *Benedict.*

per te] etiamsi doctorem non habeas.

Epist. DCCLVII. *simillimas edicti tui*] cuius quod fuerit argumentum ignoramus. Nam de eo quod commemoratur in Philippica tertia, falso h. l. accepit Corradus. Est enim illud mense demum Decembri propositum.

edicto postulassemus] Licebat enim magistratibus de eo, quod ad officium eorum pertinebat, edicere. Postulaverant autem, quia ultra decem dies essent ab urbe afuturi, ut consule ad

esse id facere: concede nobis, ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto et Cassio tribui. Nam de delectibus habitis et pecuniis imperatis, exercitibus sollicitatis et nuntiis trans mare missis, quod te questum esse negas; nos quidem tibi credimus, optimo animo te fecisse: sed tamen neque agnoscimus quidquam eorum, et te miramur, quum haec reticueris, non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Caesaris obiiceres. Illud vero quemadmodum ferendum sit, tute cogita: non licere praetoribus, concordiae ac libertatis causa, per edictum de suo iure decidere, quin consul arma minetur. Quorum fiducia nihil est, quod nos terreas. Neque enim decet, aut convenit nobis, periculo ulli submittere animum nostrum. Neque est Antonio postulandum, ut iis imperet, quorum opera liber est. Nos si alia hortarentur,

---

Senatum referente legibus solverentur, quod nisi factum esset, ultra decem dies peregre esse non poterant. Philipp. II. 13. *Gronov.*

te nuntiis trans mare missis] ad sollicitandos exercitus, praesertim sex legiones Macedonicas, quibus uti Caesar in Parthico bello cogitaverat. *Manut.*

neque agnoscimus] *agnoscere* est fateri; *non agnoscere* negare lib. IV. ep. 4. (h. ed. 649.) *Manut.*

de suo iure decidere] Vulgo legitur *de suo iure decedere* i. e. quum possent Romae magistratum gerere, ab urbe tamen abesse, cuius illi potestatem postulabant. Graevius mavult *decidere* sc. cum senatu; at non postularant a senatu, sed a consule. Nec tamen absurdum est; nam erat tamen genus transactionis et pactionis. *Ernesti.* A consule tantum postulabant, ut de ea re ad senatum referret; ut scil. SCto legibus solverentur; id quod etiam Antonio ferente factum est. Philipp. II. c. 13. Itaque verissimum est, quod Graevius legi voluit *decidere* h. e. transigere, pacisci, ut legibus solverentur, et concordiae causa liceret abesse.

quorum opera liber est] Caesare scil., ut tyranno, interempto.

ut bellum civile suscitare vellemus, literae tuae nihil proficerent. Nulla enim minantis auctoritas apud liberos est. Sed pulchre intelligis, non posse nos quoquam impelli: et fortassis ea re minaciter agis, ut iudicium nostrum metus videatur. Nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus in libera re publica magnum atque honestum esse; vocemus te ad nullas inimicitias, sed tamen pluris nostram libertatem, quam tuam amicitiam aestimemus. Tu etiam atque etiam vide, quid suscipias, quid sustinere possis; neque, quam diu vixerit Caesar, sed quam non diu regnarit, fac cogites. Deos quaesumus, consilia tua rei publicae salutaria sint ac tibi: si minus, ut, salva atque honesta re publica, tibi quam minimum noceant, optamus. Pridie Nonas Sext.

EPISTOLA DCCLVIII. (ad Att. XVI. 6.)

Scr. Vibone a. d. VIII. Kal. Sext. A. U. C. 709.

Scribit de itinere suo; petitque ut nomina sua expediat; denique aliud libri de Gloria prooemium mittit.

CICERO ATTICO S.

Ego adhuc (perveni enim Vibonem ad Sicam) magis commode, quam strenue navigavi: remis enim

---

iudicium — metus videatur] iudicio enim nostro, non armorum tuorum timore nihil novi cogitamus. *Manut.*

quam non diu regnarit] regnavit absoluta potestate, nulla Pompeianarum partium metu, post victos in Hispania Pompeii liberos, quinque tantum menses. Rediit enim Octobri mense a. 708. occisus est Idibus Martiis anni sequentis. *Manut.*

Epist. DCCLVIII. *ad Sicam*] Contra veteres libros *ad Sicam* restitui, quum legeretur *et Sicam.* Significat enim apud Sicam se esse, amicum suum, qui Vibone habitabat. Et quo tempore Clodia rogatione pulsus in exsilium abiit, Vibone item apud eundem Sicam deversatus est, ut apparet ep. 4. lib. III. (h. ed. ep. 55.) *Manut.*

magnam partem; prodromi nulli. Illud satis opportune; duo sinus fuerunt, quos tramitti oporteret, Paestanus, et Vibonensis; utrumque pedibus aequis transmisimus. Veni igitur ad Sicam octavo die e Pompeiano, quum unum diem Veliae constitissem; ubi quidem fui sane libenter apud Testam nostrum; nec potui accipi, illo absente praesertim, liberalius. IX Kal. igitur ad Sicam. Ibi tamquam domi meae scilicet. Itaque obduxi posterum diem. Sed putabam, quum Rhegium venissem, fore, ut illic, δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας,

---

prodromi nulli] aquilones venti exortum caniculae octo diebus antecedunt. Ideo *prodromi* dicti a praecurrendo. Plin. II. 47. *Man.*

pedibus aequis] *Pariare vela* dicuntur navigantes, qui paribus et aequatis velis secundo flatu cursum teneret. Virg. Aen. IV. 587. *sensit et aequatis classem procedere velis.* Quum enim aequaliter tenduntur dextra et sinistra vela, tum prospera navigatio est. Aequatas quippe et secundas auras esse signum est. Unde apud eundem *aequatae spirant aurae.* Apud Macrobium quoque Saturnal. lib. VI. Ciceronis hic locus ita legitur: *Paestanum et Vibonensem sinum pedibus aequis transivimus*, i. e. aequis velis, vel aequaliter tensis. *Pedes* proprie sunt funes ad angulos velorum, quibus ea vertebantur. Hinc et pro velis. Hinc aequi pedes sunt vela aequaliter tensa, quod fiebat, quum aequatae durae velorum sinus implebant. *Salmas.* Plin. Exerc. p. 568. Et huius quidem sententiae Graevius Ernestiusque subscripserunt; de qua propter Macrobii auctoritatem nemo dubitare amplius potest, ut ne opus quidem sit corruptas lectiones, *pedibus equis*, vel *pedibus et eqkis*, quae olim viros doctos exercuerunt, commemorare.

apud Testam nostrum] Vulgo *apud Thalnam nostrum.* Iam Ursino placuit *Testam*, quomodo notatum videbat in libro viri docti. Neque vero dubitari potest, Ciceronem Veliae ad domum Trebatii Testae illo absente devertisse, si conferatur epistola 753. ad eum scripta.

obduxi posterum diem] i. e. insuper addidi.

δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας] *longam navigationem meditantes* ex Odyss. Γ. 169.

cogitaremus, corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, atque inde Corcyram: et, si oneraria, statimne freto, an Syracusis. Hac super re scribam ad te Rhegio. Mehercule, mi Attice, saepe mecum, ἢ δεῦρ' ὁδός σοι τί δύναται; cur ego tecum non sum? cur ocellos Italiae, villulas meas non video? sed id satis superque. Tecum me non esse? Quid fugientem? Periculumne? At id nunc quidem, nisi fallor, nullum est. Ad ipsum autem revocat me auctoritas tua. Scribis enim in caelum ferri profectionem meam, sed ita, si ante Kal. Ian. redeam; quod quidem certe enitar. Malo enim vel cum timore domi esse, quam sine timore Athenis tuis. Sed tamen prospice, quo ista vergant; mihique aut scribe, aut quod multo malim, affer ipse. Haec hactenus. Illud velim in bonam partem accipias, me agere tecum, quod tibi maiori curae sciam esse, quam ipsi mihi. Nomina mea, per deos, expedi, exsolve; belle reliqua reliqui. Sed opus est diligentia, coheredibus pro Cluviano Kal.

---

corbitane] navi oneraria.

atque inde] Sic Ernestius e Lambini coniectura edidit. Vulgo male *Ast inde*.

ἢ δεῦρ' ὁδός] eodem versiculo usus est supra ep. 723.

at id nunc quidem] Particulam *at* de Gronovii sententia praeposui, quae vulgo abest.

ad ipsum autem revocat] Vulgo *ad ipsum enim*, sed particulae *enim* hic non est locus. Sensus est: Nunc quidem nullum video esse periculum, cuius causa fugiam; tu vero me revocas ad id tempus, quo in ipsum periculum incidam. Et hoc Ciceronem significare colligitur e verbis epistolae 757. *Ita fiebat, ut dum minus periculi videretur, abessem; in flammam ipsam inciderem.*

bella reliqua reliqui] i. e. sat magna reliqui debitorum nomina, unde creditoribus meis satisfieri possit. Germani dicunt: *Ich habe schöne Ausstände hinterlassen.* Mongaltius vertit: *j'ai laissé assez de fond.* Ernestius edidit, *belle reliqua reliqui*, qua auctoritate nescio, eodem tamen sensu.

Sext. persolutum ut sit. Cum Publilio quo modo agendum sit, videbis. Non debet urgere, quoniam iure non utimur, sed tamen ei quoque satisfieri plane volo. Terentiae vero, quid ego dicam? etiam ante diem, si potes. Quin, si, ut spero, celeriter in Epirum: hoc, quod satisdato debeo, peto a te, ut ante provideas, planeque expedias, et solutum relinquas. Sed de his satis; metuoque, ne tu nimium putes. Nunc negligentiam meam cognosce. De Gloria librum ad te misi: at in eo prooemium id est, quod in Academico tertio. Id evenit ob eam rem, quod habeo volumen prooemiorum. Ex eo eligere soleo, quum aliquod σύγγραμμα institui. Itaque iam in Tusculano, qui non meminissem me abusum isto prooemio, conieci id in eum librum, quem tibi misi. Quum autem in navi legerem Academicos, agnovi erratum meum. Itaque statim novum prooemium exaravi; tibi misi. Tu illud desecabis, hoc agglutinabis. Piliae salutem dices, et Atticae, deliciis atque amoribus meis.

EPISTOLA DCCLIX. (ad Att. XVI. 7.)

Scripsit navigans ad Pompeianum a. d. XIV. Kal. Sept. A. U. C. 709.

Reversionis suae causas exponit, et consilium in Graeciam proficiscendi excusat.

CICERO ATTICO S.

Octavo Id. Sext. quum a Leucopetra profectus

---

celeriter in Epirum] proficisceris.

Atticae] Hanc puellam, cuius se per iocum amatorem esse fingit, delicias et amores suos nominat.

Epist. DCCLIX. *quum a Leucopetra*] Narrat idem in Philippica l. c. his verbis: *Quum me ex Sicilia ad Leucopetram quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent, ab eo loco conscendi, ut transmitterem; nec ita multo post reiectus Austro sum in eum ipsum lo-*

(inde enim tramittebam) stadia circiter ccc processissem, reiectus sum austro vehementi ad eandem Leucopetram. Ibi quum ventum exspectarem, (erat enim villa Valerii nostri, ut familiariter essem, et libenter,) Rhegini quidam, illustres homines, eo venerunt, Roma sane recentes; in iis Bruti nostri hospes, qui Brutum Neapoli reliquisset. Haec afferebant, edictum Bruti et Cassii; et fore frequentem senatum Kal.; a Bruto et Cassio literas missas ad consulares et praetorios; ut adessent, rogare. Summam spem nuntiabant, fore, ut Antonius cederet, res conveniret, nostri Romam redirent. Addebant etiam, me desiderari, subaccusari. Quae quum audissem, sine ulla dubitatione abieci consilium profectionis, quo mehercule ne antea quidem delectabar. Lectis vero tuis literis, admiratus equidem sum, te tam vehementer sententiam commutasse; sed, non sine causa, arbitrabar. Etsi, quamvis

---

cum unde conscenderam. Quumque intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii, comitis et familiaris mei; postridieque apud eundem, ventum exspectans manerem; municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex iis quidam Roma recentes a quibus primum accipio M. Antonii concionem; quae ita mihi placuit, ut ea lecta de reversione primum coeperim cogitare. Nec multo post edictum Bruti affertur et Cassii, quod quidem mihi, fortasse, quod eos, etiam plus rei publ. quam familiaritatis gratia diligo, plenum aequitatis videbatur. Addebant praeterea, rem conventuram, Kalendis Sext. senatum frequentem fore, Antonium repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis, ad auctoritatem senatus esse rediturum. — Manut.

processissem] flantibus ab occidente etesiis, quod lib. II. Met. docet Aristoteles. Ii venti euntem in Graeciam Ciceronem, quasi boni cives, relinquentem rem publ. prosequi noluerunt. ad Fam. XII. 25. (h. ed. 811. *Man.*

ut adessent] in senatu. *Manut.*

sententiam commutasse] qui quum antea profectio-

non fueris suasor et impulsor profectionis meae, approbator certe fuisti, dummodo Kal. Ian. Romae essem. Ita fiebat, ut, dum minus periculi videretur, abessem, in flammam ipsam venirem. Sed haec, etiamsi non prudenter, tamen ἀνεμέσητα sunt; primum, quod de mea sententia acta sunt; deinde, etiamsi te auctore, quid debet, qui consilium dat, praestare praeter fidem? Illud admirari satis non potui, quod scripsisti his verbis: *veni igitur tu, qui εὐθανασίαν: relinques patriam?* An ego relinquebam, aut tibi tum relinquere videbar? Tu id non modo non prohibebas, verum etiam approbabas. Graviora, quae restant. *Velim σχόλιον aliquod elimes ad me, oportuisse te istuc facere.* Itane, mi Attice, defensione eget meum factum, praesertim apud te, qui id mirabiliter approbasti? ego

---

nem meam probaveris, idem nunc reprehendas. *Manut.*

etiamsi — sunt] quamquam non erat a me prudenter institutum, tu tamen in eo non es reprehendendus.

veni igitur — patriam] Vetus lectio erat: *bene igitur tu qui εὐθανασίαν, bene relinquis patriam?* Sic est in Ald. Victorius in textu edidit: *bene igitur tu, qui εὐθανασίαν bene, relinque patriam.* In posteriore tamen editione auctor fuit lectionis *veni igitur, qui εὐθανασίαν, veni, relinques patriam?* quam etiam Lambinus in Ms. invenit. Ernestius recte censuit alterum *veni* delendum esse. Eidem tamen haud assentior, pro lectione *relinques* cum edd. Rom. Orat. Asc. Ald. praeferenti *relinquis.*

tu qui εὐθανασίαν] Respexit Atticus locum Tusculanarum lib. I. c. 45. *Sed profecto mors tum aequissimo animo oppetitur, quum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere;* et quae sequuntur. Nam quod Manutius putabat, eum allusisse ad locum ep XV. 20. (h. ed. 731.) *ex hac naxa exire constitui non ad fugam, sed ad spem mortis melioris,* id Attici admonitioni parum respondisset.

vero istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι, sed ad eorum aliquem, quibus invitis et dissuadentibus profectus sum. Etsi quid iam opus est σχολίῳ? si perseverassem, opus fuisset. At hoc ipsum non constanter. Nemo doctus umquam, (multa autem de hoc genere scripta sunt,) mutationem consilii inconstantiam dixit esse. Deinceps igitur haec: *Nam si a Phaedro nostro, expedita excusatio esset. Nunc quid respondemus?* Ergo id erat meum factum, quod Catoni probare non possim, flagitii scilicet plenum, et dedecoris. Utinam a primo ita tibi esset visum! tu mihi, sicut esse soles, fuisses Cato. Extremum illud vel molestissimum. *Nam Brutus noster silet*: hoc est, non audet hominem id aetatis monere. Aliud nihil habeo, quod ex iis a te verbis significari putem; et hercule ita est. Nam XVI Kal. Sept. quum venissem Veliam, Brutus audivit. Erat enim cum suis navibus apud Heletem fluvium citra Veliam millia passuum III. Pedibus ad me statim. Dii immortales, quam valde ille reditu, vel potius reversione mea laetatus, effudit illa omnia, quae tacuerat! ut recordarer illud tuum, *nam Brutus noster silet.* Maxime autem dolebat, me Kal. Sext. in senatu non fuisse. Pisonem ferebat in caelum:

---

istum ἀπολογισμὸν συντάξομαι] *istam defensionem componam.*

si a Phaedro nostro] si hoc fieret a Phaedro nostro, Epicureo, qui finem bonorum in voluptate ponit, negatque sapientem rem publicam tractare.

Catoni] ut Stoicae philosophiae addicto.

vel potius reversione] nempe *reditus* est post finitum negotium. cuius causa profecti sumus: *reversio* est mutatio consilii atque adeo itineris ipsius, quum in ipso itinere convertimus nos et retro imus. *Ernesti.* Ut Germanis aliud est: *zurückkehren*, aliud: *wieder umkehren.*

Pisonem] L. Calpurnium Pisonem, Caesaris socerum. In Philipp. I. c. 4. *Ex Bruto primum cognovi quae Kalendis Sextil. in senatu*

se autem laetari, quod effugissem duas maximas vituperationes; unam, quam itinere faciendo me intelligebam suscipere, desperationis, ac relictionis rei publicae; (flentes mecum vulgo querebantur, quibus de meo celeri reditu non probabam;) alteram, de qua Brutus, et qui una erant, (multi autem erant) laetabantur, quod eam vituperationem effugissem, me existimari ad Olympia. Hoc vero nihil turpius, quovis rei publicae tempore: sed hoc, ἀναπολόγητον. Ego vero austro gratias miras, qui me a tanta infamia averterit. Reversionis [has speciosas] caussas habes, iustas illas quidem, et magnas: sed nulla iustior, quam quod tu idem aliis literis: *provide, si cui quod debetur, ut sit unde. [par pari] respondeatur, Mirifice enim δυσχρηστία est. propter metum armorum.*" In freto

---

fuisset L. Pisonis oratio, qui quamquam parum erat, a quibus debuerat, adiutus; tamen et Bruti testimonium, quo quid potest esse gravius? et omnium praedicatione; quos postea vidi, magnam mihi videbatur gloriam consecutus. Et lib. XII. 2. ad Fam. (h. ed. 762.) *Nec Pisoni, qui in Antonium primus invectus est, nullo assentiente, nec mihi, qui idem tricesimo post die feci, nec P. Servilio, qui me est consecutus tuto in senatum venire licet.*

non probabam] quibus non persuadebam me ante Kal. Ianuar. rediturum.

ad Olympia] ad spectaculum ludorum Olympicorum.

quovis rei publ. tempore] turpe fuisset viro consulari et a dignitate mea abhorruisset, quovis rei publ. tempore ludorum spectandorum gratia in Graeciam proficisci.

ἀναπολόγητον] hoc vero tam periculoso rei publ. tempore prorsus nullam haberet excusationem.

has speciosas] Haec verba, quod iam Ernestio visum, mihi quoque librariorum vitio deberi videntur. Fortasse Cicero scripserat: *Reversionis subitae causas habes.*

unde par pari respondeatur] Assentior Ernestio, voculas *par pari* e glossemate accessisse statuit.

δυσχρηστία] difficultas pecuniae mutuae sumendae; f. versurae.

medio hanc epiſtolam legi, ut, quid poſſem providere, in mentem mihi non veniret, niſi ut praeſens me ipſe defenderem. Sed haec hactenus. Reliqua coram. Antonii edictum legi a Bruto, et horum contra, ſcriptum praeclare. Sed quid iſta edicta valeant, aut quo ſpectent, plane non video: nec ego nunc, ut Brutus cenſebat, iſtuc ad rem publicam capeſſendam venio. Quid enim fieri poteſt? Num quis Piſoni eſt aſſenſus? Num rediit ipſe poſtridie? Sed abeſſe hanc aetatem longe a ſepulcro negant oportere. Sed obſecro te, quid eſt quod audivi de Bruto? Piliam πειράζεσθαι παραλύσει, te ſcripſiſſe aiebat. Valde ſum commotus: etſi idem, te ſcribere, ſperare melius. Ita plane velim. Ei dicas plurimam ſalutem, et ſuaviſſimae Atticae. Haec ſcripſi navigans, quum Pompeianum accederem, XIIII Kal.

EPISTOLA DCCLX. (ad Div. X. 1.)

Scr. Romae exeunte Septembri A. U. C. 709.

Invehitur in Antonii inſolentiam; Planco rem publ. commendat, ac de Furnio benigne ſuſcepto gratias agit.

CICERO PLANCO.

Et afui proficiſcens in Graeciam: et poſteaquam de meo curſu rei publicae ſum voce revocatus, numquam per M. Antonium quietus fui: cuius tanta eſt, non inſolentia, (nam id quidem vulgare vitium eſt,) ſed

---

legi a Bruto] ſuppeditatum a Bruto. *Erneſti.*

horum contra] Bruti et Caſſii.

πειράζεσθαι παραλύσει] tentari nervorum reſolutione, *eine Lähmung.*

Epiſt. DCCLX. PLANCO] L. Munatio Planco, olim C. Iulii Caeſaris legato, qui tum Galliam ulteriorem cum legionibus obtinebat.

revocatus] Redierat Romam ex itinere prid. Kal. Sept.

immanitas, non modo ut vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. Itaque mihi maximae curae est, non de mea quidem vita, cui satisfeci, vel aetate, vel factis, vel, (si quid etiam hoc ad rem pertinet,) gloria: sed me patria sollicitat, inprimisque, mi Plance, exspectatio consulatus tui: quae ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus rei publicae spiritum ducere. Quae potest enim spes esse in ea re publica, in qua hominis impudentissimi, atque intemperatissimi armis oppressa sunt omnia? et in qua nec senatus, nec populus vim habet ullam? nec leges ullae sunt, nec iudicia, nec omnino simulacrum aliquod, ac vestigium civitatis? Sed quum acta omnia mitti ad te arbitrabar; nihil erat, quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem a tua pueritia susceptum non servavi solum, sed etiam auxi; monere te, atque hortari, ut in rem publicam omni cogitatione curaque incumberes. Quae si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est. Ut perducatur autem, magnae quum diligentiae est, tum etiam fortunae. Sed et te aliquanto ante, ut spero, habebimus, et, praeterquam quod rei publicae consulere debemus, tamen tuae dignitati ita favemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam, ad amplitudinem tuam

---

spiritum ducere] non vidit Cicero Plancum consulem, Is enim consulatum adiit A. V. C. 711.

hominis impudentissimi] Sic edd. pr. Cod. Dresd. V. Asc. 1. melius, iudice quoque Ernestio, quam quod inde a Victorio repositum est *impotentissimi*, quod est idem ac sequens *intemperantissimi*, s. ut in multis legitur *intemperatissimi.*

tuum tempus] consulatus tui.

aliquanto ante] quam consulatum aditurus es.

tamen tuae dignitati] Ernestio non placebat *tamen;* malebatque *tum*, vel *tum etiam.*

conferamus. Ita facillime et re publica, quae mihi carissima est, et amicitiae nostrae, quam sanctissime nobis colendam puto, me intelligo satisfacturum. Furnium nostrum tanti a te fieri, quantum ipsius humanitas, et dignitas postulat, nec miror, et gaudeo: teque hoc existimare volo, quidquid in eum iudicii, officiique contuleris, id ita in me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse.

EPISTOLA DCCLXI. (ad Div. XI. 4.)

Scr. in Gallia citeriore exeunte Sept. A. U. C. 709.

Res a se gestas exponit, et ut Cicero sua se sententia in supplicatione decernenda adiuvet rogat.

D. BRUTUS IMP. COS. DES. S. D. CICERONI.

Si de tua in me voluntate dubitarem, multis a te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerere. Sed profecto est ita, ut mihi persuasi, me tibi esse curae. Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen imperatorium captans, quam cupiens militibus satisfacere, firmosque eos ad tuendas nostras res efficere: quod mihi videor consecutus. Nam et liberalitatem nostram, et animum sunt experti. Cum omnium bellicosissimis bellum gessi; multa castella cepi; multa vastavi. Non sine causa ad senatum literas misi. Adiuva nos tua sententia; quod quum facies, ex magna parte communi commodo inservieris.

Furnium] Planci legatum, Ciceronis amicum. Cf. ep. 225.

iudicii] Non est *beneficii*, ut Gronovio placebat; nam hoc sequenti vocabulo *officii* denotatur, sed *laudis* et *bonae existimationis*.

Epist. DCCLXI. *ut dignitatem meam tuerere*] h. e. ut auctoritate tua efficeres, ut senatus mihi supplicationem decerneret.

non sine causa] iustas habui causas supplicationis honorem a senatu petendi.

EPISTOLA DCCLXII. (ad Div. XII. 2.)

Scr. Romae exeunte Septembri A. U. C. 709.

Invehitur in Antonii immanitatem, et rei publicae statum describit.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Vehementer laetor, tibi probari sententiam et orationem meam: qua si saepius uti liceret, nihil esset negotii, libertatem, et rem publicam reciperare. Sed homo amens et perditus, multoque nequior, quam ille ipse, quem tu nequissimum occisum esse dixisti, caedis initium quaerit: nullamque aliam ob causam me auctorem fuisse Caesaris interficiendi criminatur, nisi, ut in me veterani incitentur. Quod ego periculum non extimesco, modo vestri facti gloriam cum mea laude communicet. Ita nec Pisoni, qui in eum primus invectus est, nullo assentiente; nec mihi, qui idem tricesimo post die feci; nec P. Servilio, qui me est consecutus, tuto in senatum venire licet. Caedem enim gladiator quaerit, eiusque initium a. d. XIII Kalend. Octob. a me se facturum putavit. Ad quam paratus venerat, quum in villa Metelli complures dies

---

Epist. DCCLXII. *orationem*] non secundam Philippicam, ut putabat Manutius; hanc enim quod ille ipse bene noverat, scripsit tantum non habuit, sed primam, cui responsurus Antonius, quod deinde commemorat, complures dies in villa Metelli est commentatus.

Pisoni] L. Calpurnio Pisoni, Caesaris socero.

P. Servilio] Isaurici filio, qui consul fuerat cum C. Caesare. *Manut.*

XIII. *Kal. Oct.*] quo die Antonius Ciceronem in senatu adesse iusserat, et quum ille non venisset, acerbitatis virus in eum oratione evomuit, cui Cicero deinde Philippicam secundam opposuit, non habitam quidem, sed tamen ita compositam, quasi eam postridie eius diei in senatu habuisset.

commentatus esset. Quae autem in lustris et in vino commentatio potuit esse? Itaque omnibus est visus, ut ad te antea scripsi, vomere suo more, non dicere. Quare quod scribis confidere, auctoritate et eloquentia nostra aliquid profici posse: nonnihil, ut in tantis malis, est profectum. Intelligit enim populus Romanus tres esse consulares, qui, quia, de re publica quae bene senserint, libere locuti sunt, tuto in senatum venire non possint. Nec est praeterea quod quidquam exspectes. Tuus enim necessarius affinitate nova delectatur. Itaque iam non est studiosus ludorum, infinitoque fratris tui plausu dirumpitur. Alter item affinis novis commentariis Caesaris delinitus est. Sed haec tolerabilia: illud non ferendum, quod est, qui vestro anno filium suum consulem futurum putet, ob eamque caussam se huic latroni deservire prae se ferat. Nam L. Cotta familiaris meus, fatali quadam desperatione, ut ait, minus in senatum venit. L. Caesar,

---

tuus enim necessarius] M. Lepidus, qui sororem M. Bruti unam habebat in matrimonio; alteram C. Cassius. *Manut.*

affinitate nova] M. Antonii, cuius filiam Lepidi filius uxorem duxerat. Dio Cass. lib. XLIV. *Manut.*

non est studiosus ludorum] quia ludis Apollinaribus, quos praetor urbanus M. Brutus de more dederat, plaudi a populo viderat L. Cassio tribuno pl., fratri C. Cassii, propterea ludos non amplius amabat. *Manut.*

fratris tui] ad Att. XIV. 2. (h. ed. 680.) *Manut.*

alter item affinis — delinitus est] alter affinis, cuius nomen ignoratur, delinitus est accepta ab Antonio pecunia, tanquam e Caesaris commentariis. *Manut.*

vestro anno] anno vobis destinato, post biennium. Nam hoc anno praeturam gerebant Brutus et Cassius, et praeturam consulatus, interposito biennio, sequebatur. *Manut.*

L. Cotta] Aureliae gentis, qui consul biennio ante Ciceronem fuerat. *Manut.*

L. Caesar] avunculus M. Antonii.

optimus, et fortiſſimus civis, valetudine impeditur. Ser. Sulpicius, et ſumma auctoritate, et optime ſentiens, non adeſt. Reliquos, exceptis deſignatis, ignoſce mihi, ſi non numero conſulares. Habes auctores conſilii publici: qui numerus etiam bonis rebus, exiguus eſſet, quid cenſes perditis? Quare ſpes eſt omnis in vobis; qui ſi idcirco abeſtis, ut ſitis in tuto, ne in vobis quidem. Sin aliquid dignum veſtra gloria cogitatis; velim ſalvis nobis. Sin id minus, res tamen publica per vos brevi tempore ius ſuum reciperabit. Ego tuis neque deſum, neque deero. Qui ſive ad me referent, ſive non, mea tibi tamen benivolentia fidesque praeſtabitur.

EPISTOLA DCCLXIII. (ad Div. XII. 3.)

Scr. Romae circa Nonas Octobres A. U. C. 709.

Queritur Antonium furores in dies augere.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Auget tuus amicus furorem in dies: primum in ſtatua, quam poſuit in Roſtris, inſcripſit PARENTI OPTIME MERITO; ut non modo ſicarii, ſed iam etiam parricidae iudicemini. Quid dico, iudicemini? iudicemur potius. Veſtri enim pulcherrimi facti ille furioſus me principem dicit fuiſſe. Utinam quidem fuiſſem! moleſtus nobis non eſſet. Sed hoc veſtrum eſt: quod quum praeteriit, utinam haberem, quid vobis darem conſilii! Sed ne mihi quidem ipſi reperio, quid faciendum ſit. Quid enim eſt, quod contra vim

---

Epiſt. DCCLXIII. *amicus*] M. Antonius.

ſtatua] Caeſaris.

nobis non eſſet] nam eum una interficiendum curaſſem. *Erneſti.* Saepius hoc iactat Cicero; vel ipſe vana de animo ſuo perſuaſione inductus; vel aliis certe id perſuaſurus.

sine vi fieri possit? Consilium omne autem hoc est illorum, ut mortem Caesaris persequantur. Itaque a. d. VI. Non. Octob. productus in concionem a Canutio, turpissime ille quidem discessit: sed tamen ea dixit de conservatoribus patriae, quae dici deberent de proditoribus. De me quidem non dubitanter, quin omnia de meo consilio et vos fecissetis, et Canutius faceret. Cetera cuiusmodi sint, ex hoc iudica, quod legato tuo viaticum eripuerunt. Quid eos interpretari putas, quum hoc faciunt? Ad hostem scilicet portari. O rem miseram! Dominum ferre non potuimus; conservo servimus. Et tamen me quidem favente magis, quam sperante, etiam nunc residet spes in virtute tua. Sed ubi sunt copiae? De reliquo, malo te ipsum loqui tecum, quam nostra dicta cognoscere. Vale.

EPISTOLA DCCLXIV. (ad Div. XII. 23.)

Scr. Romae medio Octobri A. U. C. 709.

Respondet ad ea quae Stratorius nuntiaverat de provincia; deinde rei publ. formam describit.

M. T. CICERO P. CORNIFICIO, S. D.

Omnem conditionem imperii tui, statumque pro-

---

productus] scil. M. Antonius. Erravit Pighius inferendum hic putans *Octavius.*

Canutio] Ti. Canutio trib. pl. quem postea necavit Octavianus Vellei. lib. II. Sueton. de clar. Rhet. Dio lib. XLVIII. *Manut.*

legato tuo] erat enim Cassius Syriae proconsul. *Manut.*

viaticum] de publico dari solitum. *Manut.*

conservo] Antonio.

Epist. DCCLXIV. *imperii tui*] Q. Cornificius Q. F. hoc tempore Africam veterem obtinuit Procos. Occiso Caesare, quum M. Antonius Cos. bellum moliens in annum sequentem sortitionis titulo distribuisset provincias et C. Calvisium successorem huic destinasset, Senatus irritam fecit sortitionem, et Cornificio aliis-

vinciae mihi demonstravit Stratorius. O multa intolerabilia locis omnibus! Sed quo tua maior dignitas, eo, quae tibi acciderunt, minus ferenda. Neque enim, quae tu propter magnitudinem et animi, et ingenii moderate fers, a te non ulciscenda sunt, etiam si non sunt dolenda. Sed haec posterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certo scio. Quod ni ita putarem, ipse perscriberem, in primisque Caesaris Octaviani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen videtur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. Prudentes autem, et boni viri, et credunt factum, et probant. Quid quaeris? Magna spes est in eo. Nihil est, quod non existimetur laudis et gloriae causa facturus. Antonius autem, noster familiaris, tanto se odio esse intelligit, ut, quum interfectores suos domi comprenderit, rem proferre non audeat. A. d. VII Idus Octobr. Brundisium erat profectus obviam legionibus Macedonicis IIII, quas sibi conciliare

---

que provinciarum rectoribus prorogavit imperium, donec iis ex SCto succederetur. Dio. Appian. Cic. Philipp. III. 10. Itaque et SCto Cornificius Africam anno etiam insequente retinuit. Deinde vero quum et foedere inter triumviros inito Caesar Octavianus Africam omnem cum vicinis insulis provinciam in quinquennium accepisset, cum T. Sextio, qui eum Caesaris nomine provincia decedere iubebat, bellum gessit, proscriptos a triumviris et ex Italia profugos recepit, et post varias tandem conflictationes praelio victus et interemptus est. *Pighius* in annal. ad h. a.

Stratorius] Cornificii fortasse quaestor aut legatus, certe in eius contubernio, quem ille tum Romam ex Africa miserat. Manutius dubitabat an legendum esset *Statorius* ex Festo in *Lacus Lucinus*.

quae tibi acciderunt] quod Antonius ei Calvisium successorem destinarat.

conatum] Intelligitur, quod Octavianus hortantibus nonnullis percussores Antonio subornaverat. Sueton. Aug.

Macedonicis] ex Macedonia profectis. Ibi enim Caesar eas collocarat, do-

pecunia cogitabat, easque ad urbem adducere, et in cervicibus nostris collocare. Habes formam rei publicae, si in castris potest esse res publica; in quo tuam vicem saepe doleo, quod nullam partem, per aetatem, sanae et salvae rei publicae gustare potuisti. Atque antehac quidem sperare saltem licebat: nunc etiam id ereptum est. Quae enim est spes, quum in concione dicere ausus sit Antonius, Canutium apud eos sibi locum quaerere, quibus, se salvo, locus in civitate esse non posset? Equidem et haec, et omnia, quae homini accidere possunt, sic fero, ut philosophiae magnam habeam gratiam, quae me non modo ab sollicitudine abducit, sed etiam contra omnes fortunae impetus armat: tibique idem censeo faciendum, nec, a quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. Sed haec tu melius. Stratorium nostrum quum semper probassem: tum maxime in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudentiamque cognovi. Da operam, ut valeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.

---

cturus in Parthos, quibus inferre bellum cogitabat. *Manut.*

quatuor] Martiam, Quartam, Secundam, Trigesimam quintam, quarum duae, Martia et Quarta illum sequi noluerunt, seque Octaviano tradiderunt, ut ep. XI. 7. (h. ed. 778.) Philipp. III. Vellei. lib. II. Dio Cassius lib. XLV. reliquae vero duae, i. e. Secunda et Trigesima quinta pro eo contra Pansam praelio Mutinensi pugnaverant, ut est ep. X. 30. (h. ed. 808.) *Manut.*

Canutium] Tribunum plebis eo tempore Antonio infensum, et Octaviano faventem.

apud eos] apud eos qui partibus rei publ. studerent XII. 7. (h. ed. 763.) *Man.*

locum sibi quaerere] quia concionibus Antonium vexaret. *Manut.*

EPISTOLA DCCLXV. (ad Div. X. 2.)

Scr. Romae medio Octobri A. U. C. 709.

Excusat se, quod in senatum ad agendam Planci causam non venerit, et officia sua in aliis rebus pollicetur.

CICERO PLANCO S.

Meum studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tuto in senatum, aut honeste venire potuissem. Sed nec sine periculo quisquam libere de re publica sentiens versari potest in summa impunitate gladiorum: nec nostrae dignitatis videtur esse, ibi sententiam de re publica dicere, ubi me et melius, et propius audiant armati, quam senatores. Quapropter in privatis rebus nullum neque officium, neque studium meum desiderabis. Ne in publicis quidem, si quid erit, in quo me interesse necesse sit, umquam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati tuae. In iis autem rebus, quae nihilominus, ut ego absim, confici possunt: peto a te, ut me rationem habere velis et salutis, et dignitatis meae.

EPISTOLA DCCLXVI. (ad Att. XV. 13.)

Scr. in Puteolano VIII. Kal. Nov. A. U. C. 709.

De variis rebus breviter.

CICERO ATTICO S.

Octavo Kal. duas a te accepi epistolas. Respon-

Epist. DCCLXV. *honori tuo*] quid hoc negotii fuerit, non constat. Ex iis autem, quae sequuntur, intelligi potest non magnum fuisse, quod Plancus a senatu petierit.

gladiorum] hoc melius est, quam quod Manutius legebat *gladiatorum*.

armati] milites, quibus Antonius senatum circumsepserat.

Epist. DCCLXVI. *Octavo Kal.*] nempe Novembres. Haec epistola in Edd. alieno

debo igitur priori prius. Aſſentior tibi, ut nec duces ſimus, nec agmen cogamus; faveamus tamen. Orationem tibi miſi. Eius cuſtodiendae et proferendae arbitrium tuum. Sed quando illum diem, quum tu edendam putes? Inducias, quas ſcribis, non intelligo fieri poſſe. Melior eſt ἀναντιφωνησία: qua me uſurum arbitror. Quod ſcribis legiones Brundiſium veniſſe; vos omnia prius. Scribes igitur, quidquid audieris. Varronis διάλογον exſpecto. Iam probo Ἡρακλείδιον, praeſertim quum tu tantopere delectere: ſed quale velis, velim ſcire. Quod ad te *antea*, atque adeo *prius* ſcripſi, (ſic enim mavis) tu vero ad ſcribendum feciſti me alacriorem. Ad tuum enim iudicium, quod mihi erat notum, addidiſti Peducei auctoritatem, magnam quidem apud me, et in primis gravem. Enitar igitur, ne deſideres aut induſtriam meam, aut diligentiam. Vectenum, ut ſcribis, et Faberium foveo. Clodium

---

loco poſita eſt inter Att. XV. 12. et 14. h. ed. 724. et 736. Ea res in fraudem induxit interpretes, ut Manutium, Erneſtium, ut alios huius epiſtolae locos minus recte interpretarentur, in aliis haererent.

ut nec duces ſimus] in Octaviani partibus.

orationem] Philippicam ſecundam.

inducias] cum Antonio.

ἀναντιφωνησία] ut Antonio nihil palam reſpondeamus ad orationem XIII. Kal. Oct. contra me habitam. Nam quamquam ei Philippicam, ſecundam ſcriptam illam quidem, ſed non habitam oppoſuit, noluit tamen eam foras prodire.

legiones duas Brundiſium veniſſe] e Macedonia. His legionibus quum Antonius non prius quam VII. Id. Oct. obviam ierit, neceſſe eſt haec epiſtola ſcripta fuerit octavo Kal. Novembres, non ut alii, perturbato in edd. ordine epiſtolarum decepti, Iunias vel Quintiles.

Ἡρακλείδειον] de quo ſupra ep. 710.

Clodium] Hanc lectionem iniuria recentiores poſtpoſuerunt alteri *Cloelium*, quae eſt in quibusdam Codd. P. Clodium intelligit, illum adoleſcentem P. Clodii filium

nihil arbitror malitiose: quamquam .... Sceleste quidem egerit. De libertate retinenda, qua certe nihil est dulcius, tibi assentior. Itane Gallo Caninio? o hominem nequam! quid enim dicam aliud? Cautum Marcellum; me sic satis, non tamen cautissimum. Longiori epistolae superiorique respondi. Nunc breviori propiorique quid respondeam, nisi eam fuisse dulcissimam? Res Hispanienses valde bonae. Modo Balbilium incolumem videam, subsidium nostrae senectutis. De Anniano item, quod me valde observat Visellia. Sed haec quidem humana. De Bruto te nihil scire dicis: sed Servilia venisse M. Scaptium; eumque

---

de quo agitur in Antonii et Ciceronis epistolis ἀμοιβαίαις ad Att. XIV. 17. (h. ed. 692.)

malitiose] scil. contra me acturum.

quamquam] sc. praestare id non ausim.

sceleste quidem egerit] si tamen aliquid egerit malitiose, certe id scelestum fuerit, propterea quod nullam a me iniuriam accepit.

Itane Gallo Caninio] subaudiendum: Antonius insidiatur, aut simile quid. Gallum enim Caninium inimicitias exercuisse cum Antoniis constat e Valerio Maximo lib. IV. cap. 2.

o hominem nequam] Antonium.

Marcellum] est C. Marcellus, qui cum Lentulo cos. fuit, de quo ep. 709. scripsit: *praesertim quum Marcellum scribas aliosque discedere.*

me sic satis; non tamen cautissimum] Ita correxi vulg. *me sic; sed non tamen cautissimum.* Significat se mediocriter quidem sibi cavere, non tamen diligentissime. Nostri dicerent: *ich bin's auch so ziemlich; und doch noch nicht der behutsamste.*

res Hispanienses] Optima narrantur de Sex. Pompeio. Is enim contra Caesaris partes bellum parabat in Hispania. *Manut.*

Servilia] Hoc nomen Ursinus in antiquo libro reperit. Vulgo est *Selicia*, quam coniiciunt filiam fuisse *Selicii* foeneratoris. Popma quem Dausqueius secutus est, coniiciebat legendum *Cilicia*; quod admitti non potest, quia requiritur nomen mu-

non qua pompa, ad se tamen clam venturum, sciturumque me omnia: quae ego statim. Interea narrat eadem, Bassi servum venisse, qui nuntiaret, legiones Alexandrinas in armis esse, Bassum arcessi, Cassium exspectari. Quid quaeris? videtur res publica ius suum reciperatura. Sed ne quid ante. Nosti horum exercitationem in latrocinio et amentiam. Dolabella, vir optimus. Etsi, quum scribebam, secunda mensa apposita, venisse eum ad Baias audiebam; tamen ad me ex Formiano scripsit, (quas literas, quum e balineo exissem, accepi,) sese de attributione omnia summa fecisse: Vectenum accusat:

---

lieris, quo referantur ista *ad* SE *tamen clam venturum*; et *interea narrat* EADEM. Servilia est mater Bruti, ad quem M. Scaptius, Bruti familiaris ideo clam venire volebat, ne suspicarentur Bruti inimici, ubi esset, aut quid rerum gereret. Servilia in vicinia villae, ubi nunc erat Cicero, rusticata esse videtur.

non qua pompa] non qua pompa olim solebat, non illo, quo solebat, insignem comitatu.

narrat] Sic legendum esse ex melioribus libris, Graevius vidit, non *narras*, quod Bosius e Crulell. reposuit. Nam si hoc narrasset Atticus, rem non tam operose repetiisset Cicero; sed ut solet, verbo attigisset.

Bassi] Q. Caecilii Bassi, de quo ep. XIV. 9. (h. ed. 688.)

Alexandrinas] quatuor legiones, quas e Pompeii Crassique clade dispersas Cleopatra sub Caesare collectas, retinebat. Has quum A. Allienus a Dolabella missus educeret, Cassius cum octo legionibus in Palaestina adortus omnes ad se traduxit. ep. XII. 12. ad Fam. (h. ed. 816.) et Appian. lib. III. *Manut.*

Bassum arcessi] a legionibus Alexandrinis quae illi se tradere vellent. *Manut.*

vir optimus] ironice.

de attributione — fecisse] ut ii, qui ipsi debent mihi se soluturos pollicerentur. *Man.*

Vectenum accusat] debitorem suum, qui sibi, qua die promiserat, non solverit. *Manut.* Equidem potius intelligam, Vectenum non

(tricatur scilicet, ut homo talis.) Sed ait totum negotium Sextium nostrum suscepisse, optimum quidem illum virum, nostrique amantissimum. Quaero autem, quid tandem Sextius in hac re facere possit, quod non quivis nostrum? Sed, si quid praeter spem erit, facies ut sciam. Sin est, ut arbitror, negotium perditum, scribes tamen; neque ista res commovebit. Nos hic φιλοσοφοῦμεν, (quid enim aliud?) et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμενque Ciceroni. Qua de re enim potius pater filio? deinde alia. Quid quaeris? exstabit opera peregrinationis huius. Varronem hodie, aut cras venturum putabant. Ego autem in Pompeianum properabam; non quo hoc loco quidquam pulchrius; sed interpellatores illic minus molesti. Sed perscribe, quaeso, quae causa sit Myrtilo, (poenas quidem illum pependisse audivi) et sa-

---

ut debitorem suum, sed ut foeneratorem, qui ei noluerit in versura facienda, operam dare, a Dolabella accusari.

tricatur scilicet] moras nectit in solvendo, et vanis promissis nos ludificatur Dolabella. Sic quidem Graevius. Ernestius vero ad Vectenum retulit, quem Dolabella dixerit *tricari*; quod mihi quoque aptius videtur. Fortasse autem Cicero scripsit: (*tricatur scilicet, ut monetalis*:) hoc sensu: *Vectenum, ut argentarium puto tricari, quippe qui Dolabellae, ut malo nomini parum confidat.* Sic usus est per iocum vocabulo *Monetalis* ep. 377.

φιλοσοφοῦμεν] Sic ed Rom. recte; post ex eo factum φιλοσοφούμενα in edd. Asc. Ald. etc. id correctum, quamquam ex libris scr. φιλοσοφούμεθα i. e. scribimus. Sed φιλοσοφοῦμεν praetuli, ut et alibi Cicero loquitur, et id h. l. aptius, propter sequentia. *Ernesti.*

τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος] libros de officiis.

peregrinationis] i. e. rusticationis. Sic supra epist. 30.

in Myrtilo] Haec res quae fuerit ignoratur, nec tanti est coniecturis indulgere. Nomen servi fuisse videtur, quem Antonius fortasse ab Octavio ad se interficiendum subornatum esse, di-

tisne pateat, unde correptus. Haec quum scriberem, tantum quod existimabam ad te orationem esse perlatam. Hui, quam timeo, quid existimes. Etsi quid ad me, quae non sit foras proditura, nisi re publica recuperata? de quo quid sperem, non audeo scribere.

EPISTOLA DCCLXVII. (ad Att. XVI. 8.)

Scr. in Puteolano post Kal. Nov. A. U. C. 709.

Quid Octavianus a se postulet narrat.

CICERO ATTICO S.

Quum sciam, quo die venturus sim, faciam ut scias. Impedimenta exspectanda sunt, quae Anagnia veniunt: et familia aegra est. Kal. vesperi literae mihi ab Octaviano. Magna molitur. Veteranos, quiqui Casilini et Calatiae sunt, perduxit ad suam sententiam. Nec mirum; quingenos denarios dat; cogitat reliquas colonias obire. Plane hoc spectat, ut se duce bellum

---

xerat, sive quod ita crediderit, sive quod simulaverit.

unde correptus] Ita Faërni liber, melius quam ut vulgo, *unde corruptus*. Nempe *unde correptus* est a quo accusatus, quod monuit Graevius coll. Taciti Annal. III. 66.

tantum quod] h. e. commodum; Germanice *so eben, gerade itzt;* ut supra epist. 124. *tantum quod ex Arpinati veneram.*

orationem] Philippicam secundam. Falso Ernestius inductus scilicet loco huic epistolae praeter temporis ordinem in edd. assignato, intellexit orationem quam sub Bruti nomine scripserit Cicero, qualem is in Capitolio dicere potuisset. Atqui eiusmodi orationem Cicero, quamquam ab Attico aliquoties rogatus, scribere prorsus recusavit, quod manifestum est ex epist. 710.

Epist. DCCLXVII. *familia aegra est*] servi complures aegrotant.

Kalendis] scil. Novembribus; de quo dubitandum non esse iam Malaspina vidit.

Quingenos denarios] πενταχοσίας δραχμὰς Dio quoque dicit lib. XLIV.

geratur cum Antonio. Itaque video paucis diebus nos in armis fore. Quem autem sequamur? Vide nomen; vide aetatem. Atque a me postulat, primum ut clam colloquatur mecum, vel Capuae, vel non longe a Capua. Puerile hoc quidem, si id putat clam fieri posse. Docui per literas, id nec opus esse, nec fieri posse. Misit ad me Caecinam quendam Volaterranum, familiarem suum, qui haec pertulit: Antonium cum legione Alaudarum ad urbem pergere, pecunias municipiis imperare, legionem sub signis ducere. Consultabat, utrum Romam cum CIↃ CIↃ CIↃ veteranorum proficisceretur, an Capuam teneret, et Antonium venientem excluderet; an iret ad tres legiones Macedonicas, quae iter secundum mare superum faciunt; quas sperat suas esse. Eae congiarium ab Antonio accipere noluerunt, ut hic quidem narrat, et ei convicium grave fecerunt, concionantemque reliquerunt.

---

vide nomen, vide aetatem] cogita Octavianum Caesaris nomen gerere, cogita eum adolescentem ac paene puerum esse.

clam fieri posse] in urbe scil. tam frequenti.

Alaudarum] Caesar legionem ab ave nominavit, quae gallico vocabulo dicitur *alauda*. Caesar enim ut Suetonius Caes. 24. narrat, ad legiones, quas a re publ. acceperat, alias privato sumptu addidit, unam etiam ex Transalpinis conscriptam, vocabulo quoque Gallico, (Alauda enim appellabatur,) quam disciplina cultuque Romano institutam et ornatam postea universam civitate donavit. Eam Cicero saepius in Philippicis nominat, ut I. 8. V. 5. XI. 18.

ad urbem pergere] Antonium ab urbe Octavianus avertit, quo ille infestus cum legione Alaudarum Brundisio veniebat. Phil. III. ep. XI, 25. ad Fam. (h. ed. 812.) *Manut.*

tres legiones Macedonicas] quarum duas Martiam et Quartam ad ipsum transiisse et Appianus tradit lib. III. et noster in Philippicis. *Manut.*

convicium grande fecerunt] Antonium centenas drach-

Quid quaeris? ducem se profitetur, nec nos sibi putat deesse oportere. Equidem suasi, ut Romam pergeret. Videtur enim mihi et plebeculam urbanam, et, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus. O Brute, ubi es? Quantam εὐκαιρίαν amittis? non equidem hoc divinavi, sed aliquid tale putavi fore. Nunc tuum consilium exquiro. Romamne venio, an hic maneo, an Arpinum (ἀσφάλειαν habet is locus) fugiam? Romam; ne desideremur, si quid actum videbitur. Hoc igitur explica. Nunquam in maiore ἀπορίᾳ fui.

EPISTOLA DCCLXVIII. (ad Att. XVI. 9.)

Scr. in Puteolano circa Non. Nov. A. U. C. 709.

De literis ab Octaviano acceptis.

CICERO ATTICO S.

Binae uno die mihi literae ab Octavio, nunc quidem, ut Romam statim veniam: velle se rem agere per senatum. Cui ego, non posse senatum ante Kal. Ian.; quod quidem ita credo. Ille autem addit, *consilio tuo*. Quid multa? Ille urget: ego autem σκήπτομαι. Non confido aetati. Ignoro, quo animo; nil sine Pansa tuo volo. Vereor, ne valeat Antonius; nec a mari discedere libet; et metuo, ne quae ἀριστεία me absente.

---

mas pollicentem irriserunt Appian. l. III. *Manut.*

si fidem fecerit] Non enim satis Octaviano credebant boni viri, quod Caesaris et heres, et filius ex testamento esset. *Manut.*

εὐκαιρίαν] quantam opportunitatem rerum gerendarum.

aliquid tale] putavi fore ut Caesariani inter se collidantur. *Graev.*

ἀσφάλειαν] tutius Arpini, ut inter meos municipes, versabor.

Epist. DCCLXVIII. *consilio tuo*] Octavianus se consiliis Ciceronis usurum profitebatur.

σκήπτομαι] tergiversor, cunctor. In multis edd. est σκέπτομαι.

Varroni quidem displicet consilium pueri; mihi non. Firmas copias habet; Brutum habere potest; et rem gerit, palam. Centuriat Capuae; dinumerat. Iam iamque video bellum. Ad haec rescribe. Tabellarium meum Kalend. Roma profectum sine tuis literis miror.

EPISTOLA DCCLXIX. (ad Att. XVI. 11.)

Scr. in Puteolano Nonis Novembr. A. U. C. 709.

Duabus Attici epistolis respondet, et priori quidem potissimum de iis, quae Atticus in orat. Philippica secunda animadverterat; 1. posteriori, de libris de officiis, de Octaviani progressibus et aliis rebus. 2 — 7.

CICERO ATTICO S.

Nonis accepi a te duas epistolas; quarum alteram Kal. dederas, alteram pridie. Igitur prius ad superiorem. Nostrum opus tibi probari laetor; ex quo ἄνθη ipsa posuisti, quae mihi florentiora sunt visa tuo iudicio. Cerulas enim tuas miniatulas illas extimescebam. De Sica

---

Brutum habere potest] vel M. quamvis profectum (ep. 767.) vel D. Brutum Galliae citeriori tunc praefectum secum habere potest adversus Antonium. *Corr.*

centuriat Capuae, dinumerat] i. e. milites in centurias dividit. Hanc lectionem Victorius ex antiquis codd. praetulit alteri *centurias Capuae dinumerat*. Vocabulum *dinumerat* de numerata pecunia intelligebat.

Epist. DCCLXIX. 1. *Nostrum opus*] de Gloria cf. ep. 758.

ἄνθη] locos s. eclogas maxime insignes.

cerulas] quibus in libris Ciceronis ea notabat Atticus, quae sibi minus placerent.

De Sica] Quae sequuntur pertinent ad orationem Philippicam secundam, quam Cicero una cum ep. 766. ad Atticum miserat. In ea cap. 2. legitur hodie sic: *Sed hoc idcirco commemoratum a te puto, ut te infimo ordini commendares, quum te omnes recordarentur libertini generum, et liberos tuos ne-*

ita est, ut scribis.' Ast aegre me tenui. Itaque perstringam sine ulla contumelia Sicae aut Septimiae; tantum, ut sciant παῖδες παίδων sine sillo Luciliano, eum ex C. Fadii filia liberos habuisse. Atque utinam eum diem videam, quum ista oratio ita libere vagetur, ut etiam in Sicae domum introeat! Sed illo tempore opus est, quod fuit illis triumviris. Moriar, nisi face-

---

potes Q. Fadii libertini hominis fuisse. At in archetypo orationis, quod ad Atticum miserat, h. l. aliquid inseruerat, quod esset cum aliquo Sicae et Septimiae (quae fortasse uxor fuit Sicae) coniunctum. Quicquid hoc fuerit (nam nemo quele fuerit hodie divinare potest) certum est improbasse Atticum, Ciceronemque admonuisse, ut honori Sicae et Septimiae parceret. Cui monito ille obsecutus delevit ista, quae Sicam et Septimiam tangerent, nihilque aliud eo loco reliquit, quam Antonium ex filia Fadii hominis libertini liberos habuisse.

ita est ut scribis] i. e. caussae idoneae sunt, quare ei parcam, dum perstringo alium, Antonium. Verum huic *aegre me tenui*, non convenit *perstringam* futurum praeterito, quod requirit *perstrinxi*. Defendi potest sic, ut in *tenui* respiciatur ad actum scribendi, in *perstringam* ad editionem orationis. *Ernesti*. Immo sic accipiendum: aegre me tenui, ut tibi obsequerer, et omitterem ea quae Sicam et Septimiam tangunt. Attamen tibi cedendum putavi. Itaque corrigam h. l. et perstringam Antonium sine ulla contumelia Sicae et Septimiae.

παῖδες παίδων] *omnes posteri* Alludit ad versum Homericum Iliad. Υ. 308.

sine sillo Luciliano] *Sillo* est e correctione Iac. Gronovii, quod servavimus, quia certe hoc intelligi potest. Edd. et MSS. *vallo* vel *ullo*, quorum neutrum verum est, aut sensum commodum habet. Bosius dedit e coniectura ὕλῃ, Graevius malebat *sale*. Sed id lenius est, quam res postulat. *Ernesti*.

sed illo — triumviris] Sensus quidem hactenus apertus est, quod Cicero significat, ut prodire possit Philippica secunda, tempore opus esse, quo libere de re publ. liceat sententiam dice-

to. Tu vero leges Sexto, eiusque iudicium mihi perscribes. Εἷς ἐμοὶ μύριοι. Caleni interventum, et Calvenae cavebis. Quod vereris, ne ἀδόλεσχος, mihi tu? quis minus? cui, ut Aristophani Archilochi iambus, sic epistola longissima quaeque optima videtur. Quod me admones: tu vero etiamsi reprehenderes, non modo facile paterer, sed etiam laetarer; quippe quum in

---

re. Neque vero dubitari potest illud: *Moriar, nisi facete*, ad Attici dictum in eius epistola pertinere. Obscurum vero est, qui sint illi triumviri, et quid in hoc nomine, quod Atticus usurpaverat, facetum sit. Si lectio sana est, sine dubio respicitur ad conspirationem illam Caesaris, Pompeii, et Crassi, quae quamquam proprie triumviratus non dicebatur, Atticus tamen eos per iocum triumviros appellare poterat, facete simul alludens ad tres Pompeii et Caesaris uxores, quasi eos *trium* mulierum *viros* diceret. Notum est enim Pompeium in matrimonio habuisse Muciam, deinde Iuliam, postremo Corneliam, Caesarem vero, Corneliam, Pompeiam, Calpurniam. Mongaltius, etsi ei de tribus his uxoribus in mentem non venit, hoc tamen statuit, tempus illud hic significari, quo Caesar, Pompeius et Crassus in societatem coierant. Illo nimirum tempore magna adhuc erat adversus hos quamvis potentes dicendi scribendique libertas; quam testantur Bibuli edicta in consulatu adversus Caesarem collegam, idemque Varronis Τρικάρανον s. Tricipitinus de illa coitione scriptus. Appian. lib. II. de B. C. c. 9. Gronovius coniiciebat Ciceronem scripsisse: *illo tempore opus est, quo fuerint illi triumviri*, hoc est quo perierint Antonii fratres, Marcus, Lucius, et Caius, in quo Ciceroni faceta videri potuit ἀμφιβολία, quia ista verba significare quoque possent, *quo tempore illi triumviratum adepti essent.*

Sexto] Peduceo.

εἷς ἐμοὶ μύριοι] *hic unus mihi est pro decem millibus* ut ep. 31. *Cato ille noster qui mihi unus est pro centum millibus.*

Caleni et Calvenae] Fufii Caleni et Matii, quibus parum fidebat.

ne ἀδόλεσχος] ne mihi nimium loquax videaris.

reprehensione est prudentia cum εὐμενείᾳ. Ita libenter ea corrigam, quae a te animadversa sunt, *eodem iure, quo Rubriana*, potius quam *quo Scipionis*: et de laudibus Dolabellae deruam camulum. Attamen est isto loco bella, ut mihi videtur, εἰρωνεία, quod eum ter contra cives in acie. Illud etiam malo, *indignissimum est hunc vivere*, quam *quid indignius?* Πεπλογραφίαν Varronis tibi probari non moleste fero; a

---

εὐμενείᾳ] benivolentia.

eodem iure] Refertur ad locum Philippicae secundae c. 40. ubi nunc sic legitur: *Ab hac religionum perturbatione advolas in M. Varronis, sanctissimi atque integerrimi viri fundum Cassinatem. Quo iure? quo ore? Eodem, inquies, quo in heredum L. Rubrii, quo in heredum L. Turselii praedia.* — Hic igitur scripserat Cicero *quo in heredum Scipionis;* Attico autem obsecutus id delevit, et *in heredum L. Rubrii* reposuit.

deruam cumulum] Locus, quem tangit est Philipp. II. c. 30. *Ter depugnavit Caesar cum civibus, in Thessalia, Africa, Hispania. Omnibus affuit his pugnis Dolabella; in Hispaniensi etiam vulnus accepit. Si de meo iudicio quaeris, nollem; sed tamen consilium a primo reprehendendum, laudanda constantia.* Hoc loco igitur Cicero in ἀρχετύπῳ orationis Dolabellam pluribus verbis laudaverat, quas laudes deinde, admonitus ab Attico, circumscripsit.

illud etiam malo — quam quid indignius.] Cur hoc Attico displicuerit, nemo facile dixerit. Neque vero Cicero, etsi ait se id correcturum, correxisse videtur. Nam etiamnum legitur Phil. II. 1. 34. *Quid indignius, quam vivere eum, qui imposuerit diadema, quum omnes fateantur iure interfectum esse, qui abiecerit.*

Πεπλογραφίαν *Varronis*] Varro clarorum virorum nomina in unum librum congesserat, eumque inscripserat πεπλογραφίαν, quod Athenienses (auctores sunt Euripides in Hecuba, Harpocration, alii) in Peplo eos, qui aliquid fortiter gessissent, expingere consueverunt. Et Porphyrius ab Aristotele scriptum commentarium tradit, Pepli nomine inscriptum, quo commentario et navium, quae ad Troiam profectae essent,

quo adhuc Ἡρακλείδειον illud non abſtuli. Quod me hortaris ad ſcribendum: amice tu quidem; ſed me ſcito agere nihil aliud. Gravedo tua mihi moleſta eſt. Quaeſo adhibe, quam ſoles, diligentiam. O TITE tibi prodeſſe laetor. Anagnini ſunt, Muſtela ταξιάρχης, et Laco, qui plurimum bibit. Librum, quem rogas, perpoliam, et mittam.

2 Haec ad poſteriorem. Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος, quatenus Panaetius, abſolvi duobus: illius tres ſunt. Sed cum initio diviſiſſet ita, tria genera exquirendi officii eſſe; unum, quum deliberemus, honeſtum, an turpe ſit; alterum, utile, an inutile; tertium, quum haec inter ſe pugnare videantur, quo modo iudicandum ſit; qualis cauſa Reguli, redire honeſtum, manere utile: de duobus primis praeclare diſſeruit, de ter-

---

numerum, et ducum genealogias perſequebatur. *Manut.*

Ἡρακλείδειον] Sic appellat illum Varronis dialogum, quem ſe exſpectare ſcripſerat ep. 766. quod erat de Re publica ſcriptus, ad Heraclidis modum; et ſane inter libros Varronis deperditos eſt opus de Re publica.

O TITE] librum de ſenectute.

Anagnini ſunt] Locus eſt in Philipp. II. 41. de Antonio: *praeſertim quum duos ſecum Anagninos haberet, Muſtelam et Laconem, quorum alter gladiatorum eſt princeps, alter poculorum.* (f. leg. *potatorum*) In archetypo huius orationis *Muſtelae et Laconis* nomen aluerit neceſſe eſt; poſtea demum additum a Cicerone, quum Atticus interrogaſſet, quinam eſſent hi Anagnini. Ceterum hoc membrum: *Anagnini — bibit*, male huc a librariis tranſpoſitum videtur, et poſt verba, *quam quid indignius* reponendum, ubi Cicero de oratione Philippica ſecunda egerat.

2. *Haec ad poſteriorem*] Pronomine *haec* Cicero non utitur in tranſitu ad ſequentia ſignificando. Itaque vel *Nunc ad poſteriorem*, vel *Venio ad poſteriorem* legendum opinor.

Τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος] libros de officiis.

stio pollicetur se deinceps; sed nihil scripsit. Eum locum Posidonius persecutus. Ego autem et eius librum arcessivi, et ad Athenodorum Calvum scripsi, ut ad me τὰ κεφάλαια mitteret; quae exspecto; quem velim cohortere et roges, ut quamprimum. In eo est περὶ τοῦ κατὰ περίστασιν καθήκοντος. Quod de inscriptione quaeris; non dubito, quin καθῆκον *officium* sit, nisi quid tu aliud: sed inscriptio plenior, *de officiis*. Προσφωνῶ autem Ciceroni filio. Visum est non ἀνοικεῖον.

De Myrtilo dilucide. O quales tu semper istos! 3
Itane in D. Brutum? dii istis.

Ego me, ut scripseram, in Pompeianum non ab- 4
didi, primo tempestatibus, quibus nil tetrius: deinde ab Octaviano quotidie literae, ut negotium susciperem, Capuam venirem, iterum rem publicam servarem; Romam utique statim.

...αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι.

---

sed nihil scripsit] Cf. de Off. III. 2.

Posidonius persecutus] sed breviter tantum de Offic. III. 2.

ad Athenodorum Calvum] Hic mihi idem esse videtur, qui alibi dicitur *Athenodorus* Sandonis filius, philosophus Stoicus, postea Octaviano Augusto carus. Calvi cognomen a re ipsa, i. e. a. calvitio traxisse videtur.

3. *de Myrtilo dilucide*] scil. scripsisti.

o quales tu semper istos] quales tu semper istos homines, Antonios scilicet intus et in cute novisti, tales etiam nunc eos habuisti cognitos.

Itane in D. Brutum?] Itane illi audent culpam Myrtili sive veram sive fictam in D. Brutum conferre, quasi is percussorem in M. Antonium subornaverit? Ita h. l. accipiendum esse Popma et Mongaltius intellexerunt.

dii istis] male faciant.

4. *ut scripseram, in Pompeianum abdidi*] Nempe Epist. 766. scripserat: *Ego autem in Pompeianum properabam.*

αἴδεσθεν —] *verecundati quidem sunt recusare, sed veriti sunt suscipere;* ut Graecos Iliad. H. Hectore provocante, pudebat quidem recusare, sed certamen sus-

Is tamen egit sane strenue, et agit. Romam veniet cum manu magna: sed est plane puer. Putat senatum statim. Quis veniet? si venerit, quis incertis rebus offendet Antonium? Kal. Ian. erit fortasse praesidio: aut quidem ante depugnabitur. Puero municipia mire favent. Iter enim faciens in Samnium venit Cales, mansit Theani. Mirifica ἀπάντησις, et cohortatio. Hoc tu putares? Ob hoc ego citius Romam, quam constitueram. Simul ac constituero, scribam.

5 Etsi nondum stipulationes legeram, (nec enim Eros venerat,) tamen rem pridie Idus velim conficias.

6 Epistolas Catinam, Tauromenium, Syracusas commodius mittere potero, si Valerius interpres ad me nomina gratiosorum scripserit. Alii enim sunt alias; nostrique familiares fere demortui. Publice tamen scripsi, si uti vellet eis Valerius; aut mihi nomina mitteret.

7 De Lepidanis feriis Balbus ad me usque ad III Kalend. Exspectabo tuas literas: deque Torquati negotiolo sciturum puto. Quinti literas ad te misi, ut scires, quam valde eum amaret, quem dolet a te minus amari. Atticae, quoniam, quod optimum in

---

cipere verebantur, sic me ab Octaviano ad rem publ. inservandam invitatum pudet quidem recusare, sed tamen vereor negotium suscipere. Eodem versiculo utitur ad Att VI. 1. (h. ed. ep. 252.) *Corrad.*

putat senatum statim] sc. a se cogi posse. *Ern.*

ἀπάντησις] *obviam itio.*

5. *stipulationes*] sc. sponsorum Dolabellae, debitoris sui, quibus se Idibus solutum promiserant. *Corr.*

6. *epistolas*] quibus Attici rogatu Valerium Interpretem commendaturus erat.

nomina gratiosorum] in istis civitatibus, quibus eum commendasse prosit. *Ernesti.*

publice] ad universas civitates, s. earum magistratus.

7. *De Lepidanis feriis*] de quibus supra Ep. 748. extr.

eum amaret] Q. Ciceronem filium.

pueris est, hilarula est, meis verbis suavium des. Vale.

EPISTOLA DCCLXX. (ad Att. XVI. 12.)

Scr. VIII. Id. Non. A. U. C. 709.

Scribit se arbitrari prid. Id. Romae futurum.

CICERO ATTICO S.

Oppii epistolae, quia perhumana erat, tibi misi exemplum. De Ocella, dum tu muginaris, nec mihi quidquam rescribis, cepi consilium domesticum. Itaque me pridie Idus arbitror Romae futurum. Commodius est visum, frustra me istic esse, quum id non necesse esset, quam, si opus esset, non adesse; et simul, ne intercluderer, metuebam. Ille enim iam adventare potest: etsi varii rumores, multique, quos cuperem veros. Nihil tamen certi. Ego vero, quidquid est, tecum potius, quam animi pendeam, quum a te absim, et de te, et de me. Sed quid tibi dicam? Bonum animum. De Ἡρακλειδείῳ Varronis, negotia salsa. Me quidem nihil unquam sic delectavit. Sed haec, et alia maiora coram.

Epist. CCCLXX. *dum tu muginaris*] nihil explicans differs. *Manut.*

cepi consilium domesticum] i. e. a me ipso, ut recte Corradus et Mongaltius. *Domesticum* enim est h. l. i. q. proprium; nec potest cum Manutio verti: hoc consilium cepi ut domum i. e. Romam venirem. Id sequentibus demum verbis declaratur.

ille enim] Antonius.

Bonum animum] sc. habeto, vel habeamus. Sic edidit e vestigiis corruptarum lectionum Victorius. Sic MS. Helmst. Bosius e coniectura duriori πονοῦμαι *enim;* quod Gruterus secutus est. *Ernesti.*

De Ἡρακλειδείῳ Varronis] Facete scripsisti de Ἡρακλειδείῳ Varronis, meque ea pars literarum tuarum ita delectavit, ut nihil unquam magis. *Manut.*

EPISTOLA DCCLXXI. (ad Att. XVI. 10.)

Scr. in Sinuessano VI. Id. Nov. A. U. C. 709.

De itinere suo scribit, et quid Atticus de accessu ad urbem censeat, quaerit.

CICERO ATTICO S.

Septimo Id. veni ad me in Sinuessanum. Eodem die vulgo loquebantur, Antonium mansurum esse Casilini. Itaque mutavi consilium. Statueram enim recta Appia Romam. Facile me ille esset assecutus. Aiunt enim eum Caesarina uti celeritate. Verti igitur me a Minturnis Arpinum versus. Constitueram, ut V. Idus aut Aquini manerem, aut in Arcano. Nunc, mi Attice, tota mente incumbe in hanc curam. Magna enim res est. Tria sunt autem, maneamne Arpini, an propius accedam, an veniam Romam. Quod censueris, faciam. Sed quamprimum; avide exspecto tuas literas. VI Idus mane in Sinuessano.

EPISTOLA DCCLXXII. (ad Att. XVI. 13.)

Scr. Aquini IV. Id. Nov. A. U. C. 709.

Duabus Attici epistolis respondet, et, quo itinere Aquinum perrexerit, narrat.

CICERO ATTICO S.

O casum mirificum! VI Idus quum ante lucem de Sinuessano surrexissem, venissemque diluculo ad pontem Tirenum, qui est Minturnis, in quo flexus est ad

---

Ep. DCCLXXI. VII. *Idus*] Hic in scriptis et editis magna varietas est. Sed edd. antiquiores habent *Idus*. Bosius mutavit in *Kalendas*. Vetus restitui, ut et Alemannus fecit, qui sic in MS. Paris. reperit. Iam ille VII. edidit pro VI. bene. Utrumque etiam res firmat, scil. subscriptio. *Ernesti.*

ut V. *Idus*] Ita scribendum pro vulg. *II. Idus* recte indicavit Mongaltius.

iter Arpinas, obviam mihi fit tabellarius, qui me offendit δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα. Ego statim, Cedo, inquam, si quid ab Attico. Nondum legere poteramus. Nam et lumina dimiseramus; nec satis lucebat. Quum autem luceret, ante scripta epistola ex duabus tuis prior mihi legi coepta est. Illa omnium quidem elegantissima. Ne sim salvus, si aliter scribo, ac sentio; nihil legi humanius. Itaque veniam, quo vocas, modo adiutore te. Sed nihil tam ἀπροσδιόνυσον mihi primo videbatur, quam ad has literas, quibus ego a te consilium petieram, te mihi ista rescribere. Ecce tibi altera, qua hortaris παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα, Νήσου

Epist. DCCLXXII. δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντα] optime monuit Mongaltius his Homeri verbis, (quibus supra quoque usus est epist. 758.) non significari, se de navigatione cogitare, sed tantum deliberare quo itinere Romam proficiscatur, utrum recta via pergat, ne incidat in Antonium, an quodam anfractu et longiore itinere utatur.

ἀπροσδιόνυσον] quod tam parum ad rem faceret, quod minus responderet epistolae meae.

qua hortaris παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα] apud Homerum Odyss. Γ. v. 163. seq. Nestor sic loquitur:

ὄψε δὲ δὴ μετὰ νῶι κίε ξανθὸς Μενέλαος
ἐν Λέσβῳ δ' ἔκιχε δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντας,
ἢ καθύπερθε Χίοιο νεοίμεθα παιπαλοέσσης
νήσου ἔπι Ψυρίης, αὐτὴν ἐπ' ἀριστερ' ἔχοντες
ἢ ὑπένερθε Χίοιο παρ' ἠνεμόεντα Μίμαντα.

Atticus igitur eleganter Psyriae insulae situm ab Homero descriptum accommodat insulae Arpinatis positioni. Nam ut Psyria media interiacebat inter Chium insulam et montem Mimantem, sic haec Arpinas inter Apenninum et viam Appiam. Itaque Mimantis nomine Apenninum significavit, quem Minturnis Arpinum proficiscentes dextrorsum habent, ut sinistrorsum viam Appiam. Monuerat autem Atticus Ciceronem ut quum e Campania Romam rediret, non recta, h. e. via Appia, propter Antonium, sed per insulam Arpinatem, relicta sinistrorsum Appia, iter faceret. *Bosinus.*

ἐπὶ Ψυρίης, Appiam ἐπ' ἀρίστερ' ἔχοντα. Itaque eo die mansi Aquini. Longulum sane iter, et via inepta: inde postridie mane proficiscens has literas dedi.

EPISTOLA DCCLXXIII. (ad Att. XVI. 13. extr.)

Dat. III. Id. Id. Nov. in Arpinati A. U. C. 709.

Quaerit num propius accedere possit. Attico consulenti quid sibi censeat faciendum, respondet: de historia scribenda se coram cum Attico collaturum scribit.

CICERO ATTICO S.

* * * et quidem, ut a me dimitterem invitissimus, fecerunt Erotis literae. Rem tibi Tiro narrabit. Tu, quid faciendum sit, videbis. Praeterea, pos-

---

et via inepta] scil. fuit; si vera est lectio; significatur via incommoda, longulo itineri parum apta. In Cod. Tornaes. erat *via mata*, in Crusell. *via Amata*, unde alii *madida*, alii *molesta*, aut *mala*, legendum esse opinati sunt, ut ineptiores conjecturas praeteream.

Epist. DCCLXXIII. * * * *et quidem, ut a me*] Acutissime Mongaltius sensit, non solum hic quaedam verba deesse, sed totam hanc epistolam, non, ut in edd. factum, cum superiore connectendam, sed novam et separatam epistolam esse; quamquam hoc quidem iam Corradus viderat, qui tamen errabat, quum pro et *quidem* legendum putabat *Tironem quidem*, quasi scriptum fuisset *T. quidem*; qui modus nomina abbreviandi est prorsus inusitatus. Nam epistolam superiorem Cicero IV. Id. Aquini scripserat; hanc autem dederat III. Id. ex Arpinati. Ante verba *et quidem ut a me* exciderunt quaedam, in hanc fortasse sententiam scripta. *Tantum quod in Arpinas veneram Tironi has ad te literas dedi.* Omissioni locum videtur hoc dedisse, quod quum haec epistola coaluisset cum superiore, quae finitur in verbis *literas dedi*, oculi librarii a verbis illis ad *literas dedi* deinceps positum aberrarent, ut saepe in ὁμοιοτελεύτοις factum est.

ſimne propius accedere, (malo enim eſſe in Tuſculano, aut uspiam in ſuburbano,) an etiam longius diſcedendum putes, crebro ad me velim ſcribas. Erit autem quotidie, cui des. Quod praeterea conſulis, quid tibi cenſeam faciendum, difficile eſt, quum abſim. Verumtamen, ſi pares aeque inter ſe, quieſcendum: ſin; latius manabit, et quidem ad nos; deinde communiter. Avide tuum conſilium exſpecto. Timeo, ne abſim, quum adeſſe me ſit honeſtius: venire non audeo. De Antonii itineribus neſcio quid aliter audio, atque ad te ſcribebam. Omnia igitur velim explices, et ad me certa mittas. De reliquo quid tibi ego dicam? Ardeo ſtudio hiſtoriae; (incredibiliter enim me commovet tua cohortatio;) quae quidem nec inſtitui, nec effici poteſt ſine tua ope. Coram igitur hoc quidem conferemus. In praeſentia mihi velim ſcribas, quibus cenſoribus C. Fannius M. F. tribunus plebis fuerit. Videor mihi audiſſe, P. Africano, L. Mummio. Id

---

ſi pares — inter ſe] Antonius et Octavius.

ſin latius manabit] Si alteruter ſuperior fuerit, tum latius manabit negotium, et ad nos quoque magis pertinebit.

deinde communiter] ſcil. deliberabimus, quid nobis agendum ſit. Sic malo interpretari quam cum aliis: *deinde ad alios omnes negotium et periculum manabit.*

quibus CENSS. — *Id igitur quaero*] In antiquis edd. erat ſic: *quibus Coſſ. C. Fannius M. F. tribunus pl. fuerit. Videor mihi audiſſe P. Africano L. Mummio. Id igitur quaero.* Iam quum P. Africanus et L. Mummius cenſuram quidem, non conſulatum una geſſerint, Lambinus ſic ex antiquo libro legendum putavit: *quibus Coſſ.* — — *P. Africano L. Mummio* CENSORIBUS; idque Pighius ad A. U. DCXI. unice probat. Non enim, ait dubitare Ciceronem, quibus Cenſoribus Fannius Trib. fuerit; hoc enim ſe audiſſe dicere; ſed de ipſo eius tribunatus anno, nempe quibus Conſulibus, cum cenſurae tempus XVIII. menſium attingat duo Conſulum paria. Fruſtra enim Cicero-

igitur quaero. Tu mihi de iis rebus, quae novantur, omnia certa, clara. III. Id. ex Arpinati.

EPISTOLA DCCLXXIV. (ad Att. XVI. 14.)

Scr. in Arpinati Idib. Nov. A. U. C. 709.

Ttribus Attici epistolis respondet.

CICERO ATTICO S.

Nihil erat plane, quod scriberem. Nam quum Puteolis essem, quotidie aliquid novi de Octaviano, multa etiam falsa de Antonio. Ad ea autem, quae scripsisti, (tres enim acceperam III Idus a te epistolas,) valde tibi assentior, si multum possit Octavianus, multo firmius acta tyranni comprobatum iri, quam in Telluris, atque id contra Brutum fore: sin autem vincitur, vides intolerabilem Antonium; ut, quem velis, nescias. O Sextii tabellarium, hominem nequam! Postridie Puteolis Romae se dixit fore. Quod me mones, ut pedetentim; assentior: etsi aliter cogitabam. Nec me Philippus aut Marcellus movet. Alia

---

nem rogaturum fuisse de censoribus, quum ipse eos nominet. Attamen Ciceronis verba hunc sensum admittunt satis aptum: Scribas mihi, quibus censoribus Fannius tribunus plebis fuerit. Equidem mibi videre audisse, P. Africano et Mummio. Id igitur quaero, an verum sit. Et in Bosii MSS. clare scriptum erat non *quibus Coss.* sed *quibus censoribus.* Ceterum P. Africanus et L. Mummius censores lustrum condiderunt A. U. C. DCXI.

Epist. DCCXXIV. *quam in Telluris*] templo, quo in loco decretum est, ut quae Caesar statuisset, decrevisset, egisset, rata manerent. *Mnut.*

nec me Philippus] Monuerat Ciceronem Atticus, ut Philippum et Marcellum imitaretur, nihil propere agentes. Habebat autem L. Philippus in matrimonio Atiam Octaviani matrem, C. Marcellus Atiae filiam, Octaviani sororem. Philipp. III. *Manut.*

enim eorum ratio: et, si non est, tamen videtur. Sed in isto iuvene, quamquam animi satis, auctoritatis parum est. Tamen vide, si forte in Tusculano recte esse possum, idne melius sit, (ero libentius; nihil enim ignorabo) an hoc, quum Antonius venerit. Sed, ut aliud ex alio, mihi non est dubium, quin, quod Graeci καθῆκον, nos *officium*. Id autem, quid dubitas, quin etiam in rem publicam praeclare caderet? nonne dicimus, *consulum officium*, *senatus officium*? praeclare convenit; aut da melius. Male narras de Nepotis filio. Valde mehercule moveor, et moleste fero. Nescieram omnino esse istum puerum. Caninium perdidi, hominem, quod ad me attinet, non ingratum. Athenodorum, nihil est, quod hortere. Misit enim satis bellum ὑπόμνημα. Gravedini, quaeso, omni ratione subveni. Avi tui pronepos, scribit ad patris mei nepotem, se ex Nonis iis, quibus nos magna

---

isto iuvene] Octaviano.

mihi non est dubium] Atticus dubitarat, an in inscriptione librorum de officiis Cicero vocabulum καθῆκον latine *officium* recte vertere posset.

de Nepotis filio] nuper mortuo.

Caninium perdidi] scil. his diebus mortuum.

non ingratum] eius enim causam Cicero defenderat ut epist. 126. *dirupi me paene in iudicio Galli Caninii.* — *Manut.*

Athenodorum] cf. ep. 769.

Avi tui] Male vulgo ex glossemate praepositum *Quintus* delevi. Si Cicero Quinti F. nomen voluisset ponere, ista circumlocutione nihil opus erat.

ex Nonis iis] Decembribus, quo die olim Lentulum, Cethegum aliosque ex coniunctione Catilinaria lictori tradidit necandos. *Ex Nonis* igitur *Dec.* ubi aedilitatem plebis inierit Q. F. Nam de tribunatu plebis, non est ut intelligere possimus, cuius primus dies non erat Nonae Dec. sed IV. Id. Dec. ut Livius et Dionysius affirmant. Quod si tribunatus pl. non est, quid praeter aedilitatem pl. esse possis non dispicio. Nam ceteri magistratus Kal. Jan. ini-

gessimus, aedem Opis explicaturum, idque ad populum. Videbis igitur, et scribes. Sexti iudicium exspecto.

EPISTOLA DCCLXXV. (ad Att. XVI. 15.)

Scr. in Arpinati exeunte Nov. A. U. C. 709.

Queritur se a Dolabella improbissime tractari; laudat Attici iudicium de Octaviano: seque ad nomina sua expedienda mox Romam venturum nuntiat.

CICERO ATTICO S.

Noli putare, pigritia me facere, quod non mea manu scribam: sed mehercule pigritia. Nihil enim habeo aliud, quod dicam; et tamen in tuis quoque epistolis Alexim videor agnoscere. Sed ad rem venio. Ego si me non improbissime Dolabella tractasset, dubi-

---

bantur. Quod ex Plutarcho et aliis constat. Veri autem simile est, quum aediles plebis ideo creati sint, ut tribunorum plebis tamquam ministri essent, quod a Dionysio traditum est, eos iisdem fere diebus iniisse magistratum, quibus tribunos; ut iis, qua de causa initio sunt instituti, praesto esse possent. Nec vero de alio magistratu crediderim intellexisse Ciceronem act. I. in Verr. c. 10. quum dicit: *P. Sulpicius iudex tristis et integer Nonis Dec. magistratum ineat necesse est.* Nam tribunatus plebis esse non potest, de quo proxime iam mentionem fecerat. *Manut.*

aedem Opis explicaturum] rationem exacturum ab Antonio eius pecuniae, quam ex aede Opis abstulit, a Caesare depositam; et est *explicaturum* palam facturum, quid in Opis aede pecuniae fuerit, eamque repetiturum Vid. Philipp. II. c. 37. *Manut.*

Sexti iudicium] Sexti Peducei iudicium de Philippica secunda.

Epist. DCCLXXV. *Alexim*] Attici amanuensem, cuius manus in scribendo proxime ad Attici manum accedebat.

improbissime] qui quum mihi pecuniam deberet et de solutione asseveranter

tassem fortasse, utrum remissior essem, an summo iure contenderem. Nunc vero etiam gaudeo mihi causam oblatam, in qua et ipse sentiat et reliqui omnes, me ab illo abalienatum; idque prae me feram, et quidem me mea facere, et rei publicae causa, ut illum oderim, quod, quum eam, me auctore, defendere coepisset, non modo deseruerit, emptus pecunia, sed etiam, quantum in ipso fuit, everterit. Quod autem quaeris, quomodo agi placeat, quum dies venerit; primum velim eiusmodi sit, ut non alienum sit, me Romae esse: de quo, ut de ceteris, faciam, ut tu censueris. De summa autem agi prorsus vehementer et severe volo. Etsi sponsores appellare, videtur habere quandam δυσωπίαν: tamen hoc, quale sit, consideres velim. Possumus enim, ut sponsores appellentur, procuratores introducere. Neque enim illi litem contestabuntur: quo facto, non sum nescius, sponsores liberari. Sed et illi turpe arbitror, eo nomine, quod satisdato debeat, procuratores eius non dissolvere; et nostrae gravitatis, ius nostrum sine summa illius ignominia persequi. De hoc quid placeat, rescribas velim: nec dubito, quin hoc totum lenius administraturus sis. Redeo ad rem publicam. Multa mehercule a te saepe ἐν πολιτικῷ genere prudenter; sed his literis nihil prudentius: *Quamquam enim in praesentia belle*

---

quotidie promitteret, diu variis excusationibus ludificans ad extremum ne nummo quidem persoluto in Syriam profectus est. *Manut.*

emptus pecunia] ab Antonio.

ut sponsores appellentur] i. e. ut sine offensione et pudore possint appellari de pecunia pro Dolabella solvenda, possumus aggredi procuratores Dolabellae, qui non litem nobis intendent de nomine, et debiti veritate, sed rem ad sponsores reiicient, aut ipsi solvent pecuniam, ne contumelia afficiatur Dolabella, quod ipse nolim fieri. *Ernesti.*

in praesentia] Vulgo in edd. praemittitur *postea*,

iste puer retundit Antonium, tamen exitum exspectare debemus. At, quae concio? nam est missa mihi. Iurat, *ita sibi parentis honores consequi liceat*: et simul dextram intendit ad statuam. Μηδὲ σωθείην ὑπό γε τοιούτου. Sed, ut scribis, certissimum esse video discrimen, Cascae nostri tribunatum: de quo quidem ipso dixi Oppio, quum me hortaretur, ut adolescentem, totamque causam, manumque veteranorum complecterer, me nullo modo facere posse, ni mihi exploratum esset, eum non modo non inimicum tyrannoctonis,

---

Gronovius corrigebat: *potest et in praesentia*; Manutius *posset in praesentia.* Mihi satius visum est *postea* delere.

iste puer] Octavianus.

at quae concio] In ea concione Octavianus res gestas patris Iulii Caesaris in memoriam populo redegit; Antonium accusavit; milites, quae se ducem secuti essent, laudibus ornavit, seque una cum iis ita animatum esse dixit, ut obsequi ad omnia et inservire patriae vellet. Haec autem in templo Castoris et Pollucis, quum ei Ti. Canutius trib. pl. Antonio infensus, concionem advocasset. Dio lib. XLV. Appian. lib. III. *Manut.*

μηδὲ σωθείην — τοιούτου] *ab isto homine ne salutem quidem impetrare velim,* qui scil. istis verbis satis declaravit se Caesarem imitaturum. Manutius vertit: *ne sim salvus, si quis umquam tam egregie concionatus est,* falsam quidem lectionem secutus, μηδὲ σωθείην εἴποτε τοιοῦτο, quem tamen sensum, nec Ciceronis sententia, nec ipsa illa falsa lectio admittit.

certissimum — discrimen] *den sichersten Entscheidungspunkt* h. l. enim discrimen non est periculum, sed ut bene docuit Graevius, res ex qua totius alicuius rei eventus cognosci potest et iudicari. Philipp. III. c. 11.

Cascae nostri tribunatum] vix enim puto fore, ut Octavianus Cascam, parentis sui percussorem gerere tribunatum patiatur. Hoc et M. Antonius in epistola quam recitat Cicero Philipp. XIII. Octaviano et Hirtio Pansaeque consulibus exprobrat. In Syriam, inquit, Cassium misistis; Cascam tribunatum gerere passi estis. *Manut.*

verum etiam amicum fore. Quum ille diceret, ita futurum: Quid igitur festinamus? inquam. Illa enim mea opera ante Kalend. Ianuar. nihil opus est. Nos autem eius voluntatem ante Idus Decemb. perspiciemus in Casca. Mihi valde assensus est. Quamobrem haec quidem hactenus. Quod reliquum est, quotidie tabellarios habebis, et, ut ego arbitror, etiam quod scribas, habebis quotidie. Leptae literarum exemplum tibi misi; ex quo mihi videtur στρατύλλαξ ille deiectus de gradu. Sed tu, quum legeris, existimabis.

Obsignata iam epistola, literas a te et a Sexto ac- 2
cepi. Nihil iucundius literis Sexti, nihil amabilius: nam tuae, breves; priores erant uberrimae. Tu quidem et prudenter et amice suades, ut in his locis potissimum sim, quoad audiamus, haec, quae commota sunt, quorsum evadant. Sed me, mi Attice, non sane hoc quidem tempore movet res publica; non quo aut sit mihi quidquam carius, aut esse debeat; sed desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. Quare ista valeant; me res familiaris movet; rem dico? immo vero existimatio. Quum enim tanta reliqua sint; ne Terentiae quidem adhuc, quod solvam, expeditum est. Terentiam dico? Scis nos pridem iam constituisse Montani nomine H-S xxv dissolvere. Puden-

---

στρατύλλαξ] M. Antonium sic per contemptum vocat a legionibus desertum; quae se ad Octavianum contulerant. Sed Popma L. Antonium intelligi putabat. Pro vet. lectione στρατύλλαξ Lambinus malebat στρατηλάτης, Dausqueius στρατιάρχης. Scite vero Mongaltius coniecit Στρατύλλαξ fortasse gladiatoris alicuius nomen esse, quo usus sit ad designandum M. Antonium. Nam et in Philippicis aliquoties eum gladiatorem appellat (II. 29. etc.) et verba *de gradu deiectus* translata sunt a re gladiatoria ut ad Fam. VII. 13.

2. *a Sexto*] Peduceo, post lectam ab eo orationem Philippicam secundam.

H-S xxii] quae Monta-

tissime hoc Cicero petierat, ut fide sua. Liberalissime, ut tibi quoque placuerat, promiseram; Erotique dixeram, ut sepositum haberet. Non modo; sed iniquissimo foenore versuram facere Aurelius coactus est. Nam de Terentiae nomine Tiro ad me scripsit, te dicere, numos a Dolabella fore. Male eum credo intellexisse, si quisquam male intelligit; potius, nihil intellexisse. Tu enim ad me scripsisti Cocceii responsum, et iisdem paene verbis Eros. Veniendum est igitur vel in ipsam flammam. Turpius est enim privatim cadere, quam publice. Itaque ceteris de rebus, quas ad me suavissime scripsisti, perturbato animo, non potui, ut consueram, rescribere. Consenti in hac cura, ubi sum, ut me expediam: quibus autem rebus, venit quidem mihi in mentem; sed certe constituere nihil possum, priusquam te videro. Qui minus autem ego istic recte esse possum, quam est Marcellus? Sed non id agitur; neque id maxime curo. Quid curem, vides. Adsum igitur.

---

nus, qui Ciceroni filio comes erat Athenas profectus Planco debebat. XII. 52. (h. ed. 581.)

ut fide sua] Nempe fideiussorem se Cicero filius obtulerat pro Montano. Olim erat: *ut de suo.*

non modo] int. nihil solutum est.

Aurelius] Montani procurator.

Cocceii responsum] Cocceius unus ex procuratoribus Dolabellae in Syriam profecti, Attico pecuniam Ciceronis petenti ita responderat, ut sperandum nihil omnino videretur. *Manut.*

veniendum est igitur] Romam, ut ipse nomina mea expedire possim.

vel in ipsam flammam] belli civilis, quod erupturum esse videtur.

adsum igitur] V. Id. Decembris Romam venit; nec postea urbem prius reliquit quam re publ. prorsus desperata: sub autumnum anni sequentis.

EPISTOLA DCCLXXVI. (ad Div. XI. 5.)

Scr. Romae circa Id. Decembr. A. U. C. 709.

Excusat se quod D. Bruti literis non responderit; hortatur ad libertatem recuperandam et suum studium et officia pollicetur.

M. CICERO S. D. BRUTO IMP. COS. DES.

Lupus, familiaris noster, quum a te venisset, quumque Romae quosdam dies commoraretur, ego eram in iis locis, in quibus maxime me tuto esse arbitrabar. Eo factum est, ut ad te Lupus sine meis literis rediret, quum tamen curasset tuas ad me perferendas. Romam autem veni a. d. quintum Idus Decembris, nec habui quidquam antiquius, quam ut Pansam convenirem: ex quo ea de te cognovi, quae maxime optabam. Quare hortatione tu quidem non eges, si ne illa quidem in re, quae a te gesta est post hominum memoriam maxima, hortatorem desiderasti. Illud tamen breviter significandum videtur, populum Romanum omnia a te exspectare, atque in te aliquando recuperandae libertatis omnem spem ponere. Tu si dies noctesque memineris, (quod te facere certo scio,) quantam rem gesseris; non obliviscere profecto, quantae tibi etiam nunc gerendae sint. Si enim iste provinciam nactus erit, cui quidem ego semper amicus fui, antequam illum intellexi, non modo aperte, sed etiam libenter cum re publica bellum gerere, spem reliquam nullam video salutis. Quamobrem te obsecro iisdem

---

Epist. DCCLXXVI. *quam ut Pansam*] Vulgo hic additur *statim*, quod inepte abundat; nam, ut Ernestius monuit, inest in illo: *nec habui quicquam antiquius.*

iste provinciam] Si Antonius provinciam, cui tu nunc praees, i. e. Galliam Cisalpinam nactus sit.

precibus, quibus S. P. Q. R., ut in perpetuum rem publicam dominatu regio liberes, ut principiis conſentiant exitus. Tuum eſt hoc munus, tuae partes: a te hoc civitas, vel omnes potius gentes non exſpectant ſolum, ſed etiam poſtulant. Quamquam, quum hortatione non egeas, ut ſupra ſcripſi, non utar ea pluribus verbis: faciam illud, quod meum eſt, ut tibi omnia mea officia, ſtudia, curas, cogitationes pollicear, quae ad tuam laudem et gloriam pertinebunt. Quamobrem velim tibi ita perſuadeas, me tum rei publicae cauſa, quae mihi vita mea eſt carior, tum quod tibi ipſi faveam, tuamque dignitatem amplificari velim, tuis optimis conſiliis, amplitudini, gloriae nullo loco defuturum. Vale.

EPISTOLA DCCLXXVII. (ad Div. XI. 6.)

Scr. Romae circa X. Kal. Dec. A. U. C. 709.

Bruto dignitatem ſuam Ciceroni commendanti reſpondet, ſibi eam curae fore, idque a ſe iam in ſenatu declaratum eſſe.

M. CICERO S. D. BRUTO IMP. COS. DES.

Lupus noſter quum Romam ſexto die Mutina veniſſet, poſtridie me mane convenit, tua mihi mandata diligentiſſime expoſuit et literas reddidit. Quod mihi tuam dignitatem commendas, eodem tempore exiſtimo te mihi meam commendare, quam mehercule non habeo tua cariorem. Quare mihi gratiſſimum facies, ſi exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec conſilium, nec ſtudium meum defuturum. Quum tribuni plebis edixiſſent, ſenatus adeſſet a. d. XIII.

Epiſt. DCCLXXVII. *te mihi meam*] Inepte vulgo addebatur *dignitatem*, additum ſcil. quod Erneſtius vidit, a gloſſatore.

Kal. Ian., haberentque in animo de praesidio consulum designatorum referre; quamquam statueram in senatum ante Kal. Ian. non venire: tamen, quum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi senatum, ut de tuis divinis in rem publicam meritis sileretur, (quod factum esset, nisi ego venissem,) aut, etiamsi quid de te honorifice diceretur, me non adesse. Itaque in senatum veni mane. Quod quum esset animadversum, frequentissimi senatores convenerunt. Quae de te in senatu egerim, quae in concione maxima dixerim, aliorum te literis malo cognoscere. Illud tibi persuadeas velim, me omnia, quae ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quae est per se amplissima, summo semper studio suscepturum et defensurum: quod quamquam intelligo me cum multis esse facturum, tamen appetam huius rei principatum.

EPISTOLA DCCLXXVIII. (ad Div. XI. 7.)

Scr. Romae exeunte Decembri A. U. C. 709.

Suadet, ne in salute populi Rom. senatus auctoritatem exspectet, sed quod sibi rectum videatur, faciat.

M. CICERO S. D. D. BRUTO IMP. COS. DES.

Quum adhibuisset domi meae Lupus me et Libonem et Servium, consobrinum tuum: quae mea fuerit sententia, cognosse te ex M. Seio arbitror, qui nostro sermoni interfuit. Reliqua, quamquam statim Seium Graeceius est subsecutus, tamen ex Graeceio poteris cognoscere. Caput autem est hoc, quod te

---

edictum] de Gallia retinenda in potestate sua et senatus. *Ernesti.* cf. Philipp. IV. c. 3.

in senatu egerim] habita Philippica tertia.

in concione] in qua habuit Philippicam quartam.

diligentissime percipere et meminisse velim, ut ne in libertate et salute populi Romani conservanda auctoritatem senatus exspectes, nondum liberi, ne et tuum factum condemnes, (nullo enim publico consilio rem publicam liberásti; quo etiam est res illa maior, et clàrior;) et adolescentem, vel puerum potius, Caesarem, iudices temere fecisse, qui tantam causam publicam privato consilio susceperit; denique homines rusticos, sed fortissimos viros, civesque optimos, dementes fuisse iudices, primum milites veteranos, commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem quartam, quae suum consulem hostem iudicaverunt, seque ad salutem rei publicae defendendam contulerunt. Voluntas senatus pro auctoritate haberi debet, quum auctoritas impeditur metu. Postremo suscepta tibi causa iam bis est, ut non sit integrum: primum Idibus Martiis; deinde proxime, exercitu novo et copiis comparatis. Quamobrem ad omnia ita paratus, seu animatus debes esse, non ut nihil facias, nisi iussus; sed ut ea geras, quae ab omnibus summa cum admiratione laudentur.

EPISTOLA DCCLXXIX. (ad Div. XII. 22.)

Scr. Romae exeunte Dec. A. U. C. 709.

Narrat se cum Antonio contra arma verbis pugnare, et ne Cornificius provinciam sine SC. tradat, hortatur.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

Nos hic cum homine gladiatore, omnium nequissimo, collega nostro, Antonio, bellum gerimus:

Epist. DCCLXXVIII. *privato consilio*] nempe quum primum a Calatia, mox a Casilino veteranos milites excivisset, in eamque rem patrimonium suum effudisset Cic. Philipp. III. c. 2. Vellei. lib. II.

homines rusticos] agros enim assignatos a Caesare, tanquam diuturnae militiae praemia, milites veterani colebant. *Manut.*

pro auctoritate] i. e. decreto.

Epist. DCCLXXIX. col-

ſed non pari conditione, contra arma verbis. At etiam de te concionatur; nec impune. Nam ſentiet, quos laceſſierit. Ego autem acta ad te omnia arbitror perſcribi ab aliis; a me futura debes cognoſcere; quorum quidem non eſt difficilis coniectura. Oppreſſa omnia ſunt; nec habent ducem boni; noſtrique τυραννοκτόνοι longe gentium abſunt. Panſa et ſentit bene, et loquitur fortiter; Hirtius noſter tardius convaleſcit. Quid futurum ſit, plane neſcio. Spes tamen una eſt, aliquando populum Romanum maiorum ſimilem fore. Ego certe rei publicae non deero: et, quidquid acciderit, a quo mea culpa abſit, animo forti feram. Illud profecto, quoad potero: tuam famam et dignitatem tuebor. A. d. XIII. Kalendas Ianuar. ſenatus frequens mihi eſt aſſenſus, quum de ceteris rebus magnis et neceſſariis, tum de provinciis, ab iis, qui obtinerent, retinendis, neque cuiquam tradendis, niſi qui ex ſenatus conſulto ſucceſſiſſet. Hoc ego quum rei publicae cauſa cenſui, tum, mehercule, inprimis retinendae dignitatis tuae. Quamobrem te amoris noſtri cauſa rogo, rei publicae cauſa hortor, ut ne cui quidquam iuris in tua provincia eſſe patiare; atque ut omnia referas ad dignitatem; qua nihil poteſt eſſe praeſtantius. Vere tecum agam, ut neceſſitudo noſtra poſtulat. In Sempronio, ſi meis literis obtemperaſſes, maximam ab omnibus laudem adeptus eſſes. Sed illud et praeteriit, et levius eſt. Haec magna res eſt: fac, ut pro-

---

lega noſtro] Antonio Ciceronis et Cornificii collega in auguratu.

Hirtius noſter tardius convaleſcit] aegrotavit Hirtius graviter, paulo ante quam iniret conſulatum, ſic, ut pro eius ſalute populus Rom. vota fecerit. Philipp. I. 37. XIV. 12. *Manut.*

retinendae dignitatis tuae] Ne C. Calviſius in Africam iret, ei traditam ab Antonio ſine S. C. *Manut.* cf. Philipp. III. 10.

vinciam retineas in potestate rei publicae. Plura scripsissem, nisi tui festinarent. Itaque Cherippo nostro me velim excuses.

EPISTOLA DCCLXXX. (ad Div. XVI. 27.)

Scr. Romae mense incerto A. U. C. 709.

Invehitur in consules designatos.

Q. CICERO TIRONI SUO, S. P. D.

Mirificam mihi verberationem cessationis epistola dedisti. Nam, quae parcius frater perscripserat verecundia videlicet, et properatione, ea tu sine assentatione, ut erant, ad me scripsisti, et maxime de consulibus designatis; quos ego penitus novi libidinum et languoris effeminatissimi animi plenos; qui nisi a gubernaculis recesserint, maximum ab universo naufragio periculum est. Incredibile est, quae ego illos scio, oppositis Gallorum castris, in aestivis fecisse, quos ille latro, nisi aliquid firmius fuerit, societate vitiorum deliniet. Res est aut tribuniciis, aut privatis consiliis munienda. Nam isti duo vix sunt digni, quibus alteri Caesenam, alteri Cossutianarum tabernarum funda-

---

Epist. DCCLXXX. *de consulibus designatis*] Hirtio et Pansa, in quos pro iracundia sua Quintus vehementius invehitur. Epistolae huius dies et mensis quanquam certo definiri nequit, videtur tamen circa Kalendas Iunias scripta esse; mense enim Quintili Marcum fratrem ipsum de Hirtio et Pansa parum honorifice iudicasse apparet ex epistola 747.

oppositis Gallorum castris] quum ipse una cum iis sub Caesare militarem.

latro] M. Antonius.

Caesenam] hoc suspectum fuit Manutio, et sane in codd. variat scriptura. In cod. Vincentii Riccii Manutius reperit *quibus geisar vel quibus sutianarum;* in alio libro *quibus alteri Censenam;* in antiquo exemplari Fulvii Ursini *quibus alteri Cursanarum, alteri Cos-*

menta credas. Te, ut dixi, fero oculis. Ego vos a. d. III. Kalend. videbo, tuosque oculos, etiam si te veniens in medio foro videro, dissuaviabor. Me ama. Vale.

EPISTOLA DCCLXXXI. (ad Div. XVI. 21.)

Scr. Athenis mense incerto A. U. C. 709.

Suum virtutis amorem, et studiorum rationem declarat, Tironique de empto praedio gratulatur.

CICERO FIL. TIRONI SUO DULCISS. S. P. D.

Quum vehementer tabellarios exspectarem quotidie, aliquando venerunt post diem VI et XL, quam a vobis discesserant: quorum mihi fuit adventus optatissimus. Nam quum maximam cepissem laetitiam ex humanissimi et carissimi patris epistola: tum vero iucundissimae tuae literae cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaque me iam non poenitebat, intercapedinem scribendi fecisse, sed potius laetabar. Fructum enim magnum humanitatis tuae capiebam ex silentio mearum literarum. Vehementer igitur gaudeo, te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi, optatosque esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito, mi dulcissime Tiro: praestaboque, et enitar, ut in dies magis magisque haec nascens de me duplicetur opinio. Quare quod polliceris te buccinatorem fore existimationis meae, firmo id, constan-

---

sutinarum. Quidquid sit, his verbis non solum ignaviam consulum designatorum, sed etiam gulae luxuriam et vinolentiam eorum tangere videtur. Si *tabernae Cossutianae* forte fuerint vinariae, suspicarer, Q. scripsisse, *quibus vel culinae vel Cossutianarum tabernarum fundamenta credas.* Sed tanti non est hic coniecturis indulgere.

tique animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem, cruciatumque attulerunt errata aetatis meae, ut non solum animus a factis, sed aures quoque a commemoratione abhorreant. Cuius te sollicitudinis et doloris participem fuisse, notum exploratumque est mihi: nec id mirum. Nam quum omnia mea causa velles mihi successa; tum etiam tua. Socium enim te meorum commodorum semper esse volui. Quod igitur tum ex me doluisti, nunc, ut duplicetur tuum ex me gaudium, praestabo. Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium, esse coniunctissimum. Nam quum audio illum libenter, tum etiam propriam eius suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctisque saepenumero partem. Exoro enim, ut mecum quam saepissime cenet. Hac introducta consuetudine, saepe inscientibus nobis et cenantibus obrepit, sublataque severitate philosophiae humanissime nobiscum iocatur. Quare da operam, ut hunc talem, tam iucundum, tam excellentem virum videas quam primum. Nam quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore a me patior discedere: cuius quum frugi, severaque est vita, tum etiam iucundissima convictio. Non est enim seiunctus iocus a philologia, et quotidia-

---

Epist. DCCLXXXI. *tantum enim dolorem*] Ingenua haec et seria adolescentis a iuvenili lascivia ad bonam frugem redeuntis omnem turpitudinis maculam a Cicerone filio abstergere debebat apud posteros, etsi non defuerunt, qui sic de eo iudicarent, quasi eius vita perpetuo fuisset vitiis obnoxia.

de Bruttio] Vix credibile est fuisse, quibus corrupta lectio *de Bruto* placeret. Quid enim absurdius, quam h. l. de *M. Bruto* cogitare? Fuse Benedictus, quam ineptum hoc sit, demonstravit ad h. l.

seiunctus iocus] Hoc, cum Graevio reposui pro vulgato *locus*, quod non a Victorio demum inductum est et a Gebhardo; est in edd. pr. omnibus; habent et libri

na ἀνξηνῆσαι. Huic ego locum in proximo conduxi, et, ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. Praeterea declamitare Graece apud Cassium institui: Latine autem apud Bruttium exerceri volo. Utor familiaribus et quotidianis convictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus et doctis, et illi probatissimis. Multum etiam mecum est Epicrates, princeps Atheniensium, et Leonides, et horum ceteri similes. Τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς, τάδε. De Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis: sed omnia postposui, dummodo praeceptis patris parerem. Διαῤῥήδην enim scripserat, ut eum dimitterem statim. Tergiversari nolui, ne mea nimia σπουδὴ suspicionem ei aliquam importaret. Deinde illud etiam mihi succurrebat, grave esse, me de iudicio patris judicare. Tuum tamen studium et consilium gratum acceptumque est mihi. Excusationem angustiarum tui temporis accipio. Scio enim, quam soleas esse occupatus. Emisse te praedium vehementer gaudeo: feliciterque tibi rem istam evenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari, noli mirari. Eodem enim fere loco, tu quoque emisse te, feci-

---

scripti ut Gu. 1. sed *iocus* res postulat, quod est in Ms. meo, Gu. 2. Gord. idque et alibi cum *locus* confusum est a librariis. Pro *philologia* aliquis apud Graevium *philosophia*, quod sibi placere ait, si plures libri addicerent. Non videtur vel scisse vel cogitasse, quid sit *philologia*, deceptus vulgari recentioris aetatis opinione falsa de hoc verbo. Immo *philologia* est subtilior disputandi ars de rebus quibuscunque, inprimis philosophicis. *Ernesti.*

de Gorgia] Caussam cur eum a filio dimitti Cicero voluerit Plutarchus hanc narrat, quod ad potum et voluptates adolescentem alliceret. *Manut.*

me de iudicio] *Me* non satis placet. Melius abfuerit. Dixisset potius *filium*. Est sententia generalis, gnome. *Ernesti.*

sti me certiorem. Habes. Deponendae tibi sunt urbanitates. Rusticus Romanus factus es. Quomodo ego mihi nunc ante oculos tuum iucundissimum conspectum propono? Videor enim videre ementem te rusticas res, cum villico loquentem, in lacinia servantem ex mensa secunda semina. Sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse, aeque ac tu, doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te sublevaturus sim, si modo fortuna me: praesertim quum sciam, communem nobis emptum esse istum fundum. De mandatis quod tibi curae fuit, est mihi gratum. Sed peto a te, ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Graecus: multum mihi enim eripitur operae in exscribendis hypomnematis. Tu velim inprimis cures, ut valeas, ut una συμφιλολογεῖν possimus. Antherum tibi commendo. Vale.

EPISTOLA DCCLXXXII. (ad Div. XVI. 25.)

Scr. Athenis mense incerto A. U. C. 709.

Literas a Tirone quam creberrimas requirit.

CICERO FIL. TIRONI S. P. D.

Etsi iusta et idonea usus es excusatione de intermissione literarum tuarum, tamen, id ne saepius facias, rogo. Nam etsi de re publica rumoribus et nuntiis certior fio, et de sua in me voluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quavis minima re scripta a te ad me epistola semper fuit gratissima.[1] Qua-

---

tibi defuisse] non potuisse pecuniam dare, ad emendum praedium; quo et pertinet mox *sublevaturus sim. Ernesti.* Sensum hunc verum et planum frustra in dubitationem adduxit Benedictus.

Epist. DCCLXXXII. *Intermissionis*] Cod. Vatic. ed. Victor. al. *de intermissione.*

re quum in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quam assiduitate epistolarum. Vale.

EPISTOLA DCCLXXXIII. (ad Div. XII. 21.)

Scr. mense incerto A. U. C. 709.

Anicium senatorem, eiusque negotia et dignitatem commendat.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. D.

C. Anicius, familiaris meus, vir omnibus rebus ornatus, negotiorum suorum caussa legatus est in Africam legatione libera. Eum velim rebus omnibus adiuves, operamque des, ut quam commodissime sua negotia conficiat. In primisque, quod ei carissimum est, dignitatem eius tibi commendo: idque a te peto, quod ipse in provincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus senatoribus lictores darem: quod idem acceperam et cognoveram a summis viris factitatum. Hoc igitur, mi Cornifici, facies: ceterisque rebus omnibus eius dignitati reique, si me amas, consules. Id erit mihi gratissimum. Da operam, ut valeas.

EPISTOLA DCCLXXXIV. (ad Div. XII. 26.)

Scr. mense incerto A. U. C. 709.

Heredes Q. Turii de bonis in Africa relictis commendat.

CICERO CORNIFICIO S. D.

Q. Turius, qui in Africa negotiatus est, vir bonus et honestus, heredes fecit similes sui, Cn. Satur-

---

epistolarum] Sic MSS. plurimi. Edd. fere *literarum*.

Epist. DCCLXXXIII. *legatione libera*] senatoribus ad sua negotia proficiscentibus concedi solita. Ad Att. II. 18. XV. 12. (h. ed. 44. 724.) *Manut.*

ninum, Sex. Aufidium, C. Anneium, Q. Confidium Gallum, L. Servilium Poſtumum, C. Rubellium. Ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quam commendatione. Tanta enim liberalitate ſe tua uſos praedicabant, ut iis plus a te tributum intelligerem, quam ego te auderem rogare. Audebo tamen. Scio enim, quantum ponderis mea commendatio ſit habitura. Quare a te peto, ut ad eam liberalitatem, qua ſine meis literis uſus es, quam maximus his literis cumulus accedat. Caput autem eſt meae commendationis, ne patiare, Erotem Turium, Q. Turii libertum, ut adhuc fecit, hereditatem Turſanam avertere, ceterisque omnibus rebus habeas eos commendatiſſimos. Magnam ex eorum ſplendore et obſervantia capies voluptatem. Quod ut velis, te vehementer etiam atque etiam rogo.

EPISTOLA DCCLXXXV. (ad Div. XV. 27.)

Scr. menſe incerto A. U. C. 709.

Aufidii, equitis Romani, Africana negotia commendat.

M. T. CICERO S. P. D. Q. CORNIFICIO.

Sex. Aufidius et obſervantia, qua me colit, accedit ad proximos, et ſplendore equiti Romano nemini cedit. Eſt autem ita temperatis moderatisque moribus, ut ſumma ſeveritas ſumma cum humanitate iungatur. Cuius tibi negotia, quae ſunt in Africa, ita commendo, ut maiore ſtudio, magisve ex animo, commendare non poſſim. Pergratum mihi feceris, ſi

---

Epiſt. DCCLXXIV. *avertere*] ſc. pecuniis creditis Turii exigendis ſuo nomine et retinendis. Erat procurator Q. Turii in Africa. *Erneſti.*

ſplendor] pertinet potiſſimum ad cenſum equeſtrem.

Epiſt. DCCLXXXV. *accedit ad proximos*] ad amicos meos coniunctiſſimos.

dederis operam, ut is intelligat, meas apud te literas maximum pondus habuisse. Hoc te vehementer, mi Cornifici, rogo.

EPISTOLA DCCLXXXVI. (ad Div. XI. 16.)

Scr. mense incerto A. U. C. 709.

Commendat Lamiam in petitione praeturae.

M. T. C. D. BRUTO, IMP. COS. DES. S. P. D.

Permagni interest, quo tibi haec tempore epistola reddita sit: utrum quum sollicitudinis aliquid haberes, an quum ab omni molestia vacuus esses. Itaque ei praecepi, quem ad te misi, ut tempus observaret epistolae tibi reddendae. Nam quemadmodum coram, qui ad nos intempestive adeunt, molesti saepe sunt: sic epistolae offendunt, non loco redditae. Si autem, ut spero, nihil te perturbat, nihil impedit, et ille, cui mandavi, satis scite et commode tempus ad te cepit adeundi: confido, me, quod velim, facile a te impetraturum. L. Lamia praeturam petit. Hoc ego utor uno omnium plurimum. Magna vetustas, magna consuetudo intercedit: quodque plurimum valet, nihil mihi eius est familiaritate iucundius. Magno praeterea beneficio eius, magnoque merito sum obligatus. Nam Clodianis temporibus, quum equestris ordinis princeps esset, proque mea salute acerrime propugnaret, a Gabinio consule relegatus est: quod ante id tempus civi Romano contigit nemini. Hoc quum populus Romanus meminit, mei ipsum non meminisse turpissimum est. Quapropter persuade tibi, mi Brute, me petere

---

Ep. DCCLXXXVI. *quum equestris ordinis*] Hoc tempore non equestris sed senatorii ordinis. Lamia dicebatur. Minoris enim ordinis appellationes omittebat, qui maiorem adeptus erat. *Manut.*

praeturam. Quamquam enim Lamia summo splendore, summa gratia est, magnificentissimo munere aedilicio: tamen, quasi ea ita non essent, ego suscepi totum negotium. Nunc, si me tanti facis, quanti certe facis, quum equitum centurias tenes, in queis regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Non tenebo te pluribus. Ponam in extremo quod sentio. Nihil est, Brute, quum omnia a te exspectem, quod mihi gratius facere possis.

EPISTOLA DCCLXXXVII. (ad Div. XI. 12.)

Scr. mense incerto A. U. C. 709.

Iterum commendat Lamiam in petitione praeturae.

M. T. CICERO D. BRUTO, IMP. S. D.

Lamia uno omnium familiarissime utor. Magna eius in me, non dico officia, sed merita, eaque sunt populo Romano notissima. Is magnificentissimo munere aedilitatis perfunctus petit praeturam: omnes

---

aedilitio] Manutius addidit *usus*. Ernestius probaturus erat, si libris firmaretur. Sed nihil opus est addi; nam sensus est: summa in gratia esse apud populum propter magnificentissimum munus aedilitium. Ceterum L. Aelius Lamia aedilis fuit A. U. C. 708. praeturam gessit A. 711. quod ostendit Pighius ad h. a. e Valerio Max. VI. 1. qui eum praetorium appellat.

ad Lupum nostrum] qui tum D. Bruti negotia Romae curabat.

Epist. DCCLXXXVII. D. BRUTO] Schmiederus in libro *historisch-philol. Bemerkungen zu Ciceros Briefen* p. 60. quia in hac epistola nihil aliud est, quam in praecedente, neque tamen illius mentio fit, non sine causa suspicatur, hanc ad M. Brutum, potius quam ad Decimum scriptam esse. Fieri tamen potest, ut Cicero in eadem causa bis ad Decimum Brutum scripserit, si forte altera epistola intercidisset.

que intelligunt, nec dignitatem ei deesse, nec gratiam. Sed is ambitus instare videtur, ut ego omnia pertimescam, totamque petitionem Lamiae mihi sustinendam putem. In ea re quantum me possis adiuvare, facile perspicio: nec vero, quantum mea causa velis, dubito. Velim igitur, mi Brute, tibi persuadeas, nihil me maiore studio a te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quam si omnibus tuis opibus, omni studio, Lamiam in petitione iuveris, quod ut facias, vehementer te rogo.

EPISTOLA DCCLXXXVIII. (ad Div. X. 4.)

Scr. in Gallia Transalpina exeunte Decembri A. U. C. 709.

Gratias agit Ciceroni, quod se ad verissimae gloriae studium sit adhortatus, seque in rei publ. potestate fore pollicetur.

PLANCUS CICERONI.

Gratissimae mihi hae literae fuerunt, quas ex Furnii sermone te scripsisse animadverti. Ego autem praeteriti temporis excusationem affero, quod te profectum audieram: nec multo ante redisse scivi, quam ex epistola tua cognovi. Nullum enim in te officium, ne minimum quidem, sine maxima culpa videor posse praeterire. In quo tuendo habeo causas plurimas, vel paternae necessitudinis, vel meae a pueritia observantiae, vel tui erga me mutui amoris. Quare, mi Cicero, quod mea, tuaque patitur aetas, persuade tibi, te unum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem. Omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentiae plena, quae summa est, vi-

---

is ambitus instare videtur] Ii homines et tanta contentione petituri videntur, ut nihil satis tutum, satisque provisum putem. *Gronov.*

Ep. DCCLXXXVIII. *literae*] significatur epistola h. ed. 760.

dentur, quam fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. Quare si aut aliter sentirem, certe admonitio tua me reprimere; aut, si dubitarem, hortatio impellere posset, ut id sequerer, quod tu optimum putares. Nunc vero quid est, quod me in aliam partem trahere possit? Quaecumque in me bona sunt, aut fortunae beneficio tributa, aut meo labore parta, etsi a te propter amorem carius sunt aestimata: tamen vel inimicissimi iudicio tanta sunt, ut praeter bonam famam, nihil desiderare videantur. Quare hoc unum tibi persuade, quantum viribus eniti, consilio providere, auctoritate movere potuero, hoc omne rei publicae semper futurum. Non est ignotus mihi sensus tuus: neque, si facultas, optabilis mihi quidem, tui praesentis esset, umquam a tuis consiliis discreparem; nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere iure possis. Sum in exspectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe mense Ianuario geratur. Interim maximam hic sollicitudinem, curamque sustineo, ne inter aliena vitia hae gentes nostra mala suam putent occasionem. Quod si proinde, ut ipse mereor, mihi successerit: certe et tibi, cui maxime cupio, et omnibus viris bonis satis faciam. Fac valeas, meque mutuo diligas.

Ianuario geratur] Vulgo editur *ut sciam;* quod spurium esse recte indicavit Ernestius.

hae gentes] Galliae Transalpinae tum praeerat Plancus.

M. T. CICERONIS

EPISTOLAE

A. U. C. DCCX

SCRIPTAE

C. VIBIO PANSA, A. HIRTIO COSS.

EPISTOLA DCCLXXXIX. (ad Div. XII. 24.)

Scr. Romae ineunte Ianuario A. U. C. 710.
C. Vibio Pansa, A. Hirtio Coss.

Ut omni cura in rem publ. incumbat hortatur 1. *De legatis scribit ad Antonium missis* 2. *Pinarium commendat* 3.

M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO.

Ego nullum locum praetermitto (nec enim debeo) non modo ornandi tui, sed ne laudandi quidem. Sed mea studia erga te et officia malo tibi ex tuorum literis, quam ex meis, esse nota. Te tamen hortor, ut omni cura in rem publicam incumbas. Hoc est animi, hoc est ingenii tui, hoc eius spei, quam habere debes, amplificandae dignitatis tuae.

Sed hac de re alias ad te pluribus. Quum enim 2
haec scribebam, in exspectatione erant omnia. Nondum legati redierant, quos senatus non ad pacem deprecandam, sed ad denuntiandum bellum miserat, nisi legatorum nuntio paruisset. Ego tamen, ut primum occasio data est, meo pristino more rem publicam defendi; me principem senatui populoque Romano professus sum; nec posteaquam suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendae salutis libertatisque communis. Sed haec quoque te ex aliis malo.

Epist. DCCLXXXIX. *ornandi — laudandi*] obsecutus sum Gronovio, qui verba ista transponenda censuit; quum vulgo legatur, *non modo laudandi tui, sed ne ornandi quidem.* Nam *ornare* est per SC. aliquid decernere in honorem eius, idque plus quam *laudare.*

nondum legati redierant] missi, quamquam repugnante Cicerone ad Antonium, ut Mutinae obsidionem omitteret. Philipp. V.



2 T. Pinarium, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut maiore non possim. Cui quum propter omnes virtutes, tum etiam propter studia communia, sum amicissimus. Is procurat rationes negotiaque Dionysii nostri, quem et tu multum amas, et ego omnium plurimum. Ea tibi ego non debeo commendare; sed commendo tamen. Facies igitur, ut ex Pinarii, gratissimi hominis literis, tuum et erga illum, et erga Dionysium studium perspiciamus.

EPISTOLA DCCXC. (ad Div. XI. 8.)

Scr. Romae ineunte Ianuario A. U. C. 710.

Scribit de legatis ad Antonium missis, et quae sit omnium de Bruto exspectatio consensioque ad libertatem recuperandam.

M. CICERO S. D. BRUTO IMP. COS. DES.

Eo tempore Polla tua misit, ut ad te, si quid vellem, darem literarum, quum quod scriberem, non habebam. Omnia enim erant suspensa propter exspectationem legatorum: qui quid egissent, nihildum nun-

---

Dionysii nostri] Opinor esse, qui nominatur lib. IV. ep. 15. ad Att. (h. ed. 142.) *Manut.*

Epist. DCCXC. *Polla tua*] i. e. Valeria Paulla uxor tua; *Polla* autem et *Paulla* dicebant veteres ἀδιαφόρως, ut caupo, copo; olla, aula; plostrum, plaustrum. *Lambin.*

legatorum] obsidente nimirum Mutinam Antonio Pansa et Hirtius coss. Kal. Ian. de ea obsidione ad senatum retulerunt. Et quum is qui primus sententiam rogatus erat, censuisset mittendos ad Antonium legatos, Cicero autem Philippica quinta id dissuasisset, illo quidem die senatus nihil decrevit; triduo autem post mittendos ad Antonium legatos censuit, qui Antonio nuntiarent, ne cos. designatum oppugnaret, neve Mutinam obsideret, essetque in S. P. Q. R. potestate. Cf. Philipp. VI. Missi igitur sunt

tiabatur. Haec tamen ſcribenda exiſtimavi: primum, S. P. Q. R. de te laborare, non ſolum ſalutis ſuae cauſa, ſed etiam dignitatis tuae. Admirabilis enim eſt quaedam tui nominis caritas, amorque in te ſingularis omnium civium. Ita enim ſperant atque confidunt, ut antea rege, ſic hoc tempore regno te rem publicam liberaturum. Romae delectus habetur, totaque Italia; ſi hic delectus appellandus eſt, quum ultro ſe offerunt omnes: tantus ardor occupavit animos hominum deſiderio libertatis, odioque diutinae ſervitutis. De reliquis rebus a te iam exſpectare literas debemus, quid ipſe agas, quid noſter Hirtius, quid Caeſar meus: quos ſpero brevi tempore ſocietate victoriae tecum copulatos fore. Reliquum eſt, ut de me id ſcribam; quod te ex tuorum literis et ſpero, et malo cognoſcere: me neque deeſſe ulla in re, neque umquam defuturum dignitati tuae.

EPISTOLA DCCXCI. (ad Div. X. 3.)

Scr. Romae menſe Ianuario A. U. C. 710.

Hortatur ut rem publicam bene gerat, ex eiusque optimo ſtatu gloriam quaerat.

CICERO PLANCO S. D.

Quum ipſum Furnium per ſe vidi libentiſſime, tum hoc libentius, quod illum audiens te videbar audire. Nam et in re militari virtutem, et in adminiſtranda provincia iuſtitiam, et in omni genere pruden-

---

Ser. Sulpicius L. Marcius Philippus, et L. Calpurnius Piſo.

delectus habetur] a conſule Panſa.

Hirtius] qui ad bellum profectus erat.

quid Caeſar meus] Octavianus, privato conſilio ab urbe in Galliam citeriorem adverſus Antonium profectus.

Epiſt. DCCXCI. *quum ipſum*] Hanc epiſtolam Cicero Furnio legato ad Plancum redeunti perferendam dedit, nondum acce-

tiam mihi tuam exposuit, et mihi non ignotam in consuetudine et familiaritate suavitatem tuam adiunxit; praeterea summam erga se liberalitatem. Quae omnia mihi iucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra, ante aliquanto, quam tu natus esses; amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua; confirmata iam aetate, familiaritatem quum studio meo, tum iudicio tuo constitutam. His de causis mirabiliter faveo dignitati tuae, quam mihi tecum statuo habere communem.* Omnia summa consecutus es, virtute duce, comite fortuna: eaque es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos ingenio, industriaque fregisti. Nunc me amantissimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies, omnem tibi reliquae vitae dignitatem ex optimo rei publicae statu acquires. Scis profecto, (nihil enim te fugere potuit,) fuisse quoddam tempus, quum homines existimarent, te nimis servire temporibus; quod ego quoque existimarem, te si ea, quae patiebare, probare etiam arbitrarer. Sed quum intelligerem, quid sentires, te arbitrabar videre quid posses. Nunc alia ratio est. Omnium rerum tuum iudicium est, idque liberum. Consul es designatus, optima aetate, summa eloquentia,* maxima orbitate rei publicae virorum talium. Incumbe, per deos immortales, in eam curam et cogitationem, quae tibi summam dignitatem et gloriam afferat. Unus autem est, hoc praesertim tempore, per tot annos re publica devexata, rei publicae bene gerendae cursus ad glo-

---

pta Planci epistola quae est h. ed. 788.

et mihi non ignotam] Vulgo: *et praeterea m. n. ign.* Illud *praeterea* hic redundat, temere e sequentibus repetitum.

rei publ. bene gerendae cursus] Ernestius correxit *re publ. bene gerenda.* Vul-

riam. Haec amore magis impulſus ſcribenda ad te putavi, quam quo arbitrarer te monitis et praeceptis egere. Sciebam enim, ex iisdem te haec haurire fontibus, ex quibus ipſe hauſeram. Quare modum faciam. Nunc tantum ſignificandum putavi; ut potius amorem tibi oſtenderem meum, quam oſtentarem prudentiam. Interea, quae ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudioſe diligenterque curabo.

EPISTOLA DCCXCII. (ad Div. XII. 4.)

Scr. Romae menſe Ianuario A. U. C. 710.

Antonium cum Caeſare interfectum haud fuiſſe queritur. Deinde de ſenatus et populi animo, de legatis ad Antonium, et de Dolabellae conatu Syriam occupandi ſcribit.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Vellem Idibus Martiis me ad cenam invitaſſes; reliquiarum nihil fuiſſet. Nunc me reliquiae veſtrae exercent, et quidem praeter ceteros me. Quamquam egregios conſules habemus, ſed turpiſſimos conſulares: ſenatum fortem, ſed infimo quemque honore fortiſſimum. Populo vero nihil fortius, nihil melius, Italiaque univerſa. Nihil autem foedius Philippo, et Piſone, legatis, nihil flagitioſius; qui quum eſſent miſſi, ut Antonio ex ſenatus ſententia certas res denuntiarent: quum ille earum rerum nulli paruiſſet, ultro ab illo

---

gatum defendit Heuſinger ad Ciceronem de Off. pag. 370.

Epiſt. DCCXCII. *ad cenam*] Caeſaris caedem intelligit.

reliquiarum nihil fuiſſet] Antonium etiam interfeciſſemus.

infimo quemque honore] i. e. quaeſtores et aediles.

denuntiarent]. Ita legendum. Iuberent eum abſtinere Mutina, dimitteret exercitum etc. Vulg. *nuntiarent*. cf. ep. 24. (h. ed. 789.) *Gronov.*

ultro ab illo] Iniquiſſimus

ad nos intolerabilia postulata retulerunt. Itaque ad nos concurritur; factique iam in re salutari populares sumus. Sed tu quid ageres, quid acturus, ubi denique esses, nesciebam. Fama nuntiabat, te esse in Syriam; auctor erat nemo. De Bruto, quo propius est, eo firmiora videntur esse, quae nuntiantur. Dolabella valde vituperabatur ab hominibus non insulsis, quod tibi tam cito succederet, quum tu vixdum triginta dies in Syria fuisses. Itaque constabat, eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus et tua, et Bruti est, quod exercitum praeter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem causamque nossem. Nunc quae scribo, scribo ex opinione hominum, atque fama. Tuas literas avide exspecto. Vale.

EPISTOLA DCCXCIII. (ad Div. X. 28.)

Scr. Romae mense Februario A. U. C. 710.

Dolet Antonium non una cum Caesare interfectum, qui nunc tantas turbas cieat; deinde suum libertatis recuperandae studium declarat.

CICERO TREBONIO, SAL.

Quam vellem ad illas pulcherrimas epulas me Idibus Martiis invitasses! reliquiarum nihil haberemus.

---

hic est Cicero prae studio. Postulata Antonii abominari poterat; legatos accusare non debebat, quod eius responsa ad senatum referrent.

postulata] quae ea fuerint, cognoscitur e Philippica octava.

te esse in Syriam] Edd. Med. et aliae *te isse in Syriam;* consentit Ms. Gu. I. 2. et meus, qui habet tamen *ipse*, ut edd. Rom. Ven. aliae *esse;* praetulit Graevius. Respondet illi *ubi esses*, et postulant sequentia. *Esse in Syriam* pro *in Syria* recte dicitur, et sunt alia exempla. *Ernesti.*

quo propius est] M. Brutus enim erat in Macedonia.

quod tibi tam cito succederet] locus est elegans in

At nunc cum his tantum negotii est, ut vestrum illud divinum in rem publicam beneficium nonnullam habeat querelam. Quod vero a te, viro optimo, seductus est, tuoque beneficio adhuc vivit haec pestis; interdum, quod mihi vix fas est, tibi subirascor. Mihi enim negotii plus reliquisti uni, quam, praeter me, omnibus. Ut enim primum post Antonii foedissimum discessum senatus haberi libere potuit, ad illum animum meum reverti pristinum, quem tu cum civi acerrimo, patre tuo, in ore et amore semper habuisti. Nam quum senatum a. d. XIII Kalendas Ianuarias tribuni plebis vocavissent, deque alia re referrent: totam rem publicam sum complexus, egique acerrime, sena-

---

his verbis. Nam senatus ademptam Dolabellae Syriam Cassio dederat. Dolabella vero ita in Syriam iverat, quasi Cassio legitime successurus, qua de re non insulsi nec infaceti homines nimium cito Dolabellam Cassio succedere cavillabantur; itaque recipiendum omnino non esse, quoniam legitimum tempus, quo Cassius decedere deberet, exspectare noluisset. *Manut.*

Epist. DCCXCIII. *seductus est*] Antequam Caesar interficeretur, Trebonius Antonium seduxit, ne forte Caesari succurrere posset.

foedissimum discessum] Hoc explanatur Philipp. III. c. 9. his verbis: *Quum de re publ. relaturus fuisset, allato nuntio de legione quarta, mente concidit, effugere festinans SC. de supplicatione per discessionem fecit, quum id factum esset antea nunquam. Quae vero profectio postea? quod iter paludati? quae vitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quam misera fuga, quam foeda, quam turpis?* Et Phil. V. 9. *Neque sacrificiis solemnibus factis, neque votis nuncupatis, non profectus est, sed profugit paludatus. Manut.*

in ore et amore] Mihi non placet illud *et amore.* Vereor ut a Cicerone sit. *In ore habuisti,* est laudasti, praedicasti. *Ernesti.*

tribuni pl.] novi, qui magistratum de more inierunt IV. Id. Dec. *Manut.*

totam rem publ. sum complexus] Significat ea quae dixit Philipp. III. *Manut.*

tumque iam languentem et defessum ad pristinam virtutem consuetudinemque revocavi, magis animi, quam ingenii viribus. Hic dies, meaque contentio atque actio spem primum populo Romano attulit libertatis recuperandae. Nec vero ipse postea tempus ullum intermisi de re publica non cogitandi solum, sed etiam agendi. Quod nisi res urbanas actaque omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem; quamquam eram maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognosces ex aliis; a me pauca; et ea summatim. Habemus fortem senatum, consulares partim timidos, partim male sentientes. Magnum damnum factum est in Servio. L. Caesar optime sentit; sed, quod avunculus est, non acerrimas dicit sententias. Consules egregii; praeclarus D. Brutus; puer egregius Caesar, de quo spero equidem reliqua. Hoc vero certum habeto, nisi ille veteranos celeriter conscripsisset, legionesque duae de exercitu Antonii ad eius se auctoritatem contulissent, atque is oppositus esset terror Antonio; nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis praeteriturum fuisse. Haec tibi, etsi audita esse arbitrabar, volui tamen notiora esse. Plura scribam, si plus otii habuero.

---

male sentientes] ep. 794. eos *partim inertes partim improbos* vocat. In illis numerat Philippum, in his Pisonem.

in Servio] Sulpicio, nuper quum esset ad Antonium missus, mortuo. cf. ep. 794.

L. Caesar] ep. 794. eum unum dicit firmum et rectum.

avunculus est] M. Antonii.

puer Caesar] Octavianus, qui tum annum XIX agebat.

legionesque duae] *Martia et quarta.* lib. XI. ep. 7. (h. ed. 778.) et Philipp. III. 3. *Manut.*

nihil Antonium] Brundisio cum legionibus Macedonicis redeuntem XII. 23. 25. (h. ed. 764. 812.) in Philippicis, Plutarcho, Dione, aliis. *Manut.*

EPISTOLA DCCXCIV. (ad Div. XII. 5.)

Scr. Romae mense Februario A. U. C. 710.

M. Brutum laudat, ut accendat eius exemplo Cassium ad imitationem; addit de Mutinensi bello et de statu rei publicae.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Hiemem credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeque ubi esses. Loquebantur omnes tamen, credo, quod volebant, in Syria te esse, habere copias. Id autem eo facilius credebatur, quia simile vero videbatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. Res enim tantas gessit, tamque inopinatas, ut eae quum per se gratae essent, tum ornatiores propter celeritatem. Quod si tu ea tenes, quae putamus: magnis subsidiis fulta res publica est. A prima enim ora Graeciae, usque ad Aegyptum, optimorum civium imperiis muniti erimus et copiis. Quamquam, nisi me fallebat, res se sic habebat, ut totius belli omne discrimen in D. Bruto positum videretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliquum fore videbatur. Parvis omnino iam copiis obsidebatur, quod magno praesidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternae noster Hirtius; ad Forum Cornelium Cae-

---

Epist. DCCXCIV. *Res tantas gessit*] ut omittam Plutarchi, Appiani Dionis testimonia, cognoscuntur ex Philipp. X. res a M. Bruto gestae, quarum caussa in S. C. laudatus est his verbis: *quod eius opera consilio, industria, virtute difficillimo rei publ. tempore, provincia Macedonia, Illyricum, cuncta Graecia, legiones, exercitus, equitatus in consulum senatus populique Romi potestate essent.* — *Manut.*

usque ad Aegyptum] quam partem Cassius in potestate rei publ. continebat. Phil. X. *Manut.*

Claternae] oppidum Lingonum in Gallia Cispadana, nunc *Quaderna.* *Graev.*

Forum Cornelium] Et hoc

ſar; uterque cum firmo exercitu; magnasque Romae Panſa copias ex delectu Italiae comparabat. Hiems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil niſi conſiderate, ut mihi crebris literis ſignificat, acturus videbatur. Praeter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus, ſtudioſiſſimam rei publicae. Tuos etiam clientes Transpadanos mirifice coniunctos cum cauſa habebamus. Erat firmiſſimus ſenatus, exceptis conſularibus; ex quibus unus L. Caeſar firmus eſt et rectus. Ser. Sulpicii morte magnum praeſidium amiſimus. Reliqui partim inertes, partim improbi; nonnulli invident eorum laudi, quos in re publica probari vident. Populi vero Romani, totiusque Italiae mira conſenſio eſt. Haec erant fere, quae tibi nota eſſe vellem. Nunc autem opto, ut ab iſtis Orientis partibus virtutis tuae lumen eluceat. Vale.

EPISTOLA DCCXCV. (ad Div. IX. 24.)

Scr. Romae exeunte Februario A. U. C. 710.

Rufum a Paeto commendatum ſibi curae fore oſtendit 1. iocoſe Paetum hortatur, ut ad cenas itare pergat, ne ipſe cenulas facere dediſcat; 2. ſe tamen quod iocoſius ſcribat non abieciſſe curam rei publ. demonſtrat. 3.

CICERO PAETO.

Rufum iſtum, amicum tuum, de quo iterum iam ad me ſcribis, adiuvarem, quantum poſſem, etiamſi

---

oppidum eſt Lingonum ad viam Flaminiam, aliter Forum Cornelii ſic dictum a L. Cornelio Sulla; hodie *Imola. Graev.*

Regium Lepidi] Oppidum Boiorum in Gallia Cispadana, quod et *Forum Regii* dicitur. Nunc *Rezzo ſ. Reggio. — Graev.*

Servii Sulpicii morte] Miſſus a ſenatu ad Antonium, Mutinam obſidentem, in legatione morbo oppreſſus periit; ſenatusque ſtatuam ei pedeſtrem aeneam in Ro-

ab eo laesus essem, quum te tantopere viderem eius causa laborare; quum vero et ex tuis literis, et ex illius ad me missis intelligam et iudicem, magnae curae ei salutem meam fuisse: non possum ei non amicus esse, neque solum tua commendatione, quae apud me, ut debet, valet plurimum, sed etiam voluntate ac iudicio meo. Volo enim te scire, mi Paete, initium mihi suspicionis et cautionis et diligentiae fuisse literas tuas; quibus literis congruentes fuerunt aliae postea multorum. Nam et Aquini et Fabrateriae consilia sunt inita de me, quae te video inaudisse: et, quasi divinarent, quam his molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi me ut opprimerent. Quod ego non suspicans incautior fuissem, nisi a te admonitus essem. Quamobrem iste tuus amicus apud me non eget commendatione. Utinam ea fortuna rei publicae sit, ut ille me quam gratissimum possit cognoscere! Sed haec hactenus.

Te ad cenas itare desisse, moleste fero. Magna 2
enim te delectatione et voluptate privasti. Deinde etiam vereor, licet enim verum dicere, ne, nescio quid illud, quod solebas, dediscas, et obliviscare cenulas facere. Nam si tum, quum habebas, quos imitarere, non multum proficiebas; quid nunc te facturum putem? Spurinna quidem, quum ei rem demon-

---

stris collocandam, ipsum quam amplissime efferendum, sepulcrum in campo Esquilino publice dandum e Ciceronis sententia decrevit. Philipp. IX. 7. *Manut.*

Epist. DCCXCV. *consilia sunt inita me*] ab Antonio eiusque sociis de opprimendo Cicerone, quibus de insidiis passim in Philippicis loquitur.

quos imitarere] Vivo Caesare, quum Hirtius et Dolabella cenas darent epist. 16. (b. ed. 430.) *Manut.*

non multum proficiebas] quia illorum cenae copiosae, tuae pertenues erant. *Manut.*

facturum] Ernestius malebat *futurum*.

Spurinna] Vestriciae gentis, ut lib. XVIII. auctor est

straſſem, et vitam tuam superiorem expoſuiſſem: magnum periculum ſummae rei publicae demonſtrabat, niſi ad ſuperiorem conſuetudinem tum, quum Favonius ſlaret, revertiſſes. Hoc tempore ferri poſſe, ſi forte tu frigus ferre non poſſes. Sed, mehercule, mi Paete, extra iocum, moneo te, quod pertinere ad beate vivendum arbitror, ut cum viris bonis, iucundis, amantibus tui vivas. Nihil aptius vitae; nihil ad beate vivendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero, ſed ad communitatem vitae atque victus remiſſionemque animorum, quae maxime ſermone efficitur familiari, qui eſt in conviviis dulciſſimus; ut ſapientius noſtri, quam Graeci; illi συμπόσια, aut σύνδειπνα, nos *convivia;* quod tum maxime *ſimul vivitur.* Vides ut te philoſophando revocare coner ad cenas? Cura, ut valeas. Id foris cenitando facillime conſequere.

3 Sed cave, ſi me amas, exiſtimes, me, quod iocoſius ſcribam, abieciſſe curam rei publicae. Sic tibi, mi Paete, perſuade, me dies et noctes nihil aliud agere, nihil curare, niſi ut mei cives ſalvi liberique ſint. Nullum locum praetermitto monendi, agendi, providendi; hoc denique animo ſum, ut, ſi in hac cura atque adminiſtratione vita mihi ponenda ſit, praeclare actum mecum putem. Etiam atque etiam vale.

Tacitus, haruſpex fuit, qui futura praediceret. Hic Caeſarem monuit, ut caveret Idus Martias, quibus eſt interfectus. *Manut.*

periculum ſummae rei publ.] Suaviter iocatur ut ſolet, cum Paeto.

conſuetudinem] ad cenas aliorum itandi.

Favonius ſlaret] Ex h. l. patet hanc epiſtolam ante veris initium ſcriptam eſſe.

frigus] quod tum erat menſe Februario.

ferre non poſſes] ſi ad cenas exires.

σύνδειπνα] Vulgo addebatur: *id eſt compotationes aut concenationes*, quod quidem ineptiſſimum emblema eiiciendum eſſe Ruhnkenius recte cenſuit ad Vellei. Paterc. p. 144. Manifeſtum eſt enim e gloſſa marginali in contextum irrepſiſſe.

EPISTOLA DCCXCVI. (ad Div. X. 5.)

Scr. Romae menſe Februario A. U. C. 710.

Denuo Plancum ad ſuſcipiendam tuendamque rem publ. gloriae ſtimulis inſtigat.

CICERO PLANCO S.

Binas a te accepi literas eodem exemplo: quod ipſum argumento mihi fuit diligentiae tuae. Intellexi enim, te laborare, ut ad me mihi exſpectatiſſimae literae perferrentur. Ex quibus cepi fructum duplicem, mihique in comparatione difficilem ad iudicandum, amoremne erga me tuum, an animum in rem publicam pluris aeſtimandum putarem. Eſt omnino patriae caritas, meo quidem iudicio, maxima: ſed amor voluntatisque coniunctio plus certe habet ſuavitatis. Itaque commemoratio tua paternae neceſſitudinis, benivolentiaeque eius, quam erga me a pueritia contuliſſes, ceterarumque rerum, quae ad eam ſententiam pertinebant, incredibilem mihi laetitiam attulerunt. Rurſus declaratio animi tui, quem haberes de re publica, quemque habiturus eſſes, mihi erat iucundiſſima; eoque maior erat haec laetitia, quod ad illa ſuperiora accedebat. Itaque te non hortor ſolum, mi Plance, ſed plane etiam oro, quod feci his literis, quibus tu humaniſſime reſpondiſti, ut tota mente omnique animi impetu in rem publicam incumbas. Nihil eſt, quod tibi maiori fructui gloriaeque eſſe poſſit: nec quidquam ex omnibus rebus humanis eſt praeclarius, aut praeſtantius, quam de re publica bene mereri. Adhuc enim patitur tua ſumma humanitas et ſapientia, me,

---

Epiſt. DCCXCVI. *diligentiae tuae*] quia providerat Plancus, quod ſtatim ipſe ſignificat, ut ſi forte alterum epiſtolae exemplum intercidiſſet, alterum tamen ad Ciceronem perveniret. Intelligitur autem Planci epiſtola X. 4. h. ed. 788.

quod sentiam, libere dicere. Fortuna suffragante videris res maximas consecutus; quod quamquam sine virtute non potuisses, tamen ex maxima parte, ea, quae es adeptus, fortunae temporibusque tribuuntur. His temporibus difficillimis rei publicae quidquid subveneris, id erit totum et proprie tuum. Incredibile est omnium civium, latronibus exceptis, odium in Antonium: magna spes in te, et in tuo exercitu magna exspectatio. Cuius, per deos, gratiae gloriaeque cave tempus amittas. Sic moneo, ut filium; sic faveo, ut mihi; sic hortor, ut et pro patria, et amicissimum.

EPISTOLA DCCXCVII. ad Div. XII. 11.)

Scr. Nonis Martiis in castris Taricheis A. U. C. 710.

Narrat a quibus copias acceperit, seque et rem publ. commendat.

C. CASSIUS PROCOS.
M. T. CICERONI S. P. D.

Si vales, bene est: ego quidem valeo. In Sy-

---

res maximas consecutus] erat enim iam ista aetate consul designatus.

fortunae temporibusque] Caesaris potissimum beneficio.

Epist. DCCXCVII. PROCOS.] Non quia consul fuisset, verum quia proconsulari imperio Syriae praeesset. Multos autem post praeturam proconsules appellatos esse constat. Itaque de Leg. lib. I. 20. ita scriptum est; *Gellius, quum proconsul ex praetura in Graeciam venisset, philosophos in locum unum convocavit.* Et in orat. in Vatin. cap. 5. C. Cosconium proconsulem vocat ulterioris Hispaniae, qui consulatum non gesserat. Item M. Antonius de Orat. I. 18. ait se proconsule in Ciliciam profectum, a. 650., cos. factus a. 654. et Liv. Lib. XXXVII. L. Aemilium Paullum proconsulem appellat, qui praetor in ulteriorem Hispaniam ierat. Syriam Cassio praetori Caesar, Parthicum bellum cogitans, destinaverat, ut praetura functus in eam iret. Caesare mortuo consul Antonius effecit, ut ea

riam me profectum esse scito ad L. Murcum et Q. Crispum, imperatores. Viri fortes, optimique cives, postea quam audierunt, quae Romae gererentur, exercitus mihi tradiderunt, ipsique mecum una fortissimo animo rem publicam administrant. Item legionem, quam Q. Caecilius Bassus habuit, ad me venisse, quatuorque legiones, quas A. Allienus ex Aegypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absentes, remque publicam, quantum est in te, defendas. Scire te volo, firma praesidia vobis senatuique non deesse, ut optima spe et maximo animo rem publicam defendas. Re-

---

collegae suo Dolabellae, sibi autem Macedonia SCto traderentur; Cassius in Siciliam, M. Brutus in Asiam uterque emendi mittendique ad urbem frumenti gratia mitterentur. (vid. ep. 722. sq.) *Manut.* Brutus tamen et Cassius hanc legationem frumentariam aspernati, neglecto illo SCto in provincias sibi a Caesare destinatas ierant, Brutus quidem in Macedoniam, Cassius in Syriam. cf. ep. 723.

L. Murcum] L. Statium Murcum, qui tres legiones habebat Phil. XI. 12. Appian. lib. IV. Dio lib. XLVII. hunc postea Sex. Pompeius Magni filius, quum ad eum devictis Bruto et Cassio se contulisset, virtutem eius timens occidit. Dio lib. XLVIII. *Manut.*

Q. Crispum] Q. Marcium Crispum ipsum quoque trium legionum ducem Phil. XI, 12. Appian. et Dio; quamquam Dio mendose M. Crispum vocat. *Manut.*

Q. Caecilius Bassus] qui praeerat ei legioni a Caesare traditae, quum de Parthico bello cogitaret Phil. XI. 13. Strabo lib. XVI. Dio lib. XLVII. Appian. lib. IV. *Manut.*

Allienus] legatus Dolabellae Phil. XI. 13.

ex Aegypto] quo missus erat a Dolabella ut ad se quatuor illas legiones adduceret Appian. IV. *Manut.*

quantum est in te] Benedictus revocavit lectionem vulgatam *quantum opus est* e Dresd. I. II. IV. V. Lips. Asc. I. Amst. Mentel. quae tamen ad sensum alteri non videtur praeferenda.

liqua tecum aget L. Carteius, familiaris meus. Vale. Data Nonis Martiis, ex castris Taricheis.

EPISTOLA DCCXCVIII. (ad Div. X. 31.)

Scr. Cordubae XVII. Kal. April. A. U. C. 710.

Excusat se, quod studium erga rem publ. suum nondum declaraverit, seque libertatis recuperandae percupidum ostendit.

C. ASINIUS POLLIO CICERONI S. D.

Minime mirum tibi debet videri, nihil me scripsisse de re publica, postea quam itum est ad arma. Nam saltus Castulonensis, qui semper tenuit nostros tabellarios, etsi nunc frequentioribus latrociniis infestior factus est: tamen nequaquam tanta in mora est, quanta, qui locis omnibus dispositi ab utraque parte scrutantur tabellarios et retinent. Itaque nisi nave

---

Taricheis] apud Taricheam oppidum Iudaeae Plin. V. 15. *Manut.*

Epist. DCCXCVIII. *Asinius Pollio*] Caesar Parthicum bellum cogitans, et magistratus per triennium creavit, et provinciis rectores dedit, et aliis quidem alios, Hispaniis vero duabus duos, Lepidum citeriori, Asinium ulteriori. Asinius vivo adhuc Caesare in provinciam ivit; Lepidus ad urbem mansit. Post Caesaris necem, ubi Antonium, Lepidum, Octavianum coniunctos vidit, ad eorum partes cum duabus legionibus se contulit, primum fortunam secutus, deinde amicitia quoque permotus Antonii. Triumphasse eum de Parthinis, quos in Macedonia Plinius, in Epiro Strabo, in Illyrico Stephanus, verbo potius quam re diversi, collocant, ex fastis Capitolinis intelligitur. Vixit ad extremum paene Augusti principatum; et primus bibliothecam de manubiis Romae publicavit, et in ea M. Varronis imaginem viventis posuit. Plin. VII. 30. XXXV. 2. *Manut.*

Castulonensis] in Hispania Tarraconensi prope urbem Castulonem ad ripas Baetis sitam.

perlatae literae essent, omnino nescirem, quid istic fieret. Nunc vero nactus occasionem, posteaquam navigari coeptum est, cupidissime, et quam creberrime potero, scribam ad te. Ne moveare eius sermonibus, quem, tametsi nemo est, qui videre velit, tamen nequaquam proinde, ac dignus est, oderunt homines, periculum non est. Adeo est enim invisus mihi, ut nihil non acerbum putem, quod commune cum illo sit. Natura autem mea et studia trahunt me ad pacis et libertatis cupiditatem. Itaque illud initium civilis belli saepe deflevi. Quum vero non liceret mihi nullius partis esse: quia utrobique magnos inimicos habebam, ea castra fugi, in quibus plane tutum me ab insidiis inimici sciebam non futurum. Compulsus eo, quo minime volebam, ne in extremis essem, plane pericula non dubitanter adii. Caesarem vero, quod me in tanta fortuna, modo cognitum, vetustissimorum familiarium loco habuit, dilexi summa cum pietate et fide. Quae mea sententia gerere mihi licuit, ita feci,

---

ne moveare] vera lectio est *movear*, ut contextus facile docet, in primis illud: *adeo est invisus mihi.* Sermo est de Balbo aut alio quo Caesariano. Sic et dedit Graevius. Sed Mss. mei et edd. vett. *moveare. Ernesti.* Minime Balbi, sed M. Antonii sermones intelliguntur. Neque vero causa est, cur lectionem *moveare* deseramus. Non veretur Pollio, ne Cicero moveatur Antonii sermonibus, Pollionis amicitiam iactantis.

civilis belli] inter Caesarem et Pompeium.

quia utrobique] non videtur haec ratio esse commoda, sed potius contrarium suadere. Nam si utrobique erant inimici, consultius utrumque abesse. Lego *qui*, ut tantummodo exponat aestum in quo fuerit. *Gronov.* At enim argumentatio Antonii recte procedit, si modo verba, *quia utrobique — habebam* cum sequentibus copulentur. *Non licebat*, inquit, *nullius partis esse;* itaque quum utrobique magnos inimicos haberem Pompeii castra fugi, ubi plane tutum me ab inimici insidiis sciebam non

ut optimus quisque maxime probarit. Quod iussus sum, eo tempore, atque ita feci, ut appareret invito imperatum esse. Cuius facti iniustissima invidia erudire me potuit, quam iucunda libertas, et quam misera sub dominatione vita esset. Ita, si id agitur, ut rursus in potestate omnia unius sint: quicumque is est, ei me profiteor inimicum. Nec periculum est ullum, quod pro libertate aut refugiam aut deprecer. Sed consules neque senatus consulto, neque literis praeceperant mihi, quid facerem. Unas enim post Idus Martias demum a Pansa literas accepi, in quibus hortatur me, ut senatui scribam, me et exercitum in potestate eius futurum. Quod, quum Lepidus concionaretur, atque omnibus scriberet, se consentire cum Antonio, maxime contrarium fuit. Nam quibus commeatibus, invito illo, per illius provinciam legiones ducerem? aut, si cetera transissem, num etiam Alpes poteram transvolare, quae praesidio illius tenentur? Adde huc, quod perferri literae nulla conditione potuerunt: Sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur a Lepido tabellarii. Illud me Cordubae pro concione dixisse, nemo vocabit in dubium,

---

futurum, Caesaris castra secutus sum, ubi mihi inimicus minus nocere posset.

consules] Antonius et Dolabella. Non enim Hirtius et Pansa significari possunt, qui tantum ante duos menses consulatum inierant, nec multo post ad eum Pansa literas misit. Loquitur autem Asinius de toto tempore post Idus Martias, i. e. post Caesaris necem. *Man.* Frustra Ernestius Manutio repugnat, et Hirtium ac Pansam consules intelligi vult. Neque vero necesse est, ut statuamus literas illas a Pansa post initum consulatum demum scriptas esse. Quum enim antea scripserit Asinius, nisi nave ad se literae perlatae essent, se omnino nesciturum fuisse quid Romae fieret, vix potuit literas post Kal. Ian. A. U. C. 710. scriptas iam ante XVII. Kal. Apriles accipere.

nemo vocabit] in Mss. est *ne vocabit.* Benedictus

provinciam me nulli, nisi qui ab senatu missus venisset, traditurum. Nam de legione trigesima tradenda quantas habuerim contentiones, quid ego scribam? Qua tradita, quanto pro re publica infirmior futurus fuerim, quis ignorat? Hac enim legione noli acrius, aut pugnacius quidquam putare. Quare eum me existima esse, qui primum pacis cupidissimus sim; omnes enim cives plane studeo esse salvos; deinde, qui et me, et rem publicam vindicare in libertatem paratus sim. Quod familiarem meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est. Invideo illi tamen, quod ambulat et iocatur tecum. Quas res, quanti aestimem, si umquam licuerit vivere in otio, experieris. Nullum enim vestigium abs te recessurus sum. Illud vehementer admiror, non scripsisse te mihi, manendo in provincia, an ducendo exercitum in Italiam, rei publicae magis satisfacere possim. Ego quidem, etsi mihi tutius, ac minus laboriosum est, manere; tamen quia video tali tempore multo magis legionibus opus esse, quam provinciis, quae praesertim recuperari nullo negotio possunt, constitui, ut

---

addidit *nae vocabit*, idque de Lepido interpretatur.

quantas — contentiones] Vulg. *conciones* nullo modo verum esse potest; et res non patitur, et epitheton *quantas*, quod est nihili. Non dubitari edere *contentiones*, ut voluere Manutius et Lambinus. MSS. fere, item edd. pr. *contiones*, quod est compendium verbi *contentiones*. Multa exempla huius confusionis notata in libris Livii a Drakenborchio. *Ernesti.*

familiarem meum] Cornelium Gallum, quem Asinius ep. 848. familiarem suum vocat.

quas res] Bene hanc lectionem restituit Benedictus. Victorius correxit *quaeres quanti aestimem?* probantibus Gronovio et aliis. Verum hoc est paulo contortius. *Quas res*, refertur ad ambulationes et iocationes cum Cicerone.

nunc eſt, cum exercitu proficiſci. Deinde ex literis, quas Panſae miſi, cognoſces omnia. Nam tibi earum exemplar miſi. XVII Kal. April. Cordubae. Vale.

EPISTOLA DCCXCIX. (ad Div. X. 6.)

Scr. Romae XIII. Kal. Apr. A. U. C. 710.

Hortatur Plancum, ut ſeiungat ſe a ſocietate malorum, pacemque non in armis poſitis, ſed in abiecto armorum et ſervitutis metu quaerat.

CICERO PLANCO.

Quae locutus eſt Furnius noſter de animo tuo in rem publicam, ea gratiſſima fuerunt ſenatui, populoque Romano probatiſſima. Quae autem recitatae literae ſunt in ſenatu, nequaquam conſentire cum Furnii oratione viſae ſunt. Pacis enim auctor eras, quum collega tuus, vir clariſſimus, a foediſſimis latronibus obſideretur: qui aut poſitis armis pacem petere debent; aut, ſi pugnantes eam poſtulant, victoria pax, non pactione parienda eſt. Sed de pace literae vel Lepidi, vel tuae, quam in partem acceptae ſint, ex viro optimo, fratre tuo, et ex C. Furnio poteris cognoſcere. Me autem impulit tui caritas, ut, quamquam nec tibi ipſi conſilium deeſſet, et fratris Furniique benivolentia, fideliſque prudentia tibi praeſto eſſet futura, vellem tamen meae quoque auctoritatis, pro plurimis noſtris neceſſitudinibus, praeceptum ad te aliquod pervenire. Crede igitur mihi, Plance, omnes,

---

deinde] Non habet, quo referatur hoc *deinde*. Videtur fuiſſe *proficiſci inde* ſc. e provincia. *Ern.* Pollio videtur particula *deinde*, etſi paulo inſolentius, ſignificare voluiſſe: *quae reliqua ſunt.*

Epiſt. DCCXCIX. *collega tuus*] D. Brutus, cum Planco coſ. deſignatus ab Antonio eiusque militibus Mutinae obſeſſus. *Manut.*

fratre tuo] non T. Planco Burſa, qui nominatur VII.

quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis, (es autem adeptus amplissimos,) eos honorum vocabula habituros, non dignitatis insignia, nisi te cum libertate populi Romani, et cum senatus auctoritate coniunxeris. Seiunge te, quaeso, aliquando ab iis, cum quibus te non tuum iudicium, sed temporum vincla coniunxerunt. Complures in perturbatione rei publicae consules dicti; quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo exstitit in rem publicam consularis. Talem igitur te esse oportet, qui primum te ab impiorum civium, tui dissimillimorum, societate seiungas: deinde et senatui, bonisque omnibus auctorem, principem, ducem praebeas; postremo, ut pacem esse iudices non in armis positis, sed in abiecto armorum et servitutis metu. Haec si et ages, et senties, tum eris non modo consul, et consularis, sed magnus etiam et consul, et consularis. Sin aliter: tua in istis amplissimis nominibus honorum non modo dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas. Haec, impulsus benivolentia, scripsi paullo severius: quae tu experiendo in ea ratione, quae te digna est, vera esse cognosces. D. XIII Kal. Aprilis.

EPISTOLA DCCC. (ad Div. X. 27.)

Scr. Romae mense Martio A. U. C. 710.

Lepidum reprehendit, quod summis honoribus ornatus ab senatu gratias non egerit, et ne pacem cum Antonio conciliare nitatur, admonet.

CICERO LEPIDO, SAL.

Quod mihi, pro summa erga te benivolentia, magnae curae est, ut quam amplissima dignitate sis,

---

2. (h. ed. 182.); nam cum Antonio erat Philipp. XIII. 12. sed eo, qui commemoratur ep. 11. (h. ed. 817.) *Manut.*

moleste tuli, te senatui gratias non egisse, quum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus. Pacis inter cives conciliandae te cupidum esse laetor. Eam si a servitute seiungis, consules et rei publicae et dignitati tuae. Sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura est, hoc animo scito omnes sanos esse, ut mortem servituti anteponant. Itaque sapientius, meo quidem iudicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quae neque senatui, neque populo, nec cuiquam bono probatur. Sed haec audies ex aliis, aut certior fies literis. Tu pro tua prudentia, quid optimum factu sit, videbis.

EPISTOLA DCCCI. (ad Div. X. 8.)

Scr. in Hispania mense Martio A. U. C. 710.

Causas exponit, cur se sero libertatis defensorem profiteatur, et de exercitu et provinciae statu significat.

PLANCUS IMP. COS. DES. S. D. COSS. PR. TRIB. PLEB. SEN. POP. PL. Q. R.

Si cui forte videor diutius et hominum exspectationem, et spem rei publicae de mea voluntate tenuisse suspensam: huic prius excusandum me esse arbitror, quam de insequenti officio quidquam ulli pollicendum. Non enim praeteritam culpam videri volo redemisse: sed optimae mentis cogitata iampridem maturo tempore enuntiare. Non me praeteribat, in tanta sollici-

---

Epist. DCCC. *summis honoribus*] supplicatione ei decreta et statua equestri inaurata Philipp. III. 9. V. 15. *seiungis*] Ernestius correxit *seiunges*, quia post sequatur *restitutum est*. Verum haec tempora non sunt eadem. *Seiungis* refertur ad constantem Lepidi opinionem, quam et antea, et nunc, et postea poterat habere; ergo praesens tempus infinitum hic requiritur.

tudine hominum, et tam perturbato ſtatu civitatis, fructuoſiſſimam eſſe profeſſionem bonae voluntatis, magnosque honores ex ea re complures conſecutos videbam. Sed, quum in eum caſum me fortuna demiſiſſet, ut aut celeriter pollicendo magna mihi ipſe ad proficiendum impedimenta opponerem; aut, ſi in eo mihi temperaviſſem, maiores occaſiones ad opitulandum haberem: expeditius iter communis ſalutis, quam meae laudis, eſſe volui. Nam quis in ea fortuna, quae mea eſt, et ab ea vita, quam in me cognitam hominibus arbitror, et cum ea ſpe, quam in manibus habeo, aut ſordidum quidquam pati, aut pernicioſum concupiſcere poteſt? Sed aliquantum nobis temporis, et magni labores, et multae impenſae opus fuerunt, ut quae rei publicae bonisque omnibus polliceremur, exitu praeſtaremus: neve ad auxilium patriae nudi cum bona voluntate, ſed cum facultatibus accederemus. Confirmandus erat exercitus nobis, magnis ſaepe praemiis ſollicitatus, ut ab re publica potius moderata, quam ab uno infinita ſperaret. Confirmandae complures civitates, quae ſuperiore anno largitionibus conceſſionibusque praemiorum erant obligatae: ut et illa vana putarent, et eadem a melioribus aucto-

---

Epiſt. DCCCI. *magna mihi ipſe*] Lectionem Mſſ. et edd. vett. *magna in ſpe* Lambinus ſic correxit, ut et voluit corrigi Faërnus. Probabiliter; nam de ſpe non eſt ſermo, ſed de officio, et huic particulae *magna in ſpe* in contrario nil reſpondet; denique *impedimenta* nullum habent epitheton, quod reſpondeat contrario *maiores occaſiones*, id quod concinnitas orationis poſtulat. Itaque Lambinum ſecutus ſum. *Erneſti.*

impedimenta] nempe a Lepido, cuius animum non ſatis norat.

aut ſordidum q. pati] ſc. ab Antonio, quod ſervitutis rationem haberet.

ſollicitatus] ab Antonio potiſſimum.

conceſſionibus — obligatae] a conſule Antonio.

ribus petenda existimarent. Alliciendae etiam voluntates reliquorum, qui finitimis provinciis exercitibusque praefuerunt: ut potius cum pluribus societatem defendendae libertatis iniremus, quam cum paucioribus funestam orbi terrarum victoriam partiremur. Muniendi vero nosmetipsi fuimus, aucto exercitu, auxilisque multiplicatis: ut, quum praeferremus sensus aperte, tum etiam, invitis quibusdam, sciri, quid defensuri essemus, non esset periculosum. Ita numquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum consiliorum pervenirem, et simulasse invitum, et dissimulasse cum dolore: quod praematura denuntiatio boni civis imparati, quam periculosa esset, ex casu collegae videbam. Quo nomine etiam C. Furnio legato, viro forti atque strenuo, plura etiam verbo, quam scriptura, mandata dedimus: ut et tectius ad vos perferrentur, et nos essemus tutiores: quibusque rebus et communem salutem muniri, et nos armari conveniret, praecepimus. Ex quo intelligi potest, curam rei publicae summe defendundae iampridem apud nos

---

Alliciendae] Sic Ms. noster ex correctione, ut habet ed. Med. et aliae ante Victorium. Alii *eliciendae*. Verum autem videtur *alliciendae*. Nam *elicere voluntatem* est facere arte quadam, ut homines ostendant, quid velint, quo sensu sint. Nam *elicimus*, quod iam inest. Favet et Gu. I. qui habet *elliciendae*. Est tamen *elicere* pro allicere, etiam Balb. 16. *praemiis Gaditanos elicere*, nisi et ibi legendum *allicere* — *Ernesti*.

simulasse] Simulantur falsa, dissimulantur vera. Simulabat igitur Plancus Antonio se favere; dissimulabat suum in rem publ. studium. Dissimulamus autem vel silentio, vel sermone, vel re ipsa. *Manut.*

collegae] D. Bruti cos. des. quem Antonius Mutinae inclusum obsidebat. *Manut.*

summe defendundae] *Summe* quod habent quaedam edd. pr. ut Rom. Ernestio auctore praetuli alteri lectione *summae*.

excubare. Nunc, quum deum benignitate ab omni re ſumus paratiores, non ſolum bene ſperare de nobis homines, ſed explorate iudicare volumus. Legiones habeo v ſub ſignis, et ſua fide virtuteque rei publicae coniunctiſſimas, et noſtra liberalitate nobis obſequentes. Provinciam, omnium civitatum conſenſu, paratiſſimam, et ſumma contentione ad officia certantem: equitatus, auxiliorumque tantas copias, quantas hae gentes ad defendendam ſuam ſalutem libertatemque conficere poſſunt. Ipſe ſum animo paratus, vel provinciam tueri, vel ire quo res publica vocet, vel tradere exercitum, auxilia, provinciamque: ut omnem impetum belli in me convertere non recuſem, ſi modo meo caſu aut confirmare patriae ſalutem, aut periculum poſſim morari. Haec ſi iam expeditis omnibus rebus, tranquilloque ſtatu civitatis polliceor: in damno meae laudis rei publicae commodo laetabor. Sin ad ſocietatem integerrimorum et maximorum periculorum accedam: conſilia mea aequis iudicibus ab obtrectatione invidorum defendenda commendo. Mihi quidem ipſi fructus meritorum meorum in rei publicae incolumitate ſatis magnus eſt paratus. Eos vero, qui meam auctoritatem, et multo magis veſtram fidem ſecuti, nec ulla ſpe decipi, nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos vobis habeatis, petendum videtur.

---

ipſe ſum animo paratus — vel ut omnem] Olim legebatur: *ipſe ita ſum animo paratus vel — ut vel omnem impetum belli in me convertere non recuſem.* Graevius edidit: *ipſe ita ſum a. p. ut vel — vel omnem — non recuſem.* In notis tamen malebat, *ipſe ſum animo paratus vel — vel omnem impetum belli in me convertere.* Mihi ſimplicius videbatur *ita* poſt *ipſe* et *vel* ante *omnem impetum* delere. Weiskius verba *ita ſum animo paratus* poſuit poſt *provinciamque.*

ut omnem — non recuſem] Haec verba referuntur ad proxime praecedentia *vel*

EPISTOLA DCCCII. (ad Div. X. 7.)

Scr. in Hispania mense Martio A. U. C. 710.

Caussas studii in rem publ. sui serius patefacti breviter exponit, suamque dignitatem Ciceroni commendat.

PLANCUS CICERONI.

Plura tibi de meis consiliis scriberem, rationemque omnium rerum redderem verbosius, quo magis iudicares, omnia me rei publicae praestitisse, quae et tua exhortatione excepi, et mea affirmatione tibi recepi; (non minus enim a te probari, quam diligi semper volui; nec te magis in culpa defensorem mihi paravi, quam praedicatorem meritorum meorum esse volui:) sed breviorem me duae res faciunt: una, quod publicis literis omnia sum persecutus; altera, quod M. Varisidium, equitem Romanum familiarem meum, ipsum ad te transire iussi, ex quo omnia cognoscere posses. Non, medius fidius, mediocri dolore afficiebar, quum alii occupare possessionem laudis viderentur: sed usque mihi temperavi, dum perducerem eo rem, ut dignum aliquid et consulatu meo, et vestra exspectatione efficerem. Quod spero, si me fortuna non fefellerit, me consecuturum: ut maximo praesidio rei publicae nos fuisse, et nunc sentiant homines, et in posterum memoria teneant. A te peto, ut dignitati meae suffrageris: et, quarum rerum spe ad laudem me vocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem. Non minus posse te, quam velle, exploratum mihi est. Fac valeas, meque mutuo diligas.

---

tradere exercitum, auxilia, provinciamque; sic enim casu suo, et dignitatis deminutione impetum belli in se unum convertisset.

Ep. DCCCII. *publicis literis*] ad Div. X. 27. (h. ed. 800.)

consulatu meo] quem gesturus erat post Hirtium et Pansam huius anni consules.

EPISTOLA DCCCIII. (ad Div. XII. 7.)

Scr. Romae exeunte Martio A. U. C. 710.

Sententiam a se in senatu ex dignitate Cassii dictam, eandemque in concione defensam significat.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Quanto studio dignitatem tuam, et in senatu, et ad populum defenderim, ex tuis te malo, quam ex me, cognoscere. Quae mea sententia in senatu facile valuisset, nisi Pansa vehementer obstitisset. Ea sententia dicta, productus sum in concionem a tribuno plebis, M. Servilio. Dixi de te, quae potui, tanta contentione, quantum forum est; tanto clamore, consensuque populi, ut nihil umquam simile viderim. Id velim mihi ignoscas, quod invita socru tua fecerim. Mulier timida verebatur, ne Pansae animus offenderetur. In concione quidem Pansa dixit, matrem quoque tuam et fratrem illam a me sententiam noluisse dici. Sed haec non movebant: alia malebam. Favebam et rei publicae, cui semper favi, et dignitati ac gloriae tuae. Quod autem et in senatu pluribus verbis disserui, et dixi in concione, in eo velim fidem meam liberes. Promisi enim, et prope confirmavi, te non exspectasse, nec exspectaturum decreta nostra, sed te ipsum tuo more rem publicam defensurum. Et, quamquam ni-

---

Epist. DCCCIII. *in senatu*] quum habuit Philippicam undecimam. *Manut.*

ad populum] quae oratio non exstat.

quod mea sententia] ut Cassius obtineret Syriam.

obstitisset] quum illam sententiam valere mallet, ut consules, i. e. ipse et Hirtius persequendi Dolabellae causa Asiam et Syriam sortirentur. Philipp. XI. c. 12. *Manut.*

socru tua] Servilia, Catonis Uticensis sorore, matre M. Bruti et Tertullae uxoris Cassii. *Manut.*

fratrem] L. Cassium ep. 2. (h. ed. 762.) *Manut.*

hildum audieramus, nec ubi esses, nec quas copias haberes: tamen sic statuebam, omnes, quae in istis partibus essent opes copiaeque, tuas esse; per teque Asiam provinciam confidebam iam rei publicae reciperatam. Tu fac in augenda gloria te ipsum vincas. Vale.

EPISTOLA DCCCIV. (ad Div. X. 10.)

Scr. Romae III. Kal. Apr. A. U. C. 710.

Laudat Planci praeclaram voluntatem studiumque rem publ. iuvandi.

CICERO PLANCO.

Etsi satis ex Furnio nostro cognoram, quae tua voluntas, quod consilium de re publica esset: tamen, tuis literis lectis, liquidius de toto sensu tuo iudicavi. Quamobrem, quamquam in uno praelio omnis fortuna rei publicae disceptat; quod quidem, quum haec legeres, iam decretum arbitrabar fore: tamen ipsa fama, quae de tua voluntate percrebruit, magnam es laudem consecutus. Itaque si consulem Romae habuissemus, declaratum esset ab senatu cum tuis magnis honoribus, quam gratus esset conatus et apparatus tuus. Cuius rei non modo non praeteriit tempus: sed ne maturum quidem etiam nunc, meo quidem iudicio, fuit. Is enim denique honos mihi videri solet, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita claris viris defertur et datur. Quare, sit modo aliqua res publica, in qua honos elucere possit; omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis. Is au-

---

Epist. DCCCIV. *uno praelio*] Mutinensi.

consulem] alterum e consulibus. Nam aberat uterque consul, Hirtius et Pansa, ad Mutinam obsidione liberandam profecti. *Manut.*

is enim denique] non *ut breviter dicam*, ut intelligit Graevius, sed *demum*, ut et alibi dicitur. *Ernesti.*

tem, qui vere appellari poteſt honos, non invitamentum ad tempus, ſed perpetuae virtutis eſt praemium. Quamobrem, mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem; ſubveni patriae; opitulare collegae; omnium gentium conſenſum et incredibilem conſpirationem adiuva. Me tuorum conſiliorum adiutorem, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amiciſſimum fideliſſimumque cognoſces. Ad eas enim cauſas, quibus inter nos amore ſumus, officiis, vetuſtate coniuncti, patriae caritas acceſſit: eaque effecit, ut tuam vitam anteferrem meae. III Kalendas Aprilis.

EPISTOLA DCCCV. (ad Div. X. 12.)

Scr. Romae III. Id. April. A. U. C. 710.

Laudat literas a Planco publice ad ſenatum miſſas, et, quid eius cauſa in ſenatu actum ſit, ſignificat, eumque ad liberandam rem publ. diligentiſſime hortatur.

CICERO PLANCO.

Etſi rei publicae cauſa maxime gaudere debeo, tantum ei te praeſidii, tantum opis attuliſſe extremis paene temporibus: tamen, ita te victorem complectar

---

invitamentum] hoc dicit, quia voluntatem quidem Plancus, transiecto Rhodano oſtenderat, nihil tamen adhuc re ipſa praeſtiterat, ut ſi quid ei tribueretur, invitamentum potius, quam praemium, videri poſſet. *Man.*

Epiſt. DCCCV. *ita te victorem — affert*] Eſt iurandi formula, prorſus ut in Catil. IV. 6. *Nam ita mihi ſalva re publica vobiscum perfrui liceat, ut ego, quod in hac cauſa vehementior ſum, non atrocitate animi moveor* etc. Sed pro lectione *affert*, quam Victorius ex cod. Mediceo et Manutius e libro Ms. Salae defenderat, Erneſtius probavit lectionem ceterorum Mſſ. et Edd. *afferat*, hoc ſenſu: tamen quum aliquando victor redieris ita complectar, ut magnam etiam privatim laetitiam e tua dignitate capturus ſim. At enim Cice-

re publica recuperata, ut magnam partem mihi laetitiae tua dignitas affert; quam et esse iam, et futuram amplissimam intelligo. Cave enim putes, ullas umquam literas gratiores, quam tuas in senatu esse recitatas. Idque contigit quum meritorum tuorum in rem publicam eximia quadam magnitudine, tum verborum sententiarumque gravitate. Quod mihi quidem minime novum, qui et te nossem, et tuarum literarum ad me missarum promissa meminissem, et haberem a Furnio nostro tua penitus consilia cognita. Sed senatui maiora visa sunt, quam erant exspectata: non quo umquam de tua voluntate dubitasset; sed nec, quantum facere posses, nec quo progredi velles, exploratum satis habebat. Itaque quum a. d. VII Idus Apriles mane mihi tuas literas M. Varisidius reddidisset, easque legissem, incredibili gaudio sum elatus: quumque magna multitudo optimorum virorum et civium me domo deduceret, feci continuo omnes participes meae voluptatis. Interim ad me venit T. Munatius noster, ut consuerat; at ego ei literas tuas; nihildum enim sciebat. Nam ad me primum Varisidius: idque sibi a te mandatum esse dicebat. Paullo post idem mihi Munatius eas literas legendas dedit, quas ipsi miseras, et

---

ro nunc de praesenti laetitia loquitur, nec intelligo cur illam iurandi formulam h. l. ineptam Ernestius iudicaverit; quae mihi potius et aptissima et suavissima videtur.

gratiores] Haec lectio quam Bengelius quoque praetulit, accuratius perpetuitatem orationis intelligenti, et similem locum ep. 821. conferenti facile probabitur. Vulg. *gratiores*.

nec quo progredi] i. e. quo exercitum ducturus esses, ut recte Manutius. Alii *quoad progredi*.

T. Munatius] de quo in extrema epistola. Hic Planci cognatus potius, quam frater fuit. Nam ille alter T. Munatius, quem Pedianus ait huius L. Planci fratrem fuisse, in castris Antonii fuit, ut diximus ep. 6. (h. ed. 799.) *Manut.*

eas, quas publice. Placuit nobis, ut statim ad Cornutum praetorem urbanum literas deferremus; qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum. Senatus est continuo convocatus, frequensque convenit propter famam atque exspectationem tuarum literarum. Recitatis literis, oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse. Idque a nostro collegio comprobatum est. Itaque res dilata est in posterum. Eo autem die magna mihi pro tua dignitate contentio cum Servilio: qui quum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronuntiaretur, frequens eum senatus reliquit, et in alia omnia discessit, meaeque sententiae, quae secunda pronuntiata erat, quum frequenter assentiretur senatus, rogatu Servilii P. Titius intercessit. Res in posterum dilata. Venit paratus Servilius, Jovi ipsi iniquus; cuius in templo res agebatur. Hunc quemadmodum fregerim, quantaque contentione Titium intercessorem abiecerim; ex aliorum te literis malo cognoscere. Unum hoc ex meis: senatus gravior, constantior, amicior tuis laudibus esse non potuit, quam tum fuit. Nec vero tibi senatus amicior, quam cuncta civitas. Mirabiliter enim populus Romanus universus, et omnium generum ordinumque consensus ad liberandam rem publicam con-

---

Cornutum praetorem urbanum] Eius prima dignitas erat absentibus consulibus. Phil. VII. *Ob res bene fortiter feliciterque gestas C. Pansa A. Hirtius consules imperatores, alter ambove, aut si abierint M. Cornutus, praetor urbanus, supplicationes per dies quinque ad omnia pulvinaria constituat.* — *Man.*

nostro collegio] augurum. *Manut.*

Servilio] P. Servilio Isaurici filio, qui cum Caesare consulatum gesserat. *Manut.*

P. Titius] tribunus plebis. Vid. Dionem Cass. lib. XLVI. *Manut.*

cuius in templo] Capitolino.

ſpiravit. Perge igitur, ut agis, nomenque tuum commenda immortalitati: atque haec omnia, quae habent speciem gloriae, collectam inanibus ſplendoris inſignibus, contemne; brevia, fugacia, caduca exiſtima. Verum decus in virtute poſitum eſt, quae maxime illuſtratur magnis in rem publicam meritis. Eam facultatem habes maximam, quam quando complexus es, tene, perfice, ut ne minus res publica tibi, quam tu rei publicae debeas. Me tuae dignitatis non modo fautorem, ſed etiam amplificatorem cognoſces. Id quum rei publicae, quae mihi vita eſt mea carior, tum noſtrae neceſſitudini debere me iudico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem, quod bene cognitam mihi T. Munatii prudentiam et fidem magis etiam perſpexi in eius incredibili erga te benivolentia et diligentia. III Idus Apriles.

EPISTOLA DCCCVI. (ad Div. XII. 28.)

Scr. Romae menſe Aprili A. U. C. 710.

Quod Cornificius in eos, qui Lilybaeo minati fuerant, non animadverterit, leviter reprehendit; laudat eius in rem publ. ſtudium; addit de pecunia et re publica.

M. T. CICERO S. P. D. Q. CORNIFICIO.

Aſſentior tibi, eos, quos ſcribis Lilybaeo minari, iſtic poenas dare debuiſſe: ſed metuiſti, ut ais, ne nimis liber in ulciſcendo viderere. Metuiſti igitur, ne gravis civis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus viderere. Quod ſocietatem rei publicae conſervandae tibi mecum a patre acceptam renovas, gratum eſt:

---

collectam] Hanc lectionem bene defendit Manutius. Alteram tamen *collecta* nuper reſtituit Benedictus.

quae societas inter nos semper, mi Cornifici, manebit. Gratum etiam illud, quod mihi tuo nomine gratias agendas non putas. Nec enim id inter nos facere debemus. Senatus saepius pro dignitate tua appellaretur, si, absentibus consulibus, umquam, nisi ad rem novam cogeretur. Itaque nec de H-S xx, nec de H-S ıↄcc, quidquam agi nunc per senatum potest. Tibi autem ex senatus consulto imperandum, mutuumque sumendum censeo. In re publica quid agatur, credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. Ego sum spe bona; consilio, cura, labore non desum; omnibus inimicis rei publicae esse me acerrimum hostem prae me fero. Res neque nunc difficili loco mihi videtur esse; et fuisset facillimo, si culpa a quibusdam abfuisset.

EPISTOLA DCCCVII. (ad Div. XII. 29.)

Scr. Romae mense Aprili aut Maio A. U. C. 710.

Lamiae negotia commendat.

M. T. CICERO S. P. D. Q. CORNIFICIO.

Non modo tibi, cui omnia nostra notissima sunt, sed neminem in populo Romano arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quae mihi cum L. Lamia est.

Epist. DCCCVI. *appellaretur*] Libri scr. et edd. pr. variant. Meus habet *appellaret*, ut et ed. Rom. 1471. alii *appellaretur*, ut ed. Med. cuius lectio servata est ad Victorium, qui tamen de altera monuit, et eam in notis posterioribus praetulit. Graevius edidit ille quidem *appellaretur*, sed tamen probabat *appellaret*, putabatque intelligi *Consules*. Enimvero consules aberant, nec a senatu appellari poterant; et mox est etiam *cogeretur*. Itaque *appellaretur* edidi. *Appellatur senatus*, quum sententiam dicentes de aliqua re, egrediuntur relationem, senatumque, quid decernendum sit, monent. *Ernesti.*

Etenim magno theatro spectata est tum, quum est ab A. Gabinio consule relegatus, quod libere et fortiter salutem meam defendisset. Nec ex eo amor inter nos natus est: sed quod erat vetus et magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitavit. Ad haec officia, vel merita potius, iucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. Non puto te iam exspectare, quibus eum tibi verbis commendem. Caussas enim tanti amoris intelligis: quae verba desideret, iis me omnibus usum putato. Tantum velim existimes, si negotia Lamiae, procuratores, libertos, familiam, quibuscumque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quam si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. Nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamiae caussa studiose omnia facturus sis: quamquam erat nobis dictum, te existimare, alicui senatus consulto, quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse; qui omnino consulibus illis numquam fuit ad scribendum: deinde omnia tum falsa senatus consulta deferebantur. Nisi forte etiam illi Semproniano senatus consulto me censes affuisse: qui ne Romae quidem tum fui, deque eo ad te scripsi, re recenti. Sed haec hactenus. Te, mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, ut omnia Lamiae negotia mea putes esse: curesque, ut intelligat, hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura, ut valeas.

Epist. DCCCVII. *relegatus*] cf. XII. 16. (h. ed. 786.)

deferebantur] Antonio, ut opinor, et Dolabella coss. Vid. ep. 1. (h. ed. 711.) *Manut.*

Semproniano] Sempronii caussa facto ep. 25. (h. ed. 811.)

EPISTOLA DCCCVIII. (ad Div. XII. 6.)

Scr. Romae mense Aprili A. U. C. 710.

C. Titium Strabonem laudat; in Cassio et M. Bruto si res ad Mutinam male geratur spem omnem rei publ. sitam esse dicit.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Qui status rerum fuerit, tum, quum has literas dedi, scire poteris ex C. Titio Strabone, viro bono et optime de re publica sentiente: nam quid dicam, cupidissimo tui, qui, domo et fortunis relictis, ad te potissimum profectus sit? Itaque eum tibi ne commendo quidem. Adventus ipsius ad te satis eum commendabit. Tu velim sic existimes tibique persuadeas, omne perfugium bonorum in te et Bruto esse positum, si, quod nolim, adversi quid evenerit. Res, quum haec scribebam, erat in extremum adducta discrimen. Brutus enim Mutinae vix iam sustinebat. Qui si conservatus erit, vicimus: sin, — (quod dii omen avertant!) — omnis omnium cursus erit ad vos. Proinde fac animum tantum habeas, tantumque apparatum, quanto opus est ad universam rem publicam reciperandam. Vale.

EPISTOLA DCCCIX. (ad Div. X. 30.)

Scr. XVI. Kal. Maii in castris ap. Mutinam A. U. C. 710.

Galba proelium exponit ad Mutinam factum, victoriamque de Antonio relatam.

GALBA CICERONI SAL.

XVII Kalend. Maii, quo die Pansa in castris Hir-

Epist. DCCCVIII. *Titio*] Correxi vulg. *Tidio*, auctore Manutio. Nam etiam XIII. 14. (h. ed. 484) *Titius Strabo* nominatur ac fortasse ille idem est, etsi ibi *Lucius* praenomine scribitur.

Epist. DCCCIX. GALBA] est Ser. Sulpicius Galba, ne-

tii erat futurus, cum quo ego eram, (nam ei obviam processeram millia passuum centum, quo maturius veniret) Antonius legiones eduxit duas, secundam, et quintamtrigesimam, et cohortes praetorias duas, unam suam, alteram Silani, et evocatorum partem. Ita obviam venit nobis, quod nos quatuor legiones tironum habere solum arbitrabatur. Sed noctu, quo tutius venire in castra possemus, legionem Martiam, cui ego praeesse solebam, et duas cohortes praetorias miserat Hirtius nobis. Quum equites Antonii apparuissent, contineri neque legio Martia, neque cohortes praetoriae potuerunt: quas sequi coepimus coacti, quando eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum suas copias continebat, neque sciri volebat, se legiones habere; tantum equitatum, et levem armaturam ostendebat. Posteaquam vidit, se invito, legionem ire Pansa, sequi se duas legiones iussit tironum. Postea quam angustias paludis, et silvarum transivimus, acies est instructa a nobis duodecim cohortium. Nondum venerant legiones duae; repente Antonius in aciem suas copias de vico produxit, et sine mora concurrit. Primo ita pugnatum est, ut acrius non posset ex utraque parte pugnari; etsi dexterius cornu, in quo eram cum Martiae legionis co-

---

pos Galbae, hominis eloquentissimi, proavus Galbae imperatoris f. Caesaris.

cohortes praetorias] cohors praetoria erat electa manus militum et familiarium ducis, qui circa eum pugnabant. Hi non numerabantur in legione, nec in hastatos, aut principes, aut triarios dividebantur; nec legatum suum, ut legiones, sed praefectum, ut opinor, habebant. Nam VI. 3. praefectus evocatorum Antonius appellatur. Evocatos autem, qui milites erant veterani, partem fuisse arbitror cohortis praetoriae. *Manut.*

duas cohortes praetorias] suam et Caesaris Octaviani.

ad Forum Gallorum] inter Mutinam et Bononiam.

hortibus octo, impetu primo fugaverat legionem XXXV Antonii, ut amplius passus quingentos ultra aciem, quo loco steterat, processerit. Itaque quum equites nostrum cornu circuire vellent, recipere me coepi, et levem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne aversos nostros aggrederentur. Interim video me esse inter Antonianos, Antoniumque post me esse aliquanto. Repente equum immisi ad eam legionem tironum, quae veniebat ex castris, scuto reiecto. Antoniani me insequi; nostri pila coniicere velle. Ita nescio quo fato sum servatus, quod sum cito a nostris cognitus. In ipsa Aemilia, ubi cohors Caesaris praetoria erat, diu pugnatum est. Cornu sinisterius, quod erat infirmius, ubi Martiae legionis duae cohortes erant, et cohors praetoria, pedem referre coeperunt, quod ab equitatu circuibantur, quo vel plurimum valet Antonius. Quum omnes se recepissent nostri ordines, recipere me novissimus coepi ad castra. Antonius, tamquam victor, castra putavit se posse capere. Quo quum venit, complures ibi amisit, nec egit quidquam. Audita re, Hirtius cum cohortibus viginti veteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiásque eius omnes delevit, fugavit, eodemque loco, ubi erat pugnatum, ad Forum Gallorum, Antonius cum equitibus, hora noctis quarta, se in castra sua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea castra rediit, unde Pansa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quae ab Antonio erant oppugnatae. Sic partem maiorem suarum copiarum Antonius amisit veteranarum. Nec id tamen sine aliqua iactura cohortium praetorianarum nostrarum, et

---

quingentos] Numerus passuum desideratur in multis codd. *quingentos* in duobus MSS. invenit Manutius.

scuto reiecto] in humerum, ut ita pectore non munito intelligerent tirones me amicum et suarum partium esse, et ab illis nihil mali metuere. *Gronov.*

legionis Martiae fieri potuit. Aquilae duae, signa sexaginta sunt relata Antonii. Res bene gesta est. A. d. xvi Kalendas Maii, ex castris.

EPISTOLA DCCCX. (ad Div. X. 9.)

Scr. in Gallia Narbonensi exeunte Aprili A. U. C. 710.

Suum studium erga rem publicam profitetur; dignitatem suam commendat; quid egerit et acturus sit exponit.

PLANCUS CICERONI, S.

Nihil me tibi temere, aut te ceteris de me frustra recepisse laetor. Certe hoc maius habes testimonium amoris mei, quo maturius tibi, quam ceteris, consilia mea volui esse nota. In dies vero meritorum meorum fieri accessiones, praevidere te spero: cogniturum magis recipio. Quod ad me attinet, mi Cicero, (ita ab imminentibus malis res publica me adiuvante liberetur) sic honores, praemiaque vestra suspicio, conferenda certe cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio perseverantiaque sim remissurus. Nisi in multitudine optimorum civium impetus animi mei fuerit singularis, et opera praecipua: nihil ad meam dignitatem accedere volo suffragatione vestra. Concupisco autem nihil mihi, contra quod ipse pugno, et temporis, et rei te moderatorem facile patior esse. Nihil aut sero, aut exigue a patria civi tributum potest videri. Exercitum a. d. sextum Kal. Maias Rhodanum

---

a. d. xvi.] Ita correxit Manutius vulg. XII. Kal. ut postridie quam res gesta est Galba scripserit; si enim quatriduo post proelium scripsisset, utique aliquid de Pansae vulneribus ipsoque Bononiam translato cognovisset et Ciceroni significasset.

Epist. DCCCX. *contra quod ipse pugno*] Ego procul absum ab ambitione, quam ipse in aliis reprehendere soleo.

traieci, magnis itineribus. Vienna equites mille via breviore praemisi. Ipse, si ab Lepido non impediar, celeritate satisfaciam. Si autem itineri meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. Copias adduco et numero, et genere, et fidelitate firmissimas. Te, ut diligas me, si mutuo te facturum scis, rogo. Vale.

EPISTOLA DCCCXI. (ad Div. XI. 9.)

Scr. III. Kal. Maii in castris Rhegii A. U. C. 710.

Rogat, ut prospiciat, ne coss. amissis hostes rei publ. invalescant, et quid agendum videatur, monet.

D. BRUTUS M. T. CICERO S. P. D.

Pansa amisso, quantum detrimenti resp. acceperit, non te praeterit. Nunc auctoritate et prudentia tua prospicias oportet, ne inimici nostri, coss. sublatis, sperent se convalescere posse. Ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operam. Sequar eum confestim. Utrumque me praestaturum spero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur. In primis rogo te, ad hominem ventosissimum, Lepidum, mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, Antonio sibi coniuncto. Nam de Pollione Asinio puto te prospicere, quid sit facturus. Multae et bonae, et firmae sunt legiones Lepidi, et Asinii. Neque haec idcirco tibi scribo, quod te non eadem animadvertere sciam, sed quod mihi persuasissimum est, Lepidum recte facturum nunquam, si forte vobis de hoc dubium est. Plancum quoque confirmetis oro; quem

---

Epist. DCCCXI. *Ventidius*] qui ex Piceno tres legiones ad Antonium ducebat.

elabatur] Elapsus tamen est, itinere facto difficillimo lib. X. ep. 10. 17. 33. 34. (h. ed. 804. 820. 853. 825.) *Manut.*

spero, pulso Antonio, rei publ. non defuturum. Si se Alpeis Antonius traiecerit, constitui praesidium in Alpibus collocare, et te de omni re facere certiorem. Quarto Kalendas Maias, ex castris Rhegii. Vale.

EPISTOLA DCCCXII. (ad Div. XII. 25.)

Scr. Romae exeunte Aprili A. U. C. 710.

De Cornificio SC. honorificum factum esse nuntiat; ut in rempubl. incumbat hortatur; Lucceio se nulla in re defuturum pollicetur.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

Liberalibus literas accepi tuas, quas mihi Cornificius altero vicesimo die, ut dicebat, reddidit. Eo die non fuit senatus, neque postero. Quinquatribus frequenti senatu causam tuam egi non invita Minerva. Etenim eo ipso die senatus decrevit, ut Minerva nostra, custos urbis, quam turbo deiecerat, restitueretur. Pansa tuas literas recitavit. Magna senatus approbatio consecuta est cum summo odio et offensione Minotauri, id est, Calvisii et Tauri. Factum de te

---

Epist. DCCCXII. *Liberalibus*] XVI Kal. Apr.

Quinquatribus] XIV Kal. Apr. Illo nimirum tempore Quinquatria uno tantum die non per quinque dies, ut postea celebrabantur. cf. Pontederae antiquitates p. 406.

non invita Minerva] iocatur, quia Quinquatrus festum erat Minervae sacrum.

Minerva nostra] Minervae signum olim a Cicerone, quum in exsilium iret, in Capitolio consecratum.

cum summo odio] Vulg. est *cum summo gaudio et offensione*. Quae sic deinceps posita secum pugnant, nisi post *gaudio* inseras *bonorum*. Sed nullus dubito, quin Cicero scripserit *odio et offensione*, quae verba saepius coniunguntur. Sic *irruere in odium offensionemque populi*. Verr. Act. I. 12.

id est Calvisii et Tauri] Hoc delendum putabat Manutius, ut glossema. Audirem, si constaret iam an-

ſenatus conſultum honorificum. Poſtulabatur autem, ut etiam illi notarentur: ſed Panſa clementior. Ego, mi Cornifici, quo die primum in ſpem libertatis ingreſſus ſum, et cunctantibus ceteris a. d. XIII. Kal. Ian. fundamenta ieci rei publicae, eo ipſo die providi multum, atque habui rationem dignitatis tuae. Mihi enim eſt aſſenſus ſenatus de obtinendis provinciis. Nec vero poſtea deſtiti labefactare eum, qui ſumma cum tua iniuria, contumeliaque rei publicae provinciam abſens obtinebat. Itaque crebras, vel potius quotidianas compellationes meas non tulit, ſeque in urbem recepit invitus: neque ſolum ſpe, ſed certa re iam, et poſſeſſione deturbatus eſt. Meo iuſtiſſimo, honeſtiſſimoque convicio te tuam dignitatem ſumma tua virtute tenuiſſe, provinciaeque honoribus ampliſſimis affectum, vehementer gaudeo.

Quod te mihi de Sempronio purgas, accipio excuſationem. Fuit enim illud quoddam caecum tempus ſervitutis. Ego tuorum conſiliorum auctor, dignitatisque fautor, iratus temporibus, in Graeciam, deſperata libertate, rapiebar: quum me Eteſiae, quaſi boni cives, relinquentem rem publicam proſequi no- 2

---

tea in literis ad Cornificium Calviſium et Taurum a Cicerone Minotauri nomine appellatos fuiſſe. Ut nunc eſt explicationem ab ipſo Cicerone adiectam ſtatuas neceſſe eſt. Aliter Cornificius, quis eſſet Minotaurus, haud intellexiſſet.

labefactare eum] Calviſium.

abſens obtinebat] per legatos, quum ipſe ad urbem eſſet cum imperio, revertit autem in urbem depoſito imperio. Vid. ep. 30. (h. ed. ep. 822.) *Manut.*

compellationes] i. e. reprehenſiones, ſ. ut poſtea appellat, convicia.

2. *quod te mihi*] Hic videtur alius eſſe epiſtolae initium ante illam §. 1. *Liberalibus — gaudeo* ſcriptae. Et quidem videtur exeunte menſe Februario ſcripta.

de Sempronio purgas] refertur hoc ad id, quod Cicero ſcripſerat epiſt. 779. extr.

luerunt; austerque adversus maximo flatu me ad tribules tuos Rhegium retulit: atque inde ventis, remis in patriam omni festinatione properavi, postridie in summa reliquorum servitute liber unus fui. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret, omnemque suum vinolentum furorem in me unum effunderet: meque tum elicere vellet ad caedis causam, tum tentaret insidiis: quem ego ructantem et nauseantem conieci in Caesaris Octaviani plagas. Puer enim egregius praesidium sibi primum, et nobis; deinde summae rei publicae comparavit: qui nisi fuisset, Antonii reditus a Brundisio, pestis patriae fuisset. Quae deinceps acta sint, scire te arbitror. Sed redeamus ad illud, unde divertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio. Neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. Nunc hic dies aliam vitam defert, alios mores postulat, ut ait Terentius. Quamobrem, mi Quinte, conscende nobiscum, et quidem ad puppim. Una navis est iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, ut rectam teneamus. Utinam prospero cursu! Sed quicumque venti erunt, ars nostra certe non aberit. Quid enim praestare aliud virtus potest? Tu fac magno animo sis, et excelso: cogitesque, omnem dignitatem tuam cum re publica coniunctam esse debere.

3 P. Lucceium mihi meum commendas: quem, quibuscumque rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem, et Pansam, collegas nostros, homines in

---

tum elicere] Vulgo *cum elicere*.

3. *P. Lucceium*] Hic quoque alia epistola incipere videtur, paulo post illam, § 1. scripta, quum nuntius de Hirtii et Pansae morte allatus esset. Et sic iam Manutio visum; nuper etiam idoneis argumentis confirmavit Benedictus.

collegas nostros] in auguratu.

consulatu rei publicae salutares, alieno sane tempore amisimus, re publica Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata: quam nos, si licebit, more nostro tuebimur, quamquam admodum sumus iam defatigati. Sed nulla lassitudo impedire officium et fidem debet. Verum haec hactenus. Ab aliis te de me, quam a me ipso, malo cognoscere. De te audiebamus ea, quae maxime vellemus. De Gn. Minucio, quem tu quibusdam literis ad caelum laudibus extulisti, rumores duriores erant. Id quale sit, omninoque, quid istic agatur, facias me velim certiorem.

EPISTOLA DCCCXIII. (ad Div. XI. 10.)

Dat. III. Non. Maii ex castris Dertonae A. U. C. 710.

Queritur de nonnullorum malivolentia, et rei publ. periculum exponit.

D. BRUTUS S. D. M. CICERONI.

Non mihi rem publicam plus debere arbitror, quam me tibi. Gratiorem me esse in te posse, quam isti perversi sint in me, exploratum habes; si tamen hoc temporis videatur dici causa, malle me tuum iudicium, quam ex altera parte omnium istorum. Tu enim a certo sensu et vero iudicas de nobis; quod isti ne faciant, summa malivolentia et livore impediuntur. Interpellent me, quo minus honoratus sim, dum ne interpellent, quo minus res publica a me commode administrari possit. Quae quanto sit in periculo, quam potero brevissime exponam. Primum omnium, quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus consulum, quantamque cupiditatem hominibus iniiciat

---

Gn. Minucio] vel Cornificii legato, vel finitimam ei regionem administrante. *Manut.*

vacuitas, non te fugit. Satis me multa scripsisse, quae literis commendari possint, arbitror. Scio enim, cui scribam. Revertor nunc ad Antonium: qui ex fuga cum parvulam manum peditum haberet inermium, ergastula solvendo, omneque genus hominum arripiendo, satis magnum numerum videtur effecisse. Huc accessit manus Ventidii, quae trans Apenninum itinere facto difficillimo ad Vada pervenit, atque ibi se cum Antonio coniunxit. Est numerus veteranorum, et armatorum satis frequens cum Ventidio. Consilia Antonii haec sint, necesse est: aut ad Lepidum ut se conferat, si recipitur; aut Apennino, Alpibusque se teneat, et decursionibus per equites, quos habet multos, vastet ea loca, in quae incurrerit: aut rursus se in Etruriam referat, quod ea pars Italiae sine exercitu est. Quod si me Caesar audisset, atque Apenninum transisset: in tantas angustias Antonium compulissem, ut inopia potius, quam ferro conficeretur. Sed neque Caesari imperari potest, nec Caesar exercitui suo. Quod utrumque pessimum est. Quum haec talia sint: quo minus, quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut supra scripsi, non impedio. Haec quemadmodum explicari possint, aut, a te quum explicabuntur, ne impediantur, timeo. Alere iam milites non possum. Quum ad rem publicam liberandam accessi, H. S. mihi fuit quadringenties amplius. Tantum abest, ut meae rei familiaris liberum sit quidquam, ut omnes iam meos amicos aere alieno obstrinxerim. Septem nunc numerum legionum alo: qua difficultate,

---

Epist. DCCCXIII. *vacuitas*] Graevius malebat e quibusdam Mss. *vacivitas*. Ernestio nec hoc placet, nec *vacuitas* satis, putatque a glossatore inferioris aetatis profectum.

septem nunc numerum legionum] Ita Mss. nonnulli: Vulgo *septenum numerum*

tu arbitrare. Non, si Varronis thesauros haberem, subsistere sumptui possem. Quum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis ita, si hoc idem me in te facere senseris. III. Non. Maii, ex castris, Dertona.

EPISTOLA DCCCXIV. (ad Div. X. 14.)

Scr. Romae III. Non. Maii A. U. C. 710.

Laudat Planci studium et celeritatem in auxiliis D. Bruto ferendis, hortaturque, ut belli reliquias exstinguat.

CICERO PLANCO, S.

O gratam famam biduo ante victoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis! Atque etiam hostibus fusis, spes omnis in te est. Fugisse enim ex proelio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. Est autem non minus gratum extrema delere, quam prima depellere. Equidem exspectabam iam tuas literas, idque cum multis. Sperabamque etiam, Lepidum temporibus admonitum, tecum rei publicae

---

nunc legionum. Graevius corrigebat *septem nunc numeros legionum*, ut *numeros* positum sit pro *cohortes*, quod minime admittendum.

Varronis thesauros] Certum est hic ditissimum quemdam hominem intelligi. Atqui M. Terentii Varronis divitiae non ita magnae fuerunt, ut in proverbium abire potuerint. Itaque Corradus intellexit: *si thesauros haberem, quales sunt, de quibus Varro in libro suo de divitiis scribit.* At eius libri non est certa auctoritas. Manutius de Antonii divitiis accepit, qui per contemptum *Varro* s. baro, h. e. homo nequam et dissolutus dicatur. Id vero nullo modo probari potest, cur enim non hic nominet ipsum Antonium, cuius nomen deinceps editur? Itaque *Varronis* librariorum errori deberi videtur.

Epist. DCCCXIV. *Lepidum temporibus*] Vulgo est L. *rei publicae temporibus*. Sed nihil opus est ad sensum hic poni *rei publicae*, quod, quum statim suo lo-

ſatis eſſe facturum. In illam igitur curam incumbe, mi Plance, ut ne qua ſcintilla teterrimi belli relinquatur. Quod ſi erit factum: et rem publicam divino beneficio affeceris, et ipſe aeternam gloriam conſequere. D. III Non. Mai.

EPISTOLA DCCCXV. (ad Div. XI. 11.)

Dat. prid. Non. Maii ex caſtris, finibus Statiellenſium A. U. C. 710.

Iter Antonii ad Lepidum et ſuum in rem publ. ſtudium ſignificat.

D. BRUTUS IMP. COS. DES. S. D. M. CICERONI.

Eodem exemplo a te mi literae redditae ſunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere exiſtimo, quantum perſolvere difficile eſt. Scripſi tibi, quae hic gererentur. In itinere eſt Antonius; ad Lepidum proficiſcitur; ne de Planco quidem ſpem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animadverti, qui in me inciderunt. In quibus quos ad Aſinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, ſcribebat. Ego tamen non habui ambiguum, et ſtatim ad Plancum miſi: et biduo ab Allobrogibus, et totius Galliae legatos exſpecto, quos confirmatos domum remittam. Tu, quae iſtic opus erunt adminiſtrari, proſpicies, ut ex tua voluntate, reique publicae commodo fiant. Malivolentiae hominum in me, ſi poteris, occurres. Si non potueris, hoc te conſolabere, quod me de ſtatu meo nullis contumeliis deterrere poſſunt. Pridie Nonas Maii, ex caſtris, finibus Statiellenſium.

---

co occurrat, auctore Erneſtio delevi.

Epiſt. DCCCXV. *ex libellis*] Videntur potius codicilli quidam, in quibus perſcripſerat Antonius nomina eorum, quos ad Aſinium, ad Plancum,

EPISTOLA DCCCXVI. (ad Div. XII. 12.)

Dat. ex castris in Asia Nonis Maii A. U. C. 710.

Res a se gestas exponit, suosque duces et milites commendat.

CASSIUS PROCOS. S. D. M. CICERONI SUO.

Si vales, bene est: ego quidem valeo. Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi. Videbaris enim non solum favere nobis, id quod et nostri et rei publicae causa semper fecisti; sed etiam gravem curam suscepisse, vehementerque esse de nobis sollicitus. Itaque, quod te primum existimare putabam, nos, oppressa re publica, quiescere non posse: deinde, quum suspicarere nos moliri, quod te sollicitum esse et de salute nostra, et de rerum eventu putabam: simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Aegypto, scripsi ad te, tabellariosque complures Romam misi. Scripsi etiam ad senatum literas, quas reddi vetui prius, quam tibi recitatae essent: si forte mei obtemperare mihi voluerint. Quod si literae perlatae non sunt, non dubito, quin Dolabella, qui, nefarie Trebonio occiso, Asiam occupavit, tabellarios meos deprehenderit, literasque interceperit. Exercitus omnes, qui in Syria fuere, teneo. Habeo paullulum morae, dum promissa militibus per-

---

et ad Lepidum misisset, quam literae s. epistolae intelligi.

Epist. DCCCXVI. *si forte — voluerint*] Nempe Cassii familia non satis favebat Ciceroni propter coniunctionem cum Antonio et Lepido. *Ernesti.*

occiso] Trebonium qui Asiae praeerat, Smyrnae occidit Dolabella; et quaestione primum tormentis habita pecuniae publicae, deinde cervicibus fractis, abscisso capite, quod affixum gestari in pilo, reliquum corpus trahi, atque laceratum in mare abiici iussit. Phil. XI. 2. sqq. Appian. lib. III. c. 26. Dio lib. XLVII.

ſolvo. Nunc iam ſum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam commendatam tibi habeas, ſi me intelligis, nullum neque periculum, neque laborem patriae denegaſſe: ſi contra importuniſſimos latrones arma cepi te hortante, et auctore: ſi non ſolum exercitus ad rem publicam libertatemque defendendam comparavi, ſed etiam crudeliſſimis tyrannis eripui. Quos ſi occupaſſet Dolabella, non ſolum adventu, ſed etiam opinione, et exſpectatione exercitus ſui Antonium confirmaſſet. Quas ob res milites tuere, ſi eos mirifice de re publica meritos eſſe animadvertis: et effice, ne quem poeniteat, rem publicam, quam ſpem praedae et rapinarum, ſequi maluiſſe. Item Murci et Criſpi, imperatorum, dignitatem, quantum eſt in te, tuere. Nam Baſſus miſere noluit mihi legionem tradere. Quod niſi milites invito eo legatos ad me miſiſſent, clauſam Apameam tenuiſſet, quoad vi eſſet expugnata. Haec a te peto, non ſolum rei publicae, quae tibi ſemper fuit cariſſima, ſed etiam amicitiae noſtrae nomine, quam confido apud te plurimum poſſe. Crede mihi, hunc exercitum, quem habeo, ſenatus atque optimi cuiusque eſſe, maximeque tuum; de cuius voluntate aſſidue audiendo, mirifice te diligit, carumque habet. Qui ſi intellexerit, commoda ſua curae tibi eſſe; debere etiam ſe tibi omnia putabit. Literis ſcriptis audii, Dolabellam in Ciliciam veniſſe cum ſuis copiis. Proficiſcar in Ciliciam. Quid egerim, celeriter ut ſcias, dabo operam. Ac velim, ut meremur de re publica, ſic felices ſimus. Fac valeas, meque ames. Nonis Maii, ex caſtris.

---

crudeliſſimis tyrannis] Antonio et Dolabellae.

quos ſi occupaſſet] ſcil. exercitus.

EPISTOLA DCCCXVII. (ad Div. X. 11.)

Scr. in Allobrogibus menſe Maio A. U. C. 710.

Gratias agit Ciceroni pro collatis in ſe officiis, et de ſuo in rem publ. ſtudio omnia pollicetur.

PLANCUS CICERONI.

Immortales ago tibi gratias, agamque dum vivam. Nam relaturum me affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi reſpondere poſſe, niſi forte, ut tu graviſſime diſertiſſimeque ſcripſiſti, ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, quum memoria tenebo. Si de filii tui dignitate eſſet actum, amabilius certe nihil facere potuiſſes. Primae tuae ſententiae infinitis cum muneribus; poſteriores, ad tempus, arbitriumque amicorum meorum compoſitae; oratio de me aſſidua, et perpetua iurgia cum obtrectatoribus propter me notiſſima mihi ſunt. Non mediocris adhibenda mihi eſt cura, ut rei publicae me civem dignum tuis laudibus praeſtem; in amicitia tua memorem atque gratum. Quod reliquum eſt, tuum munus tuere: et me, ſi, quem eſſe voluiſti, eum exitu rebusque cognoſcis, defende ac ſuſcipe. Quum Rhodanum copias traieciſſem, fratremque cum tribus millibus equitum praemiſiſſem, ipſe iter ad Mutinam dirigerem: in itinere, de proelio facto, Brutoque et Mutina obſidione liberatis, audivi. Animadverti, nullum alium receptum Antonium, reliquiasque, quae cum eo eſſent, habere, niſi in his partibus: duasque ei ſpes eſſe propoſitas; unam Lepidi ipſius, alteram exerci-

---

Epiſt. DCCCXVII. *de me aſſidua et perpetua iurgia*] Vulgo erat: *oratio aſſidua et perpetua de me iurgia.* Verba *de me* recte transpoſuit Erneſti auctoritate MS. ſui. Oratio *de me* eſt de laudibus, alterum de defenſione Planci.

tus. Quod quaedam pars exercitus non minus furiosa est, quam qui cum Antonio fuerunt, equitatum revocavi. Ipse in Allobrogibus constiti, ut proinde ad omnia paratus essem, ac res moneret. Si nudus huc se Antonius conferet: facile mi videor per me sustinere posse, remque publicam ex vestra sententia administrare, quamvis ab exercitu Lepidi recipiatur. Si vero copiarum aliquid secum adducet: et, si decima legio veterana, quae nostra opera revocata cum reliquis est, ad eundem furorem redierit: tamen, ne quid detrimenti fiat, dabitur opera a me; idque me praestaturum spero, dum istinc copiae traiiciantur, coniunctaeque nobiscum facilius perditos opprimant. Hoc tibi spondeo, mi Cicero, neque animum, nec diligentiam mihi defuturam. Cupio mehercules nullam residuam sollicitudinem esse. Sed si fuerit, nec animo, nec benivolentiae, nec patientiae cuiusquam, pro vobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad huius rei societatem incitem: omniaque ei obsequia polliceor, si modo rem publicam respicere volet. Utor in hac re adiutoribus, interpretibusque, fratre meo, et Laterense, et Furnio nostro. Non me impedient privatae offensiones, quo minus pro rei publicae salute, etiam cum inimicissimo consentiam. Quod si nihil profecero, nihilominus maximo sum animo: et maiore fortasse cum mea gloria vobis satisfaciam. Fac valeas, meque mutuo diligas.

---

decima legio veterana] quae cum Caesare in Gallia non mediocri fortitudinis laude militaverat. c. 11. Haec erat in exercitu Lepidi. *Manut.*

Laterense] M. Iuventio Laterensi, Lepidi legato, ut ait Dio lib. XLVI. Vid. ep. 15. 21. 23. (h. ed. 818. 834. 847.) *Manut.*

EPISTOLA DCCCXVIII. (ad Div. X. 15.)

Scr. in Allobrogibus mense Maio A. U. C. 710.

Nuntiat quae ad opprimendum Antonium egerit, et acturus sit.

PLANCUS CICERONI.

His literis scriptis, quae postea accidissent, scire te, ad rem publicam putavi pertinere. Sedulitas mea, ut spero, et mihi, et rei publicae tulit fructum. Namque assiduis internuntiis cum Lepido egi, ut, omissa omni contentione, reconciliataque voluntate nostra, communi consilio rei publicae succurreret; se, liberos, urbemque pluris, quam unum perditum, abiectumque latronem putaret; obsequioque meo, si ita faceret, ad omnes res abuteretur. Profeci itaque per Laterensem internuntium. Fidem mihi dedit, se Antonium, si prohibere provincia sua non potuisset, bello persecuturum; me, ut venirem, copiasque coniungerem, rogavit; eoque magis, quod et Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur, et Lepidus ne mediocrem quidem equitatum habebat. Nam etiam ex paucitate eius, non multis ante diebus, decem, qui optimi fuerant, ad me transierunt. Quibus rebus ego cognitis cunctatus non sum; in cursu bonorum consiliorum Lepidum adiuvandum putavi. Adventus meus quid profecturus

---

Epist. DCCCXVIII. *His literis scriptis*] Ex his verbis intelligitur hanc epistolam appendicem fuisse superioris (817,) quam forte non eo die, quo scripta erat, statim tabellario tradere poterat Plancus; itaque aliquot diebus interiectis addidit ea quae hic sequuntur. Fieri etiam potest, ut alia epistola, cuius haec supplementum fuit, interciderit. Idem Strothius et Weiskius viderunt.

profeci itaque] Ernestius malebat *perfecique*.

Laterensem] Lepidi legatum.

esset, vidi: vel quod equitatu meo persequi, atque opprimere equitatum eius possem; vel quod exercitus Lepidi eam partem, quae corrupta est et ab re publica alienata, et corrigere, et coërcere praesentia mei exercitus possem. Itaque in Isara, flumine maximo, quod in finibus est Allobrogum, ponte uno die facto, exercitum a. d. quartum Idus Maii traduxi. Quum vero mihi nuntiatum esset, L. Antonium praemissum cum equitibus et cohortibus ad Forum Iulii venisse: fratrem cum equitum quatuor millibus, ut occurreret ei, misi a. d. v Idus Maii. Ipse maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis et reliquo equitatu subsequar. Si nos mediocris modo fortuna rei publicae adiuverit, et audaciae perditorum, et nostrae sollicitudinis hic finem reperiemus. Quod si latro, praecognito nostro adventu, rursus in Italiam se recipere coeperit, Bruti erit officium, occurrere ei: cui scio nec consilium, nec animum defuturum. Ego tamen, si id acciderit, fratrem cum equitatu mittam, qui sequatur, Italiam a vastatione defendat. Fac valeas, meque mutuo diligas.

EPISTOLA DCCCXIX. (ad Div. XI. 22.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

Commendat Appium Claudium, qui se cum Antonio coniunxerat, ut ex hostium numero eximatur.

M. T. CICERO D. BRUTO IMP. S. P. D.

Cum Appio Claudio, C. F. summa mihi necessitudo est, multis eius officiis, et meis mutuis constituta. Peto a te maiorem in modum, vel humanitatis tuae, vel mea causa, ut eum auctoritate tua, quae plurimum valet, conservatum velis. Volo, te, quum

---

Forum Iulii] in Gallia Narbonensi.

Epist. DCCCXIX. *conservatum velis*] ne hostis cum An-

fortissimus vir cognitus sis, etiam clementissimum existimari. Magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse salvum. Cuius quidem causa hoc melior debet esse, quod pietate adductus, propter patris restitutionem, se cum Antonio coniunxit. Quare etsi minus veram causam habebis, tamen vel probabilem aliquam poteris inducere. Nutus tuus potest hominem, summo loco natum, summo ingenio, summa virtute, officiosissimum praeterea et gratissimum, incolumem in civitate retinere. Quod ut facias, ita a te peto, ut maiore studio, magisve ex animo petere non possim.

EPISTOLA DCCCXX. (ad Div. X. 17.)

Scr. in Allobrogibus exeunte Maio A. U. C. 710.

Praesentem belli statum describit, cum excusatione fratris a se dimissi, et commendatione suae dignitatis.

PLANCUS CICERONI.

Antonius Id. Maii ad Forum Iulii cum primis copiis venit. Ventidius bidui spatio abest ab eo. Lepidus ad Forum Vocontium castra habet, qui locus a Foro Iulii quatuor et viginti millia passuum abest; ibique me exspectare constituit, quemadmodum ipse mihi scripsit. Quod si omnia mihi integra et ipse, et fortuna servarit: recipio vobis, celeriter me negotium ex

---

tonio iudicetur, quandoquidem eum secutus erat. *Man.*

propter patris restitutionem] Videtur pater eius C. Clodius P. Clodii frater quum exsularet, ab Antonio consule in patriam restitutus. *Manut.*

Epist. DCCCXX. *Antonius*] Ernestius Lucium intellexit; quum autem hic iam quarto die ante ad Forum Iulii venisset, verius est de Marco accipere, quod Strothius ad h. l. monuit.

Vocontium] Recte sic edidit Strothius pro vulg. *Voconii.*

sententia confecturum. Fratrem meum, assiduis laboribus concursationibusque confectum, graviter se habuisse, antea tibi scripsi: sed tamen quum primum posse ingredi coepit, non magis sibi, quam rei publicae se convaluisse existimans, ad omnia pericula princeps esse non recusabat. Sed ego eum non solum hortatus sum, verum etiam coëgi isto proficisci: quod et illa valetudine magis conficere se, quam me tueri posset in castris: et quod acerbissimo interitu consulum rem publicam nudatam tali cive praetore in urbanis officiis indigere existimabam. Quod si qui vestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuisse sciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tamen, quod ego desiderabam, fecit, ut Apellam ad me mitteret, quo obside fidei illius et societatis in re publica administranda uterer. Studium mihi suum L. Gellius, de tribus fratribus se Gaviano probavit: quo ego interprete novissime ad Lepidum sum usus. Amicum eum rei publicae cognosse videor: libenterque ei sum testimonio, et omnibus ero, qui bene merentur. Fac valeas, meque mutuo diligas, dignitatemque meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc singulari cum benivolentia fecisti.

---

isto] i. e. Romam.

tueri] Sic plurimi codd. melius quam in Dresd. 3. *iuvare*.

tali cive praetore] urbanus enim h. a. Gn. Plancus Lucii frater praetor erat.

fidei] Sic ut iam Stephano et Lambino visum h. l. melius scribitur, quam ut vulgo *fide* antiqua forma genitivi.

se Gaviano] Ita MSS. et edd. vett. Male postea *Segaviano* editum. Graevius et Ernestius auctoribus Manutio et Lambino pro eo receperunt *Sex. Gaviano*. Verba *de tribus fratribus*; sunt qui de tribus Antoniis intelligant. Res tamen est obscura, nec ipsa MSS. lectio *se Gaviano* sana esse videtur.

EPISTOLA DCCCXXI. (ad Div. X. 16.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

SCtum in Planci honorem factum esse narrat, et ut subitis rebus consilium senatus ne exspectet, auctor est.

CICERO PLANCO.

Nihil post hominum memoriam gloriosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere vidi, quam tuas, Plance, literas. Redditae sunt enim frequenti senatu Cornuto, quum is frigidas sane et inconstantes recitasset literas Lepidi. Sub eas statim recitatae sunt tuae, non sine magnis quidem clamoribus. Quum rebus enim ipsis essent et studiis beneficiisque in rem publicam gratissimae: tum erant gravissimis verbis et sententiis. Flagitare senatus institit Cornutum, ut referret statim de tuis literis. Ille se considerare velle. Quum ei magnum convicium fieret cuncto a senatu, quinque tribuni plebei retulerunt. Servilius rogatus rem distulit. Ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum. Ea quae fuerit, ex senatus consulto cognosces. Tu, quamquam consilio non eges, vel abundas potius, tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc reiicias: neve in rebus tam subitis, tamque angustis a senatu consilium petendum putes. Ipse tibi sis senatus. Quocumque te ratio rei publicae ducet, sequare. Cures ut ante factum aliquod a te egregium audiamus, quam futurum putarimus. Illud tibi promitto, quidquid a te erit factum,

---

Epist. DCCCXXI. *Cornuto*] praetori urbano cf. ep. 805.

inconstantes] Quod modo rei publ. partibus, modo Antonio favere videbatur. Pacem enim suadebat. ep. 27. 35. (h. ed. 800. 840.) *Manut.*

factum — a te egregium audiamus] Ernestius malebat *egregie*. Defendi tamen potest vulgatum si *a te* cum *audiamus* construatur.

id senatum non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum, comprobaturum.

EPISTOLA DCCCXXII. (ad Div. XII. 30.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 711.

Silentium literarum praeter litigantium commendationes, excusat, de renovato bello scribit, et de angustiis pecuniae publicae: breviter de aliis rebus.

M. T. CICERO S. P. D. CORNIFICIO.

Itane praeter litigatores nemo ad te meas literas? multae istae quidem. Tu enim perfecisti, ut nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret. Sed quis umquam tuorum mihi dixit esse, cui darem, quin dederim? aut quid mihi iucundius, quam, quum coram tecum loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? Illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur. Non enim te epistolis, sed voluminibus lacesserem; quibus quidem me a te provocari oportebat. Quamvis enim occupatus sis, otii tamen plus habes. Aut, si ne tu quidem vacas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, et a me literas crebriores, quum tu mihi raro mittas, flagitare. Nam quum antea distinebar maximis occupationibus, propterea quod omnibus curis rem publicam mihi tuendam putabam: tum hoc tempore multo distineor vehementius. Ut enim gravius aegrotant ii, qui, quum levati morbo viderentur, in eum de integro inciderunt: sic vehementius nos laboramus, qui, profligato bello ac paene sublato, renovatum bellum gerere conamur. Sed haec hactenus.

Epist. DCCCXXII. *renovatum bellum*] Manutius de Lepidi scelere intelligit, qui Antonium pugna Mutinensi

Tu tibi, mi Cornifici, fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut a te vinci possim aut officiis, aut amore. Non dubitabam equidem: verumtamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. O hominem, semper illum quidem mihi aptum, nunc vero etiam suavem! Vultus mehercule tuos mihi expressit omnes; non solum animum ac verba pertulit. Itaque noli vereri, ne tibi succensuerim, quod eodem exemplo ad me, quo ad ceteros. Requisivi equidem proprias ad me unum literas: sed neque vehementer, et amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere et fecisse dicis, nihil sane possum tibi opitulari, propterea quod et orbus senatus consulibus amissis, et incredibilis angustiae pecuniae publicae: quae conquiritur undique, ut optime meritis militibus promissa solvantur; quod quidem fieri sine tributo posse, non arbitror. De Attio Dionysio nihil puto esse; quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Lucceio nihil tibi concedo, quo studiosior eius sis, quam ego sum. Est enim nobis necessarius. Sed a magistris quum contenderem de proferendo die: probaverunt mihi, sese quo minus id facerent, et compromisso et iureiurando impediri. Quare veniendum arbitror Lucceio. Quamquam si meis literis obtemperavit, quum tu haec leges, illum Romae esse oportebit. Ceteris de rebus, maximeque de pecunia, quum Pansae mortem ignorares, scripsisti, quae per nos ab eo consequi te posse arbitrarere. Quae te non fefellissent, si viveret. Nam te diligebat.

---

fractum, inermem, fugientem recepit et auxilio exercitus sui confirmavit. ep. 8. 10. (h. ed. 849. 853;) Quod si verum esset, haec epistola collocanda esset post h. ed. 853. sed *renovatum bellum* potest significare Antonium post cladem apud Mutinam nondum debellatum esse.

Stratorius] Benedictus e Mss. *Tratorius* edidit h. l. et ep. 764

a magistris] auctionum.

Post mortem autem eius quid fieri posset, non videbamus. De Venuleio, Latino, Horatio, valde laudo. Illud non nimium probo, quod scribis, quo illi animo aequiore ferrent, te tuis etiam legatis lictores ademisse. Honore enim digni cum ignominia dignis non erant comparandi; eosque ex senatus consulto, si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo. Haec fere ad eas literas, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo, velim tibi persuadeas, non esse mihi meam dignitatem tua cariorem.

EPISTOLA DCCCXXIII. (ad Div. XI. 18.)

Scr. Romae XIII. Kal. Iun. A. U. C. 710.

Reprehendit Brutum, quod in mandatis ad senatum plus timoris ostendisset quam tempus postularet.

M. T. CICERO D. BRUTO, IMP. COS. DES. S. D.

Etsi ex mandatis, quae Galbae Volumnioque ad senatum dedisti, quid timendum suspicandumque putares, suspicabamur: tamen timidiora mandata videbantur, quam erat dignum tua populique Romani victoria. Senatus autem, mi Brute, fortis est, et habet fortes duces. Itaque moleste ferebat, se a te, quem omnium, quicumque fuissent, fortissimum iudicaret, timidum atque ignavum iudicari. Etenim quum te incluso spem maximam omnes habuissent in tua virtute, florente Antonio: quis erat, qui quidquam timeret, profligato illo, te liberato? Nec vero Lepi-

---

Venuleio, Latino, Horatio] Legatis C. Calvisii per quos Africam absens obtinebat ep 25. (h. ed. 812) *Manut.* Iis ademerat Cornificius lictores. *Ern.*

Epist. DCCCXXIII. *suspicandumque putares*] nempe ne Lepidus se cum Antonio coniungeret, quam Bruti suspicionem haud vanam fuisse mox eventus docuit.

victoria] Mutinensi.

dum timebamus. Quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut qui in maximo bello pacem velle se dixisset, is in optatissima pace bellum rei publicae indiceret? Nec dubito, quin tu plus provideas. Sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia deorum templa fecimus, renovatio timoris magnam molestiam afferebat. Quare velim equidem, id quod spero, ut plane abiectus et fractus sit Antonius: sin aliquid virium forte collegerit, sentiet, nec senatui consilium, nec populo Romano virtutem deesse, nec rei publicae, te vivo, imperatorem. XIII. Kal. Iun.

EPISTOLA DCCCXXIV. (ad Div. XI. 19.)

Scr. Vercellis XII. Kal. Iun. A. U. C. 710.

Rei publicae vicem timet; Vicetinos laudat.

D. BRUTUS M. T. CICERONI, S. P. D.

Ad senatum quas literas misi, velim prius perlegas, et, si qua tibi videbuntur, commutes. Necessario me scripsisse, ipse animadvertes. Nam quum putarem, quartam et Martiam legiones mecum futuras, ut Druso Paulloque placuerat, vobis assentientibus: minus de reliquis rebus laborandum existimavi. Nunc vero, quum sim cum tironibus egentissimis, valde et

---

tam furiosum arbitraretur] Atqui Lepidus paucis diebus post scriptam hanc epistolam IV. Kal. Iun. Antonium recepit.

gratulatione] supplicatione Bruto decreta.

Ep. DCCCXXIV. *Druso*] senatori Liviae gentis, patri fortasse Liviae Drusillae, quae Augusti uxor fuit. *Man.*

Paulloque] L. Aemilio Paullo, qui consul fuerat cum Marcello XV. 12. (h. ed. 218.) frater fuit M. Lepidi eoque mox triumviro perscriptus est. *Manut.*

de reliquis rebus] quas

meam et vestram vicem timeam, necesse est. Vicetini me et M. Brutum praecipue observant. His ne quam patiare iniuriam fieri in senatu vernarum causa, a te peto. Causam habent optimam, officium in rem publicam summam, genus hominum adversariorum seditiosum et incertissimum. XII. Kalend. Iun. Vercellis.

EPISTOLA DCCCXXV. (ad Div. X. 34.)

Scr. in castris ad pontem Argenteum XI. Kal. Iun. A. U. C. 710.

Narrat Antonio adveniente quid egerit, et agit gratias Ciceroni, quod iniquis de se rumoribus non crediderit.

M. LEPIDUS IMP. ITERUM, PONT. MAX. M. T. CICERONI S. P. D.

S. V. B. E. E. V. Quum audissem, Antonium cum suis copiis, praemisso L. Antonio cum parte equitatus, in provinciam meam venire: cum exercitu meo ab confluente Rhodano castra movi, ac contra eos venire institui. Itaque continuis itineribus ad Forum Vocontium veni, et ultra castra ad flumen Argenteum

---

quum peterem a senatu, non impetrabam. *Manut.*

Vicetini] incolae oppidi Vicentiae in regione Transpadana.

vernarum] Vernis comparat Vicetinorum adversarios, ut homines nequam abiectosque significet. *Manut.* Fortasse vernae sunt homines libertini aut servilis conditionis paullo ante in civitatem recepti, et in agros vicinos immissi, quibuscum fuerat Vicentinis aliquid controversiae.

incertissimum] Recepi lectionem, quam Graevius in duobus Mss. Hittorp. et Palat. invenit. Vulgo est *inertissimum*, quod ut Ernestius monuit, non convenit alteri *seditiosum*. Nam seditiosi homines non sunt inertes.

Ep. DCCCXXV. *ab confluente Rhodano*] ubi Rhodanus (Rhône) cum Durentia (hodie *Durance*) confluebat, ubi erat urbs *Avenio*.

ad flumen Argenteum] hodie *Argents*.

contra Antonianos feci. P. Ventidius suas legiones tres coniunxit cum eo, et ultra me castra posuit. Habebat antea legionem secundam, et ex reliquis legionibus magnam multitudinem, sed inermorum. Equitatum habet magnum. Nam omnis ex proelio integer decessit, ita ut sint amplius equitum xxx. Ad me complures milites et equites ab eo transierunt: et in dies singulos eius copiae minuuntur. Silanus et Culleo ab eo discesserunt. Nos etsi graviter ab his laesi eramus, quod contra nostram voluntatem ad Antonium ierant: tamen nostrae humanitatis et necessitudinis causa eorum salutis rationem habuimus. Nec tamen eorum opera utimur; neque in castris habemus, neque ulli negotio praefecimus. Quod ad bellum hoc attinet, nec senatui, nec rei publicae deerimus. Quae postea egerimus, faciam te certiorem. Etsi omni tempore summa studia officii mutuo inter nos certatim constiterunt, pro nostra inter nos familiaritate, et proinde diligenter ab utroque conservata sunt: tamen non dubito, in tanto et tam repentino rei publicae motu, quin nonnulla de me falsis rumoribus a meis obtrectatoribus me indigna ad te delata sint, quae tuum animum

---

amplius equitum xxx] Hanc siglam Manutius in aliquot codd. rej erit, quae significat *triginta millia*, qui numerus etiam in aliquot edd. sine certa auctoritate expressus legitur. Sed incredibile est, tantum equitatum habuisse Antonium. In multis codd. post *equitum* est lacuna. Si xxx verum est, forfasse accipiendum de xxx equitum centuriis. Tria enim millia equitum facile potuit Antonius habere.

ad me complures] Vulgo est *itaque ad me*. Sed particulae *itaque* nullus est hic locus.

Silanus] M. Silanus Tribunus mil. in exercitu Lepidi Dio lib. XLVI. *Man.*

Culeo] Antea praepositus Alpibus a Lepido. Appian. lib. III. *Manut.*

contra nostram voluntatem] immo ex ipsius voluntate. Occulte enim favebat Antonio; vid. Dionem lib. XLVI. *Manut.*

magno opere moverent pro tuo amore in rem publicam. Ea te moderate accepisse, neque temere credendum iudicasse, a meis procuratoribus certior sum factus: quae mihi, ut debent, gratissima sunt. Memini enim et illa superiora, quae abs tua voluntate profecta sunt, ad meam dignitatem augendam et ornandam: quae perpetuo animo meo fixa manebunt. Abs te, mi Cicero, magnopere peto, si meam vitam et studium diligentissime superioribus temporibus in re publica administranda, quae Lepido digna sunt, perspecta habes, ut paria, aut eo ampliora reliquo tempore exspectes: et proinde tua auctoritate me tuendum existimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. D. xi Kalendas Iunias, ex castris, ex Ponte Argenteo.

EPISTOLA DCCCXXVI. (ad Div. X. 25.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

Suadet, ut rei publ. operam navare pergat, neve ea omissa praeturam petiturus ad comitia festinet.

CICERO S. D. FURNIO.

Si interest, id quod homines arbitrantur, rei publicae te, ut instituisti atque fecisti, navare operam, rebusque maximis, quae ad exstinguendas reliquias belli pertinent, interesse: nihil videris melius, neque laudabilius, neque honestius facere posse, istamque operam tuam, navitatem, animum in rem publicam celeritati praeturae anteponendum censeo. Nolo enim te ignorare, quantam laudem consecutus sis: mihi

---

et illa superiora] quum ei statuam equestrem inauratam in Rostris ponendam censuerit Philipp. V. 14. *Manut.*

Epist. DCCCXXVI] *celeritati praeturae*] Furnius enim Romam ire cupiebat ad petendam praeturam,

crede, proximam Planco, idque ipsius Planci testimonio, praeterea fama scientiaque omnium. Quamobrem si quid operis tibi etiam nunc restat, id maximo opere censeo persequendum. Quid enim honestius, aut quid honesto anteponendum? Sin autem satisfactum rei publicae putas, celeriter ad comitia, quando mature futura sunt, veniendum censeo: dummodo ne quid haec ambitiosa festinatio imminuat eius gloriae, quam consecuti sumus. Multi clarissimi viri, quum rei publicae darent operam, annum petitionis suae non obierunt. Quod eo facilius nobis est, quod non est annus hic tibi destinatus, ut, si aedilis fuisses, post biennium tuus annus esset. Nunc nihil praetermittere videbere usitati et quasi legitimi temporis ad petendum. Video autem, Planco consule, etsi etiam sine eo rationes expeditas haberes, tamen splendidiorem petitionem tuam, si modo ista ex sententia confecta essent. Omnino plura me scribere, quum tuum tantum consilium judiciumque sit, arbitrabar non ita necesse: sed tamen sententiam meam tibi ignotam esse nolebam; cuius est haec summa, ut omnia te metiri dignitate malim, quam ambitione, maioremque fructum ponere in perpetuitate laudis, quam in celeritate praeturae. Haec eadem locutus sum domi meae, adhibito Q. fratre meo, et Caecina, et Calvisio, studiosissimis tui, quum Dardanus, libertus tuus interesset. Omnibus probari videbatur oratio mea. Sed tu optime iudicabis.

---

quum aedilis non fuisset. *Manut.*

Sin autem] Dr. 1. 2. Torq. Asc. 1. *Si autem.*

dummodo nequid — imminuat] Multi codd. *ne quid — aliquid imminuat.* Recte Ernestius post Manutium *aliquid* eiecit.

Planco consule] Anno sequenti.

EPISTOLA DCCCXXVII. (ad Div. X. 18.)

Scr. in castris paullo post XII. Kal. Iun. A. U. C. 710.

Narrat quibus caussis ad Lepidum proficiscatur.

PLANCUS CICERONI.

Quid in animo habuerim quum Laevus Nervaque discesserunt a me, et ex literis, quas ei dedi, et ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus consiliisque meis interfuerunt. Accidit mihi, quod homini pudenti et cupido satisfaciendi rei publicae bonisque omnibus accidere solet: ut consilium sequerer periculosum magis, dum me probarem, quam tutum, quod habere posset obtrectationem. Itaque post discessum legatorum, quum binis continuis literis et Lepidus me, ut venirem, rogaret, et Laterensis multo etiam magis, prope implorans, obtestaretur: non ullam rem aliam extimescens, quam eandem, quae mihi quoque facit timorem, varietatem, atque infidelitatem exercitus eius; non dubitandum putavi, quin succurrerem, meque communi periculo offerrem. Sciebam enim, etsi cautius illud erat consilium, exspectare me ad Isaram, dum Brutus traiiceret exercitum, et cum collega consentiente, exercitu concordi et bene de

---

Epist. DCCCXXII. *Laevus*] idem quem ep. 834. *Laevum Cispium* vocat.

legatorum] Laevi et Nervone.

Laterensis] Lepidi legatus.

dum Brutus traiiceret exercitum — obviam ire] Sic Lambinus edidit veterem cod. secutus. Probatum etiam Manutio. Antea legebatur: *sciebam enim, et cautius illud erat consilium, exspectare me ad Isaram dum Brutus traiiceret exercitum, et cum collega consentiente, sicut milites faciunt, hostibus obviam ire;* in quo ineptissimum est emblema *sicut milites faciunt*, nullo modo defendendum, etiamsi in omnibus codd. MSS. extaret. Illa autem *exercitu concordi et bene de rep. sentiente* non potuerunt a glossatore

rep. ſentiente obviam ire; tamen ſi quid Lepidus detrimenti cepiſſet, hoc omne aſſignatum iri aut pertinaciae meae, aut timori videbam, ſi aut hominem offenſum mihi, coniunctum cum re publica non ſublevaſſem, aut ipſe a certamine belli tam neceſſarii me removiſſem. Itaque potius periclitari volui, ſi poſſem mea praeſentia et Lepidum tueri, et exercitum facere meliorem, quam nimis cautus videri. Sollicitiorem certe hominem, non ſuis contractis, neminem puto fuiſſe. Nam, quae res nullam habebat dubitationem, ſi exercitus Lepidi abeſſet: ea nunc magnam affert ſollicitudinem, magnumque habet caſum. Mihi enim ſi contigiſſet, ut prior occurrerem Antonio, non me hercules horam conſtitiſſet: tantum ego et mihi confido, et ſic perculſas illius copias, Ventidiique Mulionis caſtra deſpicio. Sed non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt ulceris, quod prius nocere poteſt, quam ſciri curarique poſſit. Sed cer-

---

proficiſci, et bene opponuntur *varietati et infidelitati* exercitus Lepidani, cuius antea mentionem fecerat.

ſi quid Lepidus] Vulgo additur *bene ſentiens*, quod hic alienum eſt, et ex antecedentibus temere repetitum. Neque opus erat hic addi, quum deinde ſequatur *coniunctum cum re publica*.

non ſuis contractis] Haec mihi ſana non videntur. Senſus eſt *periculis non ſua culpa contractis*; ſed quid ſcripſerit Plancus ambiguum eſt. Neque enim ſatisfacit Lambini coniectura, *rationibus ſuis male contractis*; ſic enim ſe ipſe accuſaret Plancus, quod minime volebat. Graevius explicat *non ſuis contractis* ſic, ut ſit, *aliena culpa, ex iis, quae ipſe non contraxerit*, ad ſenſum bene; ſed vereor ut iſta verba hoc ſignificare poſſint.

Mulionis] qui victum comparandis mulis farreque in caſtra convehendo adoleſcens ſibi comparaverat. Vid. Plin. VII. 43. *Manut.*

ulceris] ex vera Puteani emendatione. Vulg. *vulneris*. Notatur autem animus Lepidi ſuſpectus.

te nisi uno loco metaremur, magnum periculum ipse Lepidus, magnum ea pars exercitus adiret, quae bene de re publica sentit. Magnam etiam perditi hostes accessionem sibi fecissent, si quas copias a Lepido abstraxissent. Quae si adventus meus represserit, agam gratias fortunae constantiaeque meae, quae ad hanc experientiam excitavit. Itaque a. d. XII kalend. Iun. ab Isara castra movi: pontem tamen, quem in Isara feceram, castellis duobus ad capita positis, reliqui: praesidiaque ibi firma posui, ut venienti Bruto, exercituique eius sine mora transitus esset paratus. Ipse, ut spero, diebus octo, quibus has literas dabam, cum Lepidi copiis me coniungam.

EPISTOLA DCCCXXVIII. (ad Div. X. 22.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

Agris dividundis Plancus praefici cupiebat, cui de ea re Cicero respondet.

CICERO PLANCO.

In te et in collega omnis spes est, diis approbantibus. Concordia vestra, quae senatui declarata literis vestris est, mirifice et senatus, et cuncta civitas delectata est. Quod ad me scripseras de re agraria: si consultus senatus esset, ut quisque honorificentissimam de te sententiam dixisset, qui eam secutus esset certe ego fuissem. Sed propter tarditatem sen-

---

metaremur] Sic Gronovius recte cum Rutilio. Vulg. *me tenerem.* Sensus est: nisi uno loco castra posita haberemus.

Epist. DCCCXXVIII. *et in collega*] D. Bruto.

de re agraria] de agris militibus rei publ. dividendis; quam sibi curam demandari, non modo Plancus, sed Brutus etiam, eius collega, cupiebat. lib. XI. 20. 21. (h. ed. 837. 845.) *Manut.*

qui — fuissem] sic opti-

tentiarum, moramque rerum, quum ea, quae consulebantur, ad exitum non pervenirent: commodissimum mihi, Plancoque fratri visum est, uti eo, quod ne nostro arbitratu componeretur, quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci literis cognovisse. Sed sive in senatusconsulto, sive in ceteris rebus desideras aliquid; sic tibi persuade, tantum esse apud omnes bonos tui caritatem, ut nullum genus amplissimae dignitatis excogitari possit, quod tibi non paratum sit. Literas tuas vehementer exspecto, et quidem tales, quales maxime opto. Vale.

EPISTOLA DCCCXXIX. (ad Div. X. 15.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

Laudat officium et diligentiam Bruti, hortaturque ut secum ipse certet.

M. T. CICERO D. BRUTO, IMP. COS. DES. S. P. D.

Etsi mihi tuae literae iucundissimae sunt: tamen iucundius fuit, quod in summa occupatione tua Planco collegae mandasti, ut te mihi per literas excusaret: quod fecit ille diligenter. Mihi autem nihil amabilius officio tuo et diligentia. Coniunctio tua cum collega, concordiaque vestra, quae literis communibus de-

---

me Graevius correxit vulg. *eam secutus essem, qui certe ego fuissem.*

uti eo] vel addendum *SCto*, vel intelligendum. *Manut.*

Epist. DCCCXXIX. *Planco collegae*] Iam se Plancus Bruto coniunxerat. Velleius lib. II. c. 63. *Plancus dubia, id est sua fide, diu, quarum esset partium, secum luctatus, ac sibi difficile consentiens et nunc adiutor D. Bruti collegae sui, mox eiusdem proditor.* Et Appian. de B. C. lib. III. c. 81. *Manut.*

clarata est, S. P. Q. R. gratissima accidit. Quod superest, perge, mi Brute, et iam non cum aliis, sed tecum ipse certa. Plura scribere non debeo, praesertim ad te, quo magistro brevitatis uti cogito. Literas tuas vehementer exspecto, et quidem tales, quales maxime opto.

EPISTOLA DCCCXXX. (ad Div. X. 13.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

De S. C. pro dignitate Planci facto scribit, eumque hortatur, ut Antonianum bellum conficiat.

CICERO PLANCO.

Ut primum potestas data est augendae dignitatis tuae, nihil praetermisi in te ornando, quod positum esset aut in praemio virtutis, aut in honore verborum. Id ex ipso senatus consulto poteris cognoscere. Ita enim est perscriptum, ut a me de scripto dicta sententia est: quam senatus frequens secutus est summo studio magnoque consensu. Ego quamquam ex tuis literis, quas mihi misisti, perspexeram, te magis iudicio bonorum, quam insignibus gloriae delectari; tamen considerandum existimavi, etiamsi tu nihil postulares, quantum tibi a re publica deberetur. Tu contexes extrema cum primis. Qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. Itaque Homerus non

---

magistro brevitatis] Brevitatem enim in literis amabat Decimus ep. 24. 25. (h. ed. 846. 852.)

Epist. DCCCXXX. *contexes extrema cum primis*] bellum a consulibus et Octavio magna iam ex parte profligatum ipso penitus oppresso Antonio conficies. *Manut.*

nec Achillem] Il. XXIV. 108. tamen etiam Achilles πτολίπορθος vocatur.

Aiacem, nec Achillem, sed Ulyssem appellavit πτολίπορθον.

EPISTOLA DCCCXXXI. (ad Div. X. 19.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

Gratiarum actionem sibi iucundam, literas senatui gratas fuisse significat, et ut reliquias belli conficiat hortatur.

CICERO PLANCO.

Quamquam gratiarum actionem a te non desiderabam, quum te re ipsa, atque animo scirem esse gratissimum: tamen, fatendum est enim, fuit ea mihi periucunda. Sic enim vidi, quasi ea, quae oculis cernuntur, me a te amari. Dices, quid antea? Semper equidem; sed numquam illustrius. Literae tuae mirabiliter gratae fuerunt senatui, quum rebus ipsis, quae erant gravissimae, et maximae, fortissimi animi, summique consilii: tum etiam gravitate sententiarum atque verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. In hoc erit summa et gratia, et gloria. Cupio omnia rei publicae causa: sed mehercules, in ea conservanda iam defatigatus, non multo plus patriae faveo, quam tuae gloriae: cuius maximam facultatem tibi dii immortales, ut spero, dedere; quam complectere, obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, is hoc bellum teterrimum periculosissimumque confecerit.

---

sed Ulyssem] hunc vocat *urbis vastatorem*, quia bello Troiano, astutia sua capto Ilio et incenso, finem fecit. *Manut.*

Epist. DCCCXXXI. *semper equidem*] int. *vidi*. Mox pro vulg. *sunt*, scribendum *fuerunt*; nam et sequitur *erant*. Res dubitationem non potest habere; itaque sic correxi. *Ernesti.*

EPISTOLA DCCCXXXII. (ad Div. XI. 12.)

Scr. Romae menſe Maio A. U. C. 710.

Queritur ab Antonio bellum renovatum; qui hominum opinione, ſi celeritas adhibita eſſet, opprimi potuiſſet.

M. CICERO S. D. BRUTO IMP. COS. DES.

Tres uno die a te accepi epiſtolas: unam brevem, quam Flacco Volumnio dederas, duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibii attulit, alteram ad me miſit Lupus. Ex tuis literis, et ex Graeceii oratione, non modo reſtinctum bellum, ſed etiam inflammatum videtur. Non dubito autem, pro tua ſingulari prudentia, quin perſpicias, ſi aliquid firmitatis nactus ſit Antonius, omnia tua illa praeclara in rem publicam merita ad nihilum eſſe ventura. Ita enim Romam erat nuntiatum, ita perſuaſum omnibus, cum paucis inermibus, perrterritis metu, fracto animo, fugiſſe Antonium. Qui ſi ita ſe habet, ut, quemadmodum audiebam de Graeceio, confligi cum eo ſine periculo non poſſit: non ille mihi fugiſſe a Mutina videtur, ſed locum belli gerendi mutaſſe. Itaque homines alii facti ſunt; nonnulli etiam queruntur, quod perſecuti non ſitis; opprimi potuiſſe, ſi celeritas adhibita eſſet, exiſtimant. Omnino eſt hoc populi, maximeque noſtri, in eo potiſſimum abuti libertate, per quem eam conſecutus ſit. Sed tamen providendum eſt, ne quae iuſta querela eſſe poſſit. Res ſe ſic habet. Is bellum confecerit, qui Antonium oppreſſe-

---

Epiſt. DCCCXXXII. *inermibus*] etſi *inermis* recte dicitur, tamen h. l. praetuli *inermibus*, quod eſt in edd. pr. ut ὁμοιοτέλευτα vitentur. Sic et Gu. 1. eiusque veſtigia ſunt et in Gu. 2. *Erneſti*.

rit. Hoc quam vim habeat, te existimare malo, quam me apertius scribere.

EPISTOLA DCCCXXXIII. (ad Div. X. 33.)

Scr. in Hispania ulteriore mense Maio A. U. C. 710.

Deplorat acceptam proelio Mutinensi reip. calamitatem, seque communi incendio occurrere paratum ostendit.

POLLIO CICERONI, S. P.

S. V. B. E. E. Q. V. Quo tardius certior fierem de proeliis apud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios novem dies retinuit: tametsi tantam calamitatem rei publicae quam tardissime audire optandum est, sed illis, qui prodesse nihil possunt, neque mederi. Atque utinam eodem senatus consulto, quo Plancum, et Lepidum in Italiam arcessistis, me quoque iussissetis venire! profecto non accepisset res publica hoc vulnus. Quo si qui laetantur in praesentia, quia videntur et duces, et veterani Caesaris partium interiisse: tamen postmodum necesse est doleant, quum vastitatem Italiae respexerint. Nam et robur, et suboles militum interiit: si quidem, quae nuntiantur, ulla ex parte vera sunt. Neque ego non videbam, quanto usui rei publicae essem futurus, si ad Lepidum venissem. Omnem enim cunctationem eius discussissem, praesertim adiutore Planco. Sed scribenti ad me eiusmodi literas, quas leges, concionibus videlicet, quas Narbone habuisse dicitur, similes, palparer pla-

---

Epist. DCCCXXXIII. *concionibus*] Vulgo *et concionibus*. Copulam recte delevit Ernestius.

palparer] e Victorii correctione, quam secuti sunt Lambinus, Graevius, Ernestius. Manutius defendebat *palmarer*, quod verbum est significatu blandiendi inauditum. Codd. h. l. omnes corrupti.

ne necesse erat, si vellem commeatus, per provinciam eius iter faciens, habere. Praeterea verebar, ne, si ante, quam ego incepta perficerem, proelium confectum esset, pium meum consilium raperent in contrariam partem obtrectatores mei, propter amicitiam, quae mihi cum Antonio, non maior tamen, quam Planco fuit. Itaque a Gadibus mense Aprili binis tabellariis in tuas naves impositis, et tibi, et consulibus, et Octaviano scripsi, ut me faceretis certiorem, quonam modo plurimum possem prodesse rei publicae. Sed, ut rationem ineo, quo die proelium Pansa commisit, eodem a Gadibus naves profectae sunt. Nulla enim post hiemem fuit ante eam diem navigatio. Et hercules longe remotus ab omni suspicione futuri civilis tumultus, penitus in Lusitania legiones in hibernis collocaram. Ita porro festinavit uterque confligere, tamquam nihil pejus timerent, quam ne sine maximo rei publicae detrimento bellum componeretur. Sed, si properandum fuit, nihil non summi ducis consilio gessisse Hirtium video. Nunc haec mihi scribuntur ex Gallia Lepidi, et nuntiantur, Pansae exercitum concisum esse; Pansam ex vulneribus mortuum; eodem proelio Martiam legionem interiisse, et L. Fabatum, et C. Peduceum, et D. Carfulenum; Hirtiano

---

raperent in contrariam partem] secus interpretarentur, meque dicerent in Italiam venisse, non ut rei publ. sed ut oppugnanti rem publ. Antonio opem ferrem. *Manut.*

ex Gallia Lepidi] Ea Galliae cisalpinae parte, per quam viam duxit M. Aemilius Lepidus cos. A. V. DLXVI, quae ab eo nomen accepit. *Manut.* Immo vero est Gallia Narbonensis, quam tum Lepidus tenebat.

Carfulenum] quem Hirtius et Octavianus cum legione Martia Pansae obviam miserant. *Manut.*

Hirtiano] Cum Pansa primum, deinde eo victo, cum Hirtio, pugnavit Antonius, et victus postremo Hirtius ipse, quum oppu-

autem proelio et secundam legionem, et omnes peraeque Antonii caesas, item Hirtii; quartam vero, quum castra quoque Antonii cepisset, a quinta legione concisam esse; ibi Hirtium quoque periisse, et Pontium Aquilam; dici etiam Octavianum cecidisse; (quae si, quod dii prohibeant! vera sunt, non mediocriter doleo.) Antonium turpiter Mutinae obsessionem reliquisse, sed habere equitum VM legiones sub signis ar-

---

gnaret Antonii castra, interiit. *Manut.*

secundam] Vulgo *quartam.* At quum de caesis Antonii legionibus mentio fiat; quarta vero non Antonii, sed Hirtii fuerit, qui ut in Philipp. XIV. c. legitur eduxit e suis castris contra Antonium et quartam et septimam; et hic statim Hirtii quarta nominatur, suspicari de mendo facile possum; et fortasse pro *quartam* legendum *secundam*, non magna mutatione; nam IV. et II. non admodum differunt. Secundam autem cum Antonio fuisse patet e Galbae epist. 30. (h. ed. 809.) et Philipp. V. *Manut.* Equidem nullus dubitavi *secundam* in ordinem recipere.

et omnes] duas reliquas; *quintam* et trigesimam quintam. *Manut.*

Pontium Aquilam] unum ex percussoribus Caesaris, legatum hoc tempore D. Bruti; qui T. Munatium Plancum, Antonii ducem paulo ante proelio vicerat; ut est Phil. XIII. et ap. Dionem lib. XLVI. Hic est, opinor, quem scribit Suetonius, triumphanti Caesari et subsellia tribunitia praetereunti, unum e collegio non surrexisse; quod adeo Caesarem indignatum, ut proclamaverit: Repete ergo a me, Aquila, rem publ. tribunus; nec destiterit per continuos dies quidquam cuiquam nisi sub hac exceptione, polliceri: si tamen per Pontium Aquilam licuerit. Fuerat in partibus Caesaris civili bello superiore, ut is docet, qui de bello Afr. scripsit. Periit in eadem pugna cum Hirtio, et honores mortuo decreti. *Man.*

equitum VM] Numerus equitum desideratur in omnibus antiquis libris, praeter unum quem vidit Manutius in quo erat V i. e. *quinque millia.* Mihi verum vidisse Bengelius videtur, legendum suspicatus VM, quae

matas tres, et P. Bagienni unam, inermes bene multos; Ventidium quoque se cum legione septima, octava, nona coniunxisse; si nihil in Lepido spei sit, descensurum ad extrema, et non modo nationes, sed etiam servitia, concitaturum; Parmam direptam; L. Antonium Alpes occupasse. Quae si vera sunt, nemini nostrum cessandum est, nec exspectandum, quid decernat senatus.. Res enim cogit huic tanto incendio succurrere omnes, qui aut imperium, aut nomen denique populi Romani salvum volunt esse. Brutum enim cohortes XVII, et duas non frequentes tironum legiones, quas conscripserat Antonius, habere audio. Neque tamen dubito, quin omnes, qui supersint de Hirtii exercitu, confluant ad eum. Nam in delectu non multum spei puto esse; praesertim quum nihil sit periculosius, quam spatium confirmandi sese Antonio dari. Anni autem tempus libertatem maiorem mihi dat, propterea quia frumenta aut in agris, aut in villis sunt. Itaque proximis literis consilium meum expedietur. Nam neque deesse, neque superesse rei pu-

---

nota facile potuit ab ultima syllaba vocabuli *equitum* absorberi.

P. Bagienni] Plurimi codd. perperam *pupilli Bagienni.* Manutius probavit *P. Vagieni* ex libro Maffei.

septima] fortasse aliter legendum Nam septima cum Hirtio fuit Phil. XIV, c. 10. *Manut.*

Parmam direptam] a L. Antonio.

frumenta] Loquitur de instante messis tempore.

neque superesse] neque vivere post interitum rei publ. Gellius lib. I. c. 22. „*Superesse* invenimus dictum pro *superstitem* esse. Ita enim scriptum est in libro epp. M. Ciceronis ad L. Plancum, in epistola M. Asinii Pollionis ad Ciceronem, his verbis: *Neque deesse rei publ. volo neque superesse.* Et Plaut in Asin. I. 1. *Tuum vis unicum gnatum tuae superesse vitae sospitem et superstitem* „ Strothius tamen putabat *superesse* hic significate i. q. superfluum esse; ut Pollio pungat senatum, qui se non aeque ac Plancum et

blicae volo. Maxime tamen doleo, adeo et longo, et infesto itinere ad me veniri; ut die quadragesimo post, aut ultra etiam, quam facta sunt, omnia nuntientur.

EPISTOLA DCCCXXXIV. (ad Div. X. 21.)

Scr. in castris ad Isaram mense Maio A. U. C. 710.

Perfidiam Lepidi coniunctionemque cum Antonio nuntiat; subsidium copiarum mitti postulat, suam dignitatem commendat.

PLANCUS CICERONI.

Puderet me inconstantiae mearum literarum, si non haec ex aliena levitate penderent. Omnia feci, quare Lepido coniuncto ad rem publicam defendendam, minore sollicitudine vestra, perditis resisterem. Omnia ei et petenti recepi, et ultro pollicitus sum, scripsique tibi biduo ante, confidere me, bono Lepido esse usurum, communique consilio bellum administraturum. Credidi chirographis eius; affirmationi praesentis Laterensis; qui tum apud me erat, reconciliaremque me Lepido, fidemque haberem, orabat. Non licuit diutius bene de eo sperare. Illud certe cavi, et cavebo, ne mea credulitate rei publicae summa

---

Lepidum evocassent, quasi eius opera superflua esset. Et haec quidem ratio postea Weiskio quoque placuit, qui ineptum esse dicit, quum bonam spem habeat Pollio, hic desperatum repente intelligere, qui re publica sublata superstes esse nolit. At enim in Gellii explicatione nihil ineptum est. Pollio significat hoc: tantum abest ut deesse velim rei publ. ut potius ne superesse quidem ei velim.

quadragesimo] Si quadraginta dies numeres a die proelii Mutinensis XVII. Kal. Maias, quibus elapsis nuntius de eo ad Pollionem pervenerit, facile patet hanc epistolam exeunte Maio scriptam fuisse.

Epist. DCCCXXXIV. *rei publ summa*] Sic scr. et edd. Lambinus volebat *res publ.*

fallatur. Quum Isaram flumen; uno die ponte effecto, exercitum traduxissem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quod petierat per literas ipse, ut maturarem venire: praesto mihi fuit stator eius cum literis, quibus, ne venirem, denuntiabat, se posse per se conficere negotium, interea ad Isaram exspectarem. Indicabo temerarium meum consilium tibi; nihilominus ire decreram, existimans eum socium gloriae vitare. Putabam posse me nec de laude ieiuni hominis delibare quidquam; et subesse tamen propinquis locis, ut, si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. Ego non malus homo hoc suspicabar. At Laterensis, vir sanctissimus, suo chirographo mittit mihi literas, in eisque, desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide, querensque se destitutum, aperte denuntiat; videam, ne fallar; suam fidem solutam esse; rei publicae ne desim. Exemplar eius chirographi Titio misi. Ipsa chirographa omnia, et quibus credidi, et ea, quibus fidem non habendam putavi, Laevo Cispio dabo perferenda; qui omnibus his interfuit rebus. Accessit eo, ut milites eius, quum Lepidus

---

summa, quod et in Gruterianam venit *res publ. summa* non dicitur, ut alias monui. *Ernesti.* Etiam I. F. Gronovius legi volebat *res publ. summa* afferens locum VIII. epist. 14. *ne credulitas mea omnem rem publ. in summum periculum coniiciat;* qui tamen locus nihil efficit ad istam lectionem nobis persuadendam.

ieiuni hominis] ut nos dicimus: *dieses eiteln Menschen*, qui a dixerat se posse per se conficere negotium et socium gloriae vitare videbatur.

posse me — et subesse tamen] putabam rem a me sic institui posse, ut neque de laude hominis inanis et ieiuni quicquam accessu meo delibarem, et tamen propinquis locis subessem.

suo chirographo] manu sua scriptas.

solutam esse] pro *persolutam*. Nam et *solvere fidem*, pro praestare dicitur Vid. Burm. ad Ov. Met. XI. 135. *Ernesti.*

concionaretur, improbi per se, corrupti etiam per eos, qui praesunt, Canidios, Rufrenosque, et ceteros; quos, quum opus erit, scietis, conclamarint viri boni, pacem se velle, neque esse cum ullis pugnaturos, duobus iam consulibus amissis, tot civibus pro patria occisis, hostibus denique omnibus iudicatis, bonisque publicatis. Neque hoc aut vindicarat Lepidus, aut sanarat. Huc me venire, et duobus exercitibus coniunctis obiicere exercitum fidelissimum, auxilia maxima, principes Galliae, provinciam cunctam, summae dementiae et temeritatis esse vidi: mihique, si ita oppressus essem, remque publicam mecum prodidissem, mortuo non modo honorem, sed misericordiam quoque defuturam. Itaque rediturus sum; nec tanta munera perditis hominibus dari posse sinam. Ut exercitum locis habeam opportunis, provinciam tuear, etiam si ille exercitus descierit, omniaque integra servem, dabo operam, quoad exercitus huc summittatis, parique felicitate rem publicam hic vindicetis. Nec depugnare, si occasio tulerit; nec obsideri, si necesse fuerit; nec mori, si casus inciderit, pro vobis, paratior fuit quisquam. Quare hortor te, mi Cicero, exercitum huc traiiciendum quam primum cures, et matures prius, quam hostes magis corroborentur, et nostri perturbentur. In quo si celeritas erit adhibita, res publica in possessione victoriae, deletis sceleratis, permanebit. Fac valeas, meque diligas. Fratrem meum tibi, fortissimum civem, et ad omnia paratissimum, excusem literis? qui ex labore in febriculam in-

---

duobus iam consulibus] Quod vulgo additur *singularibus*, abest a Ms. Histtorp. delendumque censuerunt post Lambinum Graevius et Ernestius.

amissis — occisis] Ita permutanda censuit Ernestius haec verba; quum vulgo legeretur *occisis — amissis*; quum *amitti pro patria* non dicatur.

cidit assiduam, et satis molestam. Quum primum poterit istuc recurrere, non dubitabit, ne quo loco rei publicae desit. Meam dignitatem commendatam habeas, rogo. Concupiscere me nihil oportet. Habeo te et amantissimum mei, et quod optavi, summae auctoritatis. Tu videris, quantum et quando tuum munus apud me velis esse. Tantum te rogo, in Hirtii locum me subdas et ad tuum amorem et ad meam observantiam.

EPISTOLA DCCCXXXV. (ad Div. X. 26.)

Scr. Romae mense Maio A. U. C. 710.

Furnii praeproperam festinationem ad praeturam petendam reprehendit, monetque ut potius absens pergat de re publ. bene mereri.

M. CICERO S. D. C. FURNIO.

Lectis tuis literis, quibus declarabas, aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandum, illud magis timui: quod vitatum non moleste fero. Quod de Planci et Bruti concordia scribis, in eo vel maximam spem pono victoriae. De Gallorum studio, nos aliquando cognoscemus, ut scribis, cuius id opera maxime excitatum sit. Sed iam, mihi crede, cognovimus. Itaque iucundissimis tuis literis stomachatus sum in extremo. Scribis enim, si in Sextilem comitia, cito te: sin iam confecta, citius, ne diutius

---

in Hirtii locum me subdas] i. e. velim mihi eundem in amore tuo locum tribuas quo Hirtius apud te fuit, tibique persuadeas me in observantia erga te nihil ei concedere. Falso Manutius hoc de Planco in Hirtii consulis locum sufficiendo accepit, quem errorem iam Strothius redarguit.

Epist. DCCCXXXV. *illud magis timui*] ne omitteretis Narbonenses, quod non fecisse vos laetor. *Gronov.*

cognovimus] tua videlicet opera excitatum. *Manut.*

cum periculo fatuus sis. O mi Furni, quam tu causam tuam non nosti, qui alienas tam facile discas! Tu nunc candidatum te putas, et id cogitas, ut aut ad comitia curras, aut, si iam confecta, domi tuae sis, scilicet ne cum maximo periculo, ut scribis, stultissimus sis. Non arbitror te ita sentire. Omnes enim tuos ad laudem impetus novi. Quod si, ut scribis, ita sentis, non magis te, quam de te iudicium reprehendo meum. Te adipiscendi magistratus levissimi et divulgatissimi, si ita adipiscare, ut plerique, praepropera festinatio abducet a tantis laudibus, quibus te omnes in caelum iure et vere ferunt? Scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima praetor fias, non ut ita de re publica mereare, omni honore ut dignissimus iudicere? Utrum nescis, quam alte ascenderis? an pro nihilo id putas? Si nescis, tibi ignosco; nos in culpa sumus. Sin intelligis, ulla tibi est praetura, vel officio, quod pauci, vel gloria, quam omnes sequuntur, dulcior? Hac de re et ego, et Calvisius, homo magni iudicii, tuique amantissimus, te accusamus quotidie. Comitia tamen, quando ex his pendes, quantum facere possumus, quod multis de causis rei publicae arbitramur conducere, in Ianuarium mensem protrudimus. Vince igitur, et vale.

---

tam facile discas] Patronus causarum solebat esse Furnius. *Manut.*

domi tuae sis] fortasse Cicero scripsit *domi tabescas.* Id et suavius opponeretur alteri *curras*, simulque ignavum Furnii otium, quod se amplexurum minabatur, carperet.

scilicet ne cum] Victorius omisit *scilicet*, recte restitutum a Graevio, etsi abest in quibusdam MSS.

quam omnes sequuntur] Recte sic Manutius emendavit, quum in MSS. legeretur: *assequuntur.*

EPISTOLA DCCCXXXVI. (ad Div. XI. 14.)

Scr. Romae circa VIII. Kal. Iun. A. U. C. 710.

Bruti literis respondet de decemviris, de legionibus perducendis, de pecunia, de hominum admiratione ob renatum bellum, cuius exitus ne timeatur, Bruti munus esse dicit.

M. T. CICERO D. BRUTO, IMP. COS. DES. S. P. D.

Mirabiliter, mi Brute, laetor, mea consilia, measque sententias a te probari de decemviris, de ornando adolescente. Sed quid refert? mihi crede, homini non glorioso: plane iam, Brute, frigeo. ὄργανον enim erat meum senatus. Id est iam dissolutum. Tantam spem attulerat exploratae victoriae tua praeclara Mutina eruptio, fuga Antonii, conciso exercitu, ut omnium animi relaxati sint, meaeque illae vehementes contentiones tamquam σκιαμαχίαι esse videantur. Sed, ut ad rem redeam, legionem Martiam et quartam negant, qui illas norunt, ulla conditione ad te posse perduci. Pecuniae, quam desideras, ratio potest haberi, eaque habebitur. De Bruto arcessendo, Caesareque ad Italiae praesidium tenendo, valde tibi assentior. Sed, ut scribis, habes obtrectatores; quos equidem

---

Epist. DCCCXXXVI. *de decemviris*] recte Manutius et post eum Ernestius intellexerunt, decemviros aut creatos aut creandos, qui consulatus ab Antonio gesti rationem reposcerent; hos creatos fuisse narrat Appianus de B. C. III. 82. postquam Plancus se Decimo Bruto cum suis copiis coniunxerat; in quo gradum fuisse scribit ad omnia Caesaris acta antiquanda; statimque ab his Decemviris edictum esse propositum, ut quisquis aliquid accepisset ab Antonio consule confestim scripto profiteretur; additis gravibus minis, si quis contra fecisset.

adolescente] Octaviano.

σκιαμαχίαι] pugnae cum umbris.

facillime sustineo, sed impediunt tamen. Ex Africa legiones exspectantur. Sed bellum istic renatum mirantur homines. Nihil tam praeter spem umquam. Nam die tuo natali victoria nuntiata, in multa secula videbamus rem publicam liberatam. Novi timores retexunt superiora. Scripsisti autem ad me iis, quas Idibus Maiis dedisti, modo te accepisse a Planco literas, non recipi a Lepido Antonium. Id si ita est, omnia faciliora; sin aliter, magnum negotium: cuius exitum non extimesco; tuae partes sunt. Ego plus, quam feci, facere non possum. Te tamen, id quod spero, omnium maximum et clarissimum videre cupio.

EPISTOLA DCCCXXXVII. (ad Div. XI, 20.)

Scr. Eporediae VIII. Kal. Iun. A. U. C. 710.

Timere se scribit Ciceronis causa, eumque monet, ut veteranorum animos sibi conciliet.

D. BRUTUS IMP. COS. DES. M. T. CICERO S. P. D.

Quod pro me non facio, id pro te facere meus in te amor tuaque officia cogunt, ut timeam. Saepe enim mihi quum esset dictum, neque a me contemptum, novissime Labeo Segulius, homo sibi simillimus, narrat mihi, apud Caesarem se fuisse, multumque sermonem de te habitum esse: ipsum Caesarem nihil sane de te questum, nisi, quod diceret te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum, tollendum; se non esse

---

istic] i. e. in Gallia adversus Antonium.

Ep. DCCCXXXVII. *tollendum*] ambiguum verbum; nam et ad honorem, et ad necem pertinet. Vellei. lib. II. c. 62. *Hoc est illud tempus, quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium Caesarem laudandum et tollendum censebat; quum aliud diceret, aliud intelligi*

commissurum, ut tolli possit. Hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum. Veteranos vero pessime loqui, volebat Labeo me credere, et tibi ab iis instare periculum; maximeque indignari, quod in decemviris neque Caesar, neque ego habiti essemus; atque omnia ad vestrum arbitrium essent collata. Haec quum audissem, et iam in itinere essem, committendum non putavi, prius ut Alpes transgrederer, quam, quid istic ageretur, scirem. Nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione verborum, et denuntiatione periculi sperare eos, te pertimefacto, adolescente impulso, posse magna consequi praemia: et totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quam plurimum lucri faciant. Neque tamen non te cautum esse volo, et insidias vitantem. Nihil enim tua mihi vita potest esse iucundius, neque carius. Illud vide, ne timendo magis timere cogare. Et, quibus rebus potest occurri veteranis, occurras. Primum, quod desiderant de decemviris, facias; deinde de praemiis. Si tibi videtur, agros

---

vellet. Sueton. in Aug. c. 12. *ut cognovit Antonium post fugam a M. Lepido receptum ceterosque duces et exercitus consentire pro partibus, causam optimatium sine cunctatione deseruit, ad praetextum mutatae voluntatis dicta factaque quorundam calumniatus, quasi alii se puerum, alii ornandum tollendumque iactassent, ne aut sibi aut veteranis par gratia referretur.* — *Manut.*

quod in decemviris] Non de iis agitur decemviris quorum supra epist. 836. facta est mentio, sed de aliis, qui teste Appiano de B. C. III. 86. postquam Octavianus milites adversus senatum concitaverant, quod promissa iis H-S viginti millia non essent a senatu persoluta, tum sunt creati, ut pecuniam duabus legionibus quae ab Antonio transierant, distribuerent, quibus se non adscriptum esse vehementer indignatus est Octavianus.

de decemviris, facias] scil. ut me et Octavianum iis adscribendum censeas.

eorum militum, qui cum Antonio veterani fuerunt, his dandos censeas ab utrisque nobis. De numis, lente, ac ratione habita pecuniae, senatum de ea re constituturum. Quatuor legionibus iis, quibus agros dandos censuistis, video facultatem fore ex agris Syllanis et agro Campano. Aequaliter, aut sorte agros legionibus assignari puto oportere. Haec me tibi scribere non prudentia mea hortatur, sed amor in te et cupiditas otii; quod sine te consistere non potest. Ego, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excedam. Legiones armo, paro; spero me non pessimum exercitum habiturum ad omnes casus et impetus hominum.

---

ex agris Syllanis] Vatic. Pal. I. Amst. 3. Dresd. 1. 2. 3. Lips. *ex agris Silani*, quod intelligunt de Silano, Lepidi legato. At eius agri, quod Ernestius monuit, vix tanti esse potuerunt, ut inde multis aliquid tribui posset. Weiskius e cod. Magd. recepit *ex agris Silanis*, putatque significari agros in silva Sila amplissima et interiectis pascuis agrisque laetissimis conspicua. Publicos enim illos saltus fuisse apparet ex Cic Brut. c. 22. ut inde agri militibus assignari possent. Ac si postea agri privati facti essent, Weiskius existimat possessores expelli potuisse lege Iulia. Vulg. *ex agris Syllanis* est in Dresd 5. Asc. I. et quinque libris Manutii, item edd. pr. Itaque id Ernestius et Benedictus servandum censuerunt. Et hic quidem putat, quum Sylla publicatis multorum agris colonias militum eo deduxisset, fieri potuisse, ut hoc tempore tales agri superessent. Mihi vero optimum videtur legere *ex agris Stellati et Campano*. Nam lege agraria Iulii Caesaris agri Campani et Stellates XX millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent divisi sunt. In his superfuerunt agri, qui contra legem Iuliam possiderentur a pristinis possessoribus. Itaque Cicero Phil. V. 19. censuerat, ut Pansa et Hirtius coss. cognoscerent, qui ager iis coloniis esset, quo milites veterani deducti essent, *qui contra legem Iuliam possideretur*, ut is militibus veteranis divideretur; de agro Campano separatim cognoscerent.

De exercitu, quem Panſa habuit, legionem mihi Caeſar non remittit. Ad has literas ſtatim mihi reſcribe, tuorumque aliquem mitte, ſi quid reconditum magis erit, meque ſcire opus putaris. Vale. IX Kal. Iun. Eporedia.

EPISTOLA DCCCXXXVIII. (ad Div. XI. 23.)

Dat. VIII. Kal. Iun. Eporedia A. U. C. 710.

Hortatur Ciceronem, ut bene de re publ. ſperet.

D. BRUTUS M. T. CICERO, S. P. D.

Nos hic valemus recte, et, quo melius valeamus, operam dabimus. Lepidus commode de nobis ſentire videtur. Omni timore depoſito debemus libere rei publicae conſulere. Quodſi omnia eſſent aliena, tamen tribus tantis exercitibus, propriis rei publicae, valentibus, magnum animum habere debebas, quem et ſemper habuiſti, et nunc fortuna adiuvante augere

---

IX *Kal. Iun.*] Ita melius in Codd. nonnullis legitur, quam VIII. Kal. Iun. in Hittorp. idque iam Corradus probavit. Nam ſi legamus VIII. Kal. epiſtola Decimi Bruti brevior XI. 23. (h. ed. 838.) eodem die ſcripta eſſet, quod non eſt veriſimile. Benedictus praetulit *VI. Kal.* e Dresd. I. 2. Lipſ. Pall. I. 3. quod tamen admitti non poteſt, quum Brutus ep. 838. VIII. Kal. Iun. ſcripta hanc ipſam reſpiciat.

Ep. DCCCXXXVIII. *Lepidus commode*] Atqui quarto die poſt ſcriptam hanc epiſtolam Lepidus Antonium recepit. cf. ep. 847.

tribus tantis exercitibus] Caeſaris Octaviani, Planci et meo.

propriis rei publ.] fidis et certis in defenſione cauſae publicae. Sed opinio eum fefellit. Mox enim Octavianus et Plancus acceſſerunt Antonio. *Proprium* eleganter conſtans, perpetuum Ter. Andr. IV. 3. 1. *Nihilne eſſe proprium cuiquam?* Plaut. Moſtell. I. 3. 68. *atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita* — Gronov.

potes. Quae tibi superioribus literis mea manu scripsi, terrendi tui causa homines loquuntur. Si frenum momorderis, peream, si te omnes, quot sunt, conantem loqui ferre poterunt. Ego, tibi ut antea scripsi, dum mihi a te literae veniant, in Italia morabor. IIX Kal. Iun. Eporedia.

EPISTOLA DCCCXXXIX. (ad Div. X. 20.)

Scr. Romae IV. Kal. Iun. A. U. C. 710.

Petit ut de Lepidi fide significet, utrum rem publ sequatur an Antonium, hortaturque ut reliquias belli opprimat.

CICERO PLANCO.

Ita erant omnia, quae istinc afferebantur, incerta, ut, quid ad te scriberem, non occurreret. Modo enim, quae vellemus de Lepido, modo contra nuntiabantur. De te tamen fama constans, nec decipi posse, nec vinci: quorum alterius fortuna partem habet quandam; alterum proprium est prudentiae tuae. Sed accepi literas a collega tuo, datas Idibus Maiis: in quibus erat, te ad se scripsisse, a Lepido non recipi Antonium. Quod erit certius, si tu ad nos idem scripseris. Sed minus audes fortasse propter inanem laetitiam

---

superioribus literis] epist. 838. de Segulio.

Si frenum momorderis] i. e. si nostris invidis et malevolis, qui velut freno coërcere te volunt, ostenderis te resistere, et coërceri nolle. Ab equis contumacibus et refractariis desumpta oratio. *Gronov.*

tibi antea scripsi] ep. 838. scripserat: *Ego, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excedam.*

Epist. DCCCXXXIX. *a collega tua*] Decimo Bruto.

datas Idibus Maiis] Haec epistola non exstat.

a Lepido non recipi Antonium] At hoc ipso die, quo scripsit Cicero, receptus est.

inanis laetitia] nempe ep. 818. Plancus sibi persuaserat fore, ut Lepidus se secum coniungeret, et communi causae rei publ. succurreret. In eo se errasse nuntiaverat paullo post ep. 834.

literarum superiorum. Verum, ut errare, mi Plance, potuisti, (quis enim id effugerit?); sic decipi te non potuisse, quis non videt? Nunc vero etiam iam erroris causa sublata est. Culpa enim illa, *bis ad eundem*, vulgari reprehensa proverbio est. Sin, ut scripsisti ad collegam, ita se res habet, omni cura liberati sumus: nec tamen erimus prius, quam ita esse tu nos feceris certiores. Mea quidem, ut ad te saepius scripsi, haec sententia est: Qui reliquias huius belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore; quem te et opto esse, et confido futurum. Studia mea erga te, quibus certe nulla esse maiora potuerunt, tibi tam grata esse, quam ego putavi fore, minime miror, vehementerque laetor. Quae quidem tu, si recte istic erit, maiora et graviora cognosces. Quarto Kalendas Iunias.

EPISTOLA DCCCXL. (ad Div. X. 35.)

Dat. III. Kal. Iun. a ponte argenteo A. U. C. 710.

Lepidus recepti Antonii causam in suos milites confert, dissensionem civium inique ferentes.

LEPIDUS IMP. ITER. PONT. MAX. S. D. SENAT. POP. PL. Q. R.

S. V. liberique vestri V. B. E. E. Q. V. Deos, hominesque testor, Patres conscripti, qua mente, et

---

verum, ut errare, mi Plance, potuisti] In codd. Memmianis legebatur: *verum ut errarem, id Plance voluisti*, quod P. Victorius defendit. Manutio placebat: *verum ut errare id, Plance, voluisti.* Sed unice vera est lectio, quam Lambinus secutus est, *verum, ut errare, mi Plance, potuisti.*

decipi non potuisse] Nempe *erramus*, quum falso quid futurum sit opinamur; *decipimur* autem quum alterius astutia in fraudem ducimur; erraverat Plancus, quum se bono Lepido usurum esse speraverat; neque tamen ab eo se decipi passus est, quia diligenter caverat, ne eius perfidia damnum acciperet.

bis ad eundem] scil. lapi-

quo animo ſemper in rem publicam fuerim, et quam nihil antiquius communi ſalute ac libertate iudicarim: quod vobis brevi probaſſem, niſi mihi fortuna proprium conſilium extorſiſſet. Nam exercitus cunctus conſuetudinem ſuam in civibus conſervandis, communique pace, ſeditione facta, retinuit: meque tantae multitudinis civium Romanorum ſalutis atque incolumitatis cauſam ſuſcipere, ut vere dicam, coëgit. In qua re ego vos, Patres conſcripti, oro, atque obſecro, ut privatis offenſionibus omiſſis, ſummae rei publicae conſulatis, neve miſericordiam noſtram exercitusque noſtri, in civili diſſenſione, ſceleris loco ponatis. Quod ſi ſalutis omnium ac dignitatis rationem habueritis: melius et vobis, et rei publicae conſuletis. Data III. Kal. a Ponte Argenteo. Valete.

---

dem offendere turpe eſt: Graece hoc proverbium hoc ſenario quem Zenodotus retulit, expreſſum eſt: Δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν αἰσχρὸν εἰς προύειν λίθον.

Epiſt. DCCCXL. *brevi probaſſem*] ducendo contra Antonium exercitu.

exercitus — conſuetudinem ſuam in civibus conſervandis — retinuit] Egregia tantae proditionis excuſatio. Sed alludit, quod refert Suetonius, Iulium acie Pharſalica victorem proclamaſſe, ut civibus parceretur, et cuique ſuorum, quem vellet, unum partis adverſae ſervare conceſſiſſe c. 75. *Gronov.*

in civibus conſervandis] *obſervandis* Mſſ. et edd. pr. pro quo deinde editum *conſervandis*. Primus ſic Aldus 1502. Reſtituit vetus Victorius, ſed non exemplis firmavit. *Erneſti.*

ſeditione facta] Plutarchus quidem narrat, milites Lepidi miſiſſe ad Antonium eumque hortatos eſſe, ut ſi Lepidus eum non reciperet, caſtra eius oppugnaret; ſe velle eum in hac re iuvare, immo etiam Lepidum trucidare; quae tamen omnia Lepidum aſtute machinatum eſſe Strothius exiſtimat, cui facile aſſentior.

privatis offenſionibus] Ciceronis potiſſimum odium in Antonium tangere videtur.

ſceleris loco] proditae ſcil. rei publicae et cauſae optimatium deſertae.

EPISTOLA DCCCXLI. (ad Div. XI. 15.)

Scr. Pollentiae Maio exeunte A. U. C. 710.

Respondet epistolae Ciceronis, quae est huius ed. 832.; tarditatem suam in persequendo Antonio excusat; quo in statu res sit, exponit.

D. BRUTUS, M. T. CICERO, S. D.

Iam non ago tibi gratias. Cui enim re vix referre possum, huic verbis non patitur res satisfieri. Attendere te volo, quae in manibus sunt. Qua enim prudentia es, nihil te fugiet, si meas literas diligenter legeris. Sequi confestim Antonium his de caussis, Cicero, non potui. Eram sine equitibus, sine iumentis: Hirtium perisse nesciebam; Aquilam perisse nesciebam; Caesari non credebam prius, quam convenissem, et collocutus essem. Hic dies hoc modo abiit. Postero die mane a Pansa sum arcessitus Bononiam. Quum in itinere essem, nuntiatum mihi est, eum mortuum esse. Recurri ad meas copiolas. Sic enim vere eas appellare possum. Sunt extenuatissimae, et inopia omnium rerum pessime acceptae. Biduo me Antonius antecessit, itinera fecit multo maiora fugiens, quam ego sequens. Ille enim iit passim, ego ordinatim. Quacumque iit, ergastula solvit, homines arripuit. Constitit nusquam prius, quam ad Vada venit. Quem locum

---

Epist. DCCCXLI. *Aquilam perisse nesciebam*] Haec verba vulgo omissa leguntur in codd. Hittorp. et Dresd. eaque recte auctoribus Graevio et Bengelio receperunt Weiskius et Benedictus.

itinera fecit] Verbum *fecit* male omissum in multis codd. exstat in Dr. 3. Hittorp. Mentel. Guelf. 2.

passim] non instructis ordinibus, ut libere et celerius eius milites iter facerent *Weisk*.

Vada] Sunt eadem quae supra ep. 813. Brutus nominabat, nempe Vada Sabatia, s. Sabatiorum campi

volo tibi esse notum. Iacet inter Apenninum, et Alpes, impeditissimus ad iter faciendum. Quum abessem ab eo millia passuum triginta, et se iam Ventidius coniunxisset; concio eius ad me est allata: in qua petere coepit a militibus, ut se trans Alpes sequerentur: sibi cum M. Lepido convenire. Succlamatum est, et frequenter a militibus Ventidianis, (nam suos valde quam paucos habet) sibi aut in Italia pereundum esse, aut vincendum. Et orare coeperunt, ut Pollentiam iter facerent. Quum sustinere eos non posset, in posterum diem iter suum contulit. Hac re mihi nuntiata, statim quinque cohortes Pollentiam praemisi, meumque iter eo contuli. Hora ante praesidium meum Pollentiam venit, quam Trebellius cum equitibus. Sane quam sum gavisus. In hoc enim victoriam puto consistere. In spem venerant, quod neque Planci quatuor legiones omnibus suis copiis pares arbitrabantur; neque ex Italia tam celeriter exercitum traiici posse credebant. Quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges, equitatusque omnis, qui eo praemissus erat a nobis, sustinebant; nostroque adventu sustineri fa-

---

paluſtres prope oppidum maritimum in ora Genuensi Sabata dictum.

Ventidius coniunxisset] cum Antonio cf. ep. 813.

concio eius] Antonii.

Pollentiam] oppidum Liguriae supra Albam haud procul Tanari ac Sturae confluentibus, hodie *Polenza*.

iter facerent] i. facere sibi liceret. Alias facile erat corrigere *faceret*. *Ernesti*.

Trebellius] Antonii praefectus.

ipsi] Interpretantur *soli*; ex Graecismo, quo αὐτὸς ponitur pro μόνος. Sed nil opus est a vulgari significatione recedere. Ait enim Brutus non milites solos, sed ipsos quoque Allobroges, Pollentiae incolas impetum hostium sustinuisse.

satis arroganter] *arroganter* est audacter et fortiter, sed est tamen insolens. *Ernesti*. Nostri dicerent: *keck genug*.

Allobroges] Pollentiam incolentes.

cilius posse confidimus. Tamen si quo etiam casu Isaram se traiecerint, ne quod detrimentum rei publicae iniungant, summa a nobis dabitur opera. Vos magnum animum, optimamque spem de summa re publica habere volumus, quum et nos, et exercitus nostros singulari concordia coniunctos, ad omnia pro vobis videatis paratos. Sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareque operam, ut quam paratissimi et ab exercitu, reliquisque rebus pro vestra salute contra sceleratissimam conspirationem hostium confligamus; qui quidem eas copias, quas diu simulatione rei publicae comparabant, subito ad patriae periculum converterunt.

EPISTOLA DCCCXLII. (ad Div. XII. 15.)

Scr. Pergae IV. Non. Iun. A. U. C. 710.

Res a se gestas exponit; 1. *in Rhodios invehitur;* 2. *de Dolabella grata narrat.* 3. 4.

P. LENTULUS, P. F. PROQUAEST. PROPR. COSS. PRAETT. TRIBB. PL. SEN. P. Q. R. S. P. D.

Si valetis, liberique V. V. B. E. V. Scelere Do-

Isaram] Galliae Transalpinae flumen, ubi erat Plancus.

nos] me et Plancum.

subito — converterunt] Hoc potissimum ad Lepidi perfidiam pertinere videtur.

Epist. DCCCXLII. P. LENTULUS] Filius P. Lentuli Spintheris ad quem sunt lib. I. ad Fam. Ciceronis epistolae. Augur erat ut lib. XXXIX. scripsit Dio. Quaestor in Asiam profectus erat cum Trebonio proconsule. Quo mortuo propraetoris nomen assumpserat, quo maiore auctoritate sociis imperare posset, nec tamen quaestoris officium intermiserat. Itaque etiam proquaestor vocatur in huius epistolae inscriptione. *Manut.*

scelere] et quod alienam provinciam hostili more in-

labellae oppressa Asia, in proximam provinciam Macedoniam, praesidiaque rei publicae, quae M. Brutus, vir clarissimus, tenebat, me contuli: et id egi, ut, per quos celerrime possent, Asia provincia, vectigaliaque in vestram potestatem redigerentur. Quod quum pertimuisset Dolabella, vastata provincia, correptis vectigalibus, praecipue civibus Romanis omnibus crudelissime denudatis, ac divenditis, celeriusque Asia excessisset, quam eo praesidium adduci potuisset: diutius morari, aut exspectare praesidium non necesse habui: et quam primum ad meum officium revertendum mihi esse existimavi, ut et reliqua vectigalia exigerem, et, quam deposui pecuniam, colligerem: quidquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quam primum, et vos de omni re facerem certiores.

Interim quum per insulas in Asiam naviganti mihi nuntiatum esset, classem Dolabellae in Lycia esse, Rhodiosque naves complures instructas, et paratas in aqua habere: cum his navibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparaverat Patiscus proquaestor, homo mihi tum familiaritate, tum etiam sensibus in re publica coniunctissimus, Rhodum reverti, confisus auctoritate vestra, senatusque consulto, quo hostem Dolabellam iudicaratis; foedere quoque, quod cum his, M. Marcello, Ser. Sulpicio coss. renovatum erat: quo iuraverant Rhodii, eosdem hostes se habituros, quos S. P. Q. R. Quae res nos vehementer fefellit. Tantum enim abfuit, ut illorum praesidio nostram firmaremus classem, ut etiam a Rhodiis urbe, portu, statione, 2

vasit, et quod Trebonium, cum quo familiarissime collocutus erat, violata fide occidit. *Manut.*

oppressa Asia] Smyrna capta.

2. *Patiscus proquaestor*] ipsius Lentuli, post obitum Trebonii. *Manut.*

statione] loco extra portum, quo naves appellere possunt; *eine Rhede.*

quae extra urbem est, commeatu, aqua denique prohiberentur nostri milites: nos vix ipsi singulis cum navigiolis reciperemur. Quam indignitatem diminutionemque, non solum iuris nostri, sed etiam maiestatis imperiique populi Romani, idcirco tulimus, quod interceptis literis cognoramus, Dolabellam, si desperasset de Syria, Aegyptoque, quod necesse erat fieri, in naves cum omnibus suis latronibus, atque omni pecunia conscendere esse paratum, Italiamque petere: idcirco etiam naves onerarias, quarum minor nulla erat duûm millium amphorûm, contractas, in Lycia a classe eius obsideri. Huius rei timore, Patres conscripti, percitus, iniurias perpeti, et cum contumelia etiam nostra omnia prius experiri malui. Itaque ad illorum voluntatem introductus in urbem, et in senatum eorum, quam diligentissime potui, causam rei publicae egi: periculumque omne, quod instaret, si ille latro cum omnibus suis naves conscendisset, exposui. Rhodios autem tanta importunitate animadverti, ut omnes firmiores putarent, quam bonos: ut hanc concordiam, et conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem, propense non crederent esse factam; ut patientiam senatus, et optimi cuiusque manere etiam nunc confiderent, nec potuisse audere quemquam Dolabellam hostem iudicare; ut denique

aqua denique] ad bibendum, quam peterent in terram continentem egressi. *Ernesti.*

quam indignitatem — tulimus] Recte sic Ernestius h. l. constituit. Vulgo: *quam indignitatem diminutionemque maiestatis non solum iuris nostri, sed etiam imperii populique Romani idcirco tulimus.* Ac *maiestatis* quidem post *sed etiam* ponendum esse iam Rubenius viderat.

— tanta importunitate] Sic pro vulgato *tanta in pravitate*, Benedicti exemplo edendum putavi, auctoritate codd. Dr. 1. 2. Pal. 1. Mentel.

omnia, quae improbi fingebant, magis vera existimarent, quam quae vere facta erant, et a nobis docebantur. Qua mente etiam ante nostrum adventum post Trebonii indignissimam caedem, ceteraque tot, tamque nefaria facinora, binae profectae erant ad Dolabellam legationes eorum, et quidem novo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus iis, qui tum magistratus gerebant. Hinc sive timor est, (ut dictitant) de agris, quos in continenti habent, sive furor, sive potentia paucorum, (qui et antea pari contumelia viros clarissimos affecerant, et nunc quum maxime nos magistratus gerentes)

Hinc sive] Ita correxi vulgatum *haec sive* in quo constructio laborat. Weiskius e cod. Magdeb. dedit *neo sive* quod iam Corrado placuit. Nonnulli veteres libri teste Manutii *hoc sive*.

sive timor est — sive furor] Haec verior est lectio codd. Dr. 1. 2. Mentel. Magdeb. quam recte Benedictus ascivit. Vulgo *sive timore — sive furore*.

sive potentia paucorum] Sic optime emendavit olim Egnatius, vulgatum *patientia*, quod h. l. ad sensum ineptissimum est. Probaverunt emendationem Manutius, Graevius, Gronovius, Ernesti. Sic enim, quod Gronovius monuit, loquuntur quum significant pro Aristocratia ὀλιγαρχίαν invasisse. Idemque comparavit haec loca Sallustii Catil. 30. *hi utrique ad urbem imperatores erant, impediti, ne triumpharent, calumnia paucorum.* Iugurth. 31. *nam illa quidem piget dicere his annis XV quam ludibrio fuistis superbia paucorum.*

viros clarissimos] Pompeium, L. Lentulum, P. Lentulum Spintherem, quos Rhodii post pugnam Pharsalicam fugientes haud receperant. cf. ep. 842.

et nunc quum maxime nos magistratus gerentes] Ita rescripsi pro vulgato *et nunc maximos magistratus gerentes*. Nam hic de se ipso loqui Lentulum manifestum est. Atqui se *maximos* magistratus gerere dicere non poterat. Neque vero sine pronomine personali *nos* adiecto ambiguitatem effugeret haec φράσις. Emendatione autem nostra nitescit oratio, et vis oppositionis augetur; et persona quam ge-

nullo exemplo, neque vestro ex parte, neque nostro praesentium, neque imminenti Italiae, urbique nostrae periculo, si ille parricida cum suis latronibus, navibus ex Asia, Syriaque expulsus, Italiam petisset, mederi quum facile possent, voluerunt. Nonnullis etiam ipsi magistratus veniebant in suspicionem detinuisse nos, et demorati esse, dum classis Dolabellae certior fieret de adventu nostro. Quam suspicionem consecutae res aliquot auxerunt: maxime quod subito ex Lycia Sex. Marius, et C. Titius, legati Dolabellae, a classe discesserunt, navique longa profugerunt, onerariis reli-

---

rebat Lentulus clarius enuntiatur; duo enim magistratus nunc gerebat, proquaestoris et propraetoris. Ceterum vulgatae lectionis perplexitas induxit Weiskium ut *viros clarissimos et maximos magistratus gerentes*, quod fieri non potest, Rhodios intelligeret.

nullo exemplo] hoc referendum est ad sequentia, estque i. q. quod hucusque inauditum est.

neque vestro ex parte] Sic legendum, non ut vulgo *neque vestra ex parte*; ut *vestro* referatur ad *periculo* i. e. quod quodammodo ad vos quoque pertinebat.

neque nostro praesentium] i. e. meo; qui praesens aderam cum militibus meis. Sic Cicero pro Planco: *cui nomen meum absentis honori fuisset, ei meas praesentes preces non putas profuisse.* Ernestius correxit *praesenti*, quod scilicet opponeretur *imminenti*, quod sequitur. Verum hac correctione nihil opus est. Nam *praesentium* opponitur omisso *absentium*, quod latet *in vestro*. Nihil, inquit, movit Rhodios vestrum qui abestis, nec nostrum, qui praesentes eramus, periculum. Eoque simul ipso significatur periculum illud praesens fuisse; quum mox aliud periculum imminens Italiae urbique commemoretur.

voluerunt] Sic Manutius edidit e duobus MSS. Reliqui *noluerunt*, sensu, ei quo hic opus est, prorsus contrario; quod mirum est alios post Manutium pertinaciter servasse.

demorati esse] Recte hoc defendit Schellerus in animadv. ad vett. scriptores. Nominativus recte habet. Sic Dolabella ad Div. IX. 9. (h. ed. 389.) *etsi nullo tem-*

ctis: in quibus colligendis non minimum temporis, laborisque consumpserant.

Itaque quum ab Rhodo cum iis, quas habuera- 3 mus, navibus, in Lyciam venissemus, naves onerarias recepimus, dominisque restituimus: iidemque, quod maxime verebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam venire, timere desiimus. Classem fugientem persecuti sumus usque Sidam, quae extrema regio est provinciae meae. Ibi cognovi, partem navium Dolabellae diffugisse, reliquas Syriam Cyprumque petiisse. Quibus disiectis, quum scirem, C. Cassii, singularis civis et ducis, classem maximam fore praesto in Syriam, ad meum officium reverti: daboque operam, ut meum studium, diligentiam vobis, Patres conscripti, reique publicae praestem: pecuniamque, quam maximam potero, et quam celerrime cogam, omnibusque cum rationibus ad vos mittam. Si percurrero provinciam, et cognovero, qui nobis, et rei publicae fidem praestiterunt in conservanda pecunia a me deposita, quique scelere, ultro deferentes pecuniam publicam, hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt, faciam vos certiores. De quibus, si vobis videbitur, si, ut meriti sunt, graviter constitueritis, nosque vestra auctoritate firmaveritis: facilius et reliqua exigere vectigalia, et exacta servare poterimus. Interea quo commodius vectigalia tueri, provinciamque ab iniuria defendere possim, praesidium necessarium voluntariumque comparavi.

---

pore in suspicionem tibi debui venire — *suadere*, ubi post formulam *in suspicionem venire* non sequitur *me suadere* sed simpliciter *suadere*, ut nominativus intelligatur. *Weisk.* Nimirum Ernestius putabat accusativum *demoratos esse* requiri; ideoque malebat cum Graevio legere *demorari.*

consumpserant]. Bene hoc restituit Ernestius ex ed. Rom. Vulg. *consumserunt.*

3. *iidemque*] Vulgo *idemque.* Correxit Ernestius.

4 His literis scriptis, milites circiter xxx, quos Dolabella ex Asia conscripserat, e Syria fugientes in Pamphyliam venerunt. Hi nuntiaverunt, Dolabellam Antiocheam, quae in Syria est, venisse; non receptum, conatum esse aliquoties vi introire; repulsum semper esse cum magno suo detrimento. Itaque centum circiter amissis, aegris relictis, noctu Antiochea profugisse Laodiceam versus; ea nocte omnes fere Asiaticos milites ab eo discessisse; ex his ad octingentos Antiocheam rediisse, et se iis tradidisse, qui a Cassio relicti, urbi illi praeerant, ceteros per Amanum in Ciliciam descendisse: quo ex numero, se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copiis nuntiatum esse quatridui iter Laodicea abfuisse, tum quum Dolabella eo tenderet. Quamobrem opinione celerius confido sceleratissimum latronem poenas daturum. Quarto Nonas Iunias, Pergae.

EPISTOLA DCCCXLIII. (ad Div. XII. 14.)

Scr. Pergae IV. Non. Iun. A. U. C. 710.

Exponit res a se gestas; 1. Rhodios accusat; 2. procurationem Asiae petit; 3. merita sua in rem publ. commemorat. 4.

LENTULUS CICERONI SUO, S. P. D.

Quum Brutum nostrum convenissem, eumque tardius in Asiam venturum animadverterem: in Asiam redii, ut reliquias mei laboris colligerem, et pecuniam quam primum Romam mitterem. Interim cognovi, in Lycia esse classem Dolabellae, ampliusque centum naves onerarias, in quas exercitus eius imponi posset:

---

4. *in Pamphyliam*] ad urbem Pergam scilicet, uti has literas scripsit Lentulus. *Amanum*] montem inter Syriam et Ciliciam.

Ep. DCCCXLIII. 1. *quum Brutum nostrum convenissem*] cf. epist. 842.

1. *centum naves onerarias*] obsessas a classe Dolabellae,

idque Dolabellam ea mente comparasse, ut, si Syriae spes eum frustrata esset, conscenderet in naves, et Italiam peteret, seque cum Antoniis et reliquis latronibus coniungeret. Cuius rei tanto in timore fui, ut, omnibus rebus relictis, cum paucioribus et minoribus navibus ad illas ire conatus sim. Quae res, si a Rhodiis non essem interpellatus, fortasse tota sublata esset: tamen magna ex parte profligata est; quandoquidem classis dissipata est; adventus nostri timore milites, ducesque effugerunt; onerariae omnes ad unam a nobis sunt exceptae. Certe (quod maxime timui) videor consecutus, ut non possit Dolabella in Italiam pervenire, nec sociis suis firmatis durius vobis efficere negotium.

2 Rhodii nos et rem publicam quam valde desperaverint, ex literis, quas publice misi, cognosces. Et quidem multo parcius scripsi, quam re vera eos fa-

---

ut exercitu in eas imposito Italiam petere posset. Epist. seq. *Manut.*

Syriae spes eum frustrata] Cassio Syriam tenente. *Manut.*

ad illas] contra Dolabellae naves.

quae res] totum illud periculum significat, quod fuerat a Dolabella metuendum.

quandoquidem] sic plerique codd. melius, quam *quum quidem*, quod est in aliis, ut Dresd. I. 3. 5.

dissipata est] Ernestius correxit *esset*. Vulgatum *est* recte defendit Strothius, idemque Benedictus restituit. Esse enim debet idem tempus, quod est in *effugerunt*, et *sunt exceptae*.

quod maxime timui] Haec verba, quia sequitur, *consecutus*, aptius ponerentur, quod Strothius animadvertit, post verba *possit Dolabella*; neque tamen opus est transponi, quoniam *videor consecutus ut non possit*, ad sensum idem est, quod *videor prohibuisse ne possit*.

sociis suis] Antonianis.

2. *quam valde desperaverint*] quam insolentes erga nos fuerint, quod de re publ. et bonis partibus actum putarent.

et quidem multo parcius scripsi] Ante Manutium hic

cere inveni; quod vero scripsi, mirari noli. Mira est eorum amentia. Nec in me ullae privatim iniuriae umquam; malus animus eorum in nostram salutem, cupiditas partium aliarum, perseverantia in contemptione optimi cuiusque, ferenda mihi non fuit. Nec tamen omnes perditos esse puto. Sed iidem illi, qui tum fugientem patrem meum, qui L. Lentulum, qui

---

continuo sequebatur: *mirari noli.* Manutius autem addidit ex antiquo Vincentii Riccii libro *quam re verbis facere eos inveni; quod vero aliquid de his scripsi;* cum quo postea vidit consentire Sigonii librum, et quatuor praeterea codd. quos ipse habuit. Victorius ea non admisit, ex interpretatione fluxisse arbitratus. Lambinus vero, etsi in suis MSS. ea non invenit, nec sustulit, nec tollenda putavit. Idem nuper censuit Weiskius. Ac mihi quoque genuina videntur, nisi quod vocabula *aliquid de his* ut perperam inculcata delevi. Nam non *aliquid* sed multa eaque gravia in epistola publice missa (h. ed. 847.) scripsit Lentulus; et si scripsisset illud *aliquid*, ridicula fuisset excusatio. Quomodo enim, ut Benedicti verbis utar, Lentulus, quum Rhodii tam malum erga Romanos animum declarassent, in literis publicis, quae res a se gestas complectebantur, de iis tacere, nedum excusare apud Ciceronem mentionem de Rhodiis factam potuisset? Et hoc potissimum Benedictum permovit, ut ipse quoque illa verba genuina haud putaret. Sed nihil est offensionis, modo illa verba *aliquid de his*, quae facile potuerunt ex glossemate interlineari in textum immigrare, deleantur. Iam enim Lentulus nihil aliud dicit quam hoc: quae *vero* (in literis publice missis de Rhodiis) scripsi, ea mirari noli. Ceterum Weiskius bene monuit facile librarios illam ἐῤῥωσιν omittere potuisse, quum a priore *scripsi* ad alterum *scripsi* oculis aberrassent.

nec in me ullae privatim iniuriae umquam] subaudi *fuere.* Sic duo veteres libri et recte. *Manut.* Plerique ediderunt e MSS. aliis *nec me meae ullae privatim iniuriae unquam;* Corradus sine libris inculcavit *moverunt* post *iniuriae.*

fugientem patrem meum] ex pugna Pharsalica; Caesar III. de B. C. c. 102. *Manut.*

L. Lentulum] qui consul

Pompeium, qui ceteros viros clarissimos non receperunt, iidem, tamquam aliquo fato, et nunc aut magistratum gerunt, aut eos, qui sunt in magistratu, in sua habent potestate. Itaque eadem superbia in pravitate utuntur. Quorum improbitatem aliquando retundi, et non pari impunitate augeri, non solum utile est rei publicae nostrae, sed etiam necessarium.

De nostra dignitate, velim tibi ut semper curae 3
sit: et, quocumque tempore occasionem habueris, et in senatu, et in ceteris rebus laudi nostrae suffragere. Quando consulibus decreta est Asia, et permissum est iis, ut, dum ipsi venirent, darent negotium, qui Asiam obtineant: rogo te, petas ab iis, ut hanc dignitatem potissimum nobis tribuant, et mihi dent negotium, ut Asiam obtineam, dum ipsorum alteruter venerit. Nam, quod huc properent in magistratu venire, aut exercitum mittere, causam non habent. Dolabella enim in Syria est; et, ut tu divina tua mente prospexisti et praedicasti, dum isti venient, Cassius eum opprimet. Exclusus enim ab Antiochea Dolabella, et in oppugnando male acceptus, nulla alia confisus urbe, Laodiceam, quae est in Syria ad mare, se contulit. Ibi spero celeriter eum poenas daturum. Nam neque quo refugiat, habet: neque diutius ibi poterit

---

cum C. Marcello fuit anno primo civilis belli. *Manut.*

pari impunitate] Vulgo *pati impunitate.* Recte autem post Bengelium Ernestius *pari* scribendum esse censuit.

3. *Consulibus*] Pansae et Hirtio, quos Lentulus, quum hoc scribebat, obiisse nesciebat. *Manut.*

et ut tu divina tua mente] i. e. vera praesagiente, divinatrice; sic enim saepius usurpari *divinus* notissimum est. Weiskius e codicis Magd. vestigiis in quo est: *et ut tu tua divina tamen te*, extudit lectionem: *divinata mente*, eamque ut elegantissimam recepit, quae mihi quidem inaudita et σόλοικος videtur.

quae est in Syria] alia enim Laodicea erat in Asia.

tantum exercitum Caſſii ſuſtinere. Spero etiam confectum eſſe iam et oppreſſum Dolabellam. Quare non puto, Panſam et Hirtium in conſulatu properaturos in provincias exire, ſed Romae acturos conſulatum. Itaque ſi ab his petieris, ut interea nobis procurationem Aſiae dent, ſpero te poſſe impetrare. Praeterea mihi promiſerunt Panſa et Hirtius coram, et abſenti mihi ſcripſerunt, Verrioque noſtro Panſa affirmavit, ſe daturum operam, ne in ſuo conſulatu mihi ſuccedatur. Ego porro non, medius fidius, cupiditate provinciae produci longius ſpatium mihi volo. Nam mihi fuit iſta provincia plena laboris, periculi, detrimenti. Quae ego ne fruſtra ſubierim, neve prius, quam reliquias meae diligentiae conſequar, decedere cogar, valde laboro. Nam ſi potuiſſem, quam exegeram pecuniam, univerſam mittere: poſtularem, ut mihi ſuccederetur. Nunc, quod Caſſio dedi, quod Trebonii morte amiſimus, quod etiam crudelitate Dolabellae, aut perfidia eorum, qui mihi fidem, reique publicae non praeſtiterunt: id conſequi, et reficere volo. Quod aliter non poteſt fieri, niſi ſpatium habuero. Id, ut per te conſequar, velim, ut ſolet, tibi curae ſit.

4 Ego me de re publica puto eſſe meritum, ut non provinciae iſtius beneficium exſpectare debeam, ſed tantum, quantum Caſſius et Bruti, non ſolum illius facti periculique ſocietate, ſed etiam huius temporis

---

ſpero etiam] ſpem comprobavit eventus. Vellei. lib. II. c. 69. et alii. *Manut.*

reliquias] Quaenam hae ſint, ſtatim explicatur verbis, quae ſequuntur.

4. *quantum Bruti*] Marcus et Decimus.

illius facti periculique ſocietate] His verbis Lentulus fatetur ſe in eorum numero fuiſſe, qui adverſus Iulium Caeſarem conſpiraverant; etſi eius nomen ab iis qui coniuratorum nomina recenſuerunt, praeteritum videmus.

studio, et virtute. Primus enim ego leges Antonias fregi; primus equitatum Dolabellae ad rem publicam traduxi, Cassioque tradidi; primus delectus habui pro salute omnium contra coniurationem sceleratissimam; solus Cassio et rei publicae Syriam exercitusque, qui ibi erant, coniunxi. Nam nisi ego tantam pecuniam, tantaque praesidia, et tam celeriter Cassio dedissem, ne ausus quidem esset ire in Syriam; et nunc non minora pericula rei publicae a Dolabella instarent, quam ab Antonio. Atque haec omnia is feci, qui sodalis et familiarissimus Dolabellae eram; coniunctissimus sanguine Antoniis; provinciam quoque illorum beneficio habebam; sed, πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν, omnibus meis bellum primus indixi. Haec etsi adhuc

---

leges Antonianas] quas consul M. Antonius tulerat. *Manut.*

fregi] quia primus contra eas facere ausus est. Abrogavit enim Pansa consul, non Lentulus, e sententia Ciceronis. Phil. V. c. 4. *Manut.*

provinciam quoque — habebam] Mihi non videtur ullam provinciam Lentulus habuisse; quippe qui Asiae administrationem sibi a consulibus demandari postulet. *Provinciam* igitur usurpat pro quaestorio munere; sicuti quum dixit paullo ante: *Mihi fuit ista provincia plena laboris* etc. et infra: *quae extrema regio est provinciae meae.* Quum vero dicit *illorum beneficio* annum superiorem proximum significat, quo M. Antonius consul fuit, fratres autem eius praetor Caius, tribunus pl. Lucius. Nec vero ante Idus Martias, quo die necatus est Caesar ivit in provinciam Lentulus. Nam se affuisse, quum Caesar interficeretur ipse testatus est iis verbis: *illius facti periculique societate.* Ivit igitur post Caesaris necem Antoniorum beneficio, quum ex eorum voluntate administrarentur omnia. *Manut.*

πατρίδα — φιλῶν] *patriam meam magis amans.* Integrum senarium recitat Plutarchus ἐν τῷ πολιτικῶν παραγγελμάτων· φιλῶ τέκν᾽ ἀλλὰ πατρίδ᾽ ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ, quem dimidiatum et parva quadam mutatione Lentulus attulit. *Manut.*

non magnopere mihi tulisse fructum animadverto, tamen non despero: nec defatigabor permanere, non solum in studio libertatis, sed etiam in labore et periculis. Attamen si etiam aliqua gloria iusta et merita provocabimur, senatus et optimi cuiusque officiis: maiore cum auctoritate apud ceteros erimus, et eo plus prodesse rei publicae poterimus. Filium tuum, ad Brutum quum veni, videre non potui, ideo quod iam in hiberna cum equitibus erat profectus. Sed, medius fidius, ea esse eum opinione, et tua, et ipsius, et in primis mea causa, gaudeo. Fratris enim loco mihi est, qui ex te natus, teque dignus est. Vale. D. IIII Nonas Iun. Pergae.

EPISTOLA DCCCXLIV. (ad Div. XI. 26.)

Scr. III. Non. Iun. ex castris A. U. C. 710.

Sollicitus ob Antonii cum Lepido coniunctionem legiones quam primum sibi et stipendium mitti postulat.

D. BRUTUS IMP. M. T. CICERONI S. P. D.

In maximo meo dolore hoc solatio utor, quod intelligunt homines, non sine causa me timuisse ista, quae acciderunt. Ad senatum literas misi. Deliberent,

---

in hiberna] anno superiore, quo Lentulus ad Brutum venit. *Manut.*

ea opinione] i. e. existimatione et fama.

IIII. *Nonas Iunias*] Vere sic correxit Strothius vulg. IV. *Kalendas Iun.* Manifestum est ex subscriptione epistolae sequentis.

Epist. DCCCXLIV. *ad senatum literas misi*] Haec verba vulgo male transposita erant post *an, non decernant.* Hoc est πρότερον ὕστερον. Nam verba *deliberent utrum* et quae sequuntur necessario referuntur ad literas à Bruto ad senatum missas.

deliberent] scil. senatores.

utrum traiiciant legiones ex Africa, necne; et ex Sardinia* *; et Brutum arcessant, necne; et mihi stipendium dent, an non decernant. Crede mihi, nisi ista omnia ita fiant, quemadmodum scribo, magnum nos omnes adituros periculum. Rogo te, videte quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant. Et fide opus est, et celeritate. III Non. Iun. ex castris.

EPISTOLA DCCCXLV. (ad Div. XI. 21.)

Scr. Romae Prid. Non. Iun. A. U. C. 710.

Respondet epistolae Decimi Bruti, quae est h. ed. 837.

M. T. CICERONI, D. BRUTO IMP. S. P. D.

Dii isti Segulio malefaciant, homini nequissimo omnium, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt! Quid? tu illum tecum solum, aut cum Caesare? qui neminem praetermiserit, quicum loqui potuerit, cui non eadem ista dixerit! Te tamen, mi Brute, sic amo, ut debeo, quod istud, quidquid esset nugarum, me scire

---

et ex Sardinia et Brutum arcessant] Strothius, quia non constet legiones in Sardinia fuisse, quae traiici potuerint, rescripsit; *et ex Macedonia Brutum arcessant necne.* Sane probabiliter; eumque ipse imitatus essem, nisi, quod Weiskius monuit, fieri potuerit, ut post *ex Sardinia* quaedam verba interciderint. Strothii coniecturae favet hoc, quod, quum iam antea D. Brutus eadem postulasset, Cicero ei ep. 836. respondens tria tantum commemorat. 1. *Pecuniae quam desideras ratio potest haberi.* 2. *De Bruto arcessendo — tibi assentior.* 3. *Ex Africa legiones exspectantur.* Nihil de Sardinia. Ex eodem loco tamen perspicitur nihil opus esse h. l. addere *ex Macedonia.* Satis erat Decimum scribere: *Brutum arcessant nec ne.*

Epist. DCCCXLV. *dii isti Segulio*] qui dixerat Ciceronem de Caesare Octaviano dixisse, *laudandum adolescentem, ornandum, tollendum* ep. 837.

voluisti. Signum enim magnum amoris dedisti. Nam quod idem Segulius: veteranos queri, quod tu et Caesar in decemviris non essetis; utinam ne ego quidem essem! Quid enim molestius? Sed tamen, quum ego sensissem, de iis, qui exercitus haberent, sententiam ferri oportere: iidem illi, qui solent, reclamarunt. Itaque excepti etiam estis, me vehementer repugnante. Quocirca Segulium negligamus, qui res novas quaerit; non quo veterem comederit; nullam enim habuit; sed hanc ipsam recentem novam devoravit. Quod autem scribis, te, quod pro te ipso non facias, id pro me, ut timeas aliquid: omni te, vir optime, mihique carissime Brute, de me metu libero. Ego enim, quae provideri poterunt, non fallar in iis: quae cautionem non habebunt, de his non ita valde laboro. Sim enim impudens, si plus postulem, quam homini a rerum natura tribui potest. Quod mihi praecipis, ut caveam, ne timendo magis timere cogar; et sapienter, et amicissime praecipis. Sed velim tibi persuadeas, quum te

---

iidem illi qui solent] ut Servilius, Calenus.

excepti etiam] *etiam* h. l. reddendum *so gar*. Non solum non creati, sed etiam nominatim excepti estis, ne crearemini. *Stroth.*

qui res novas quaerit] Iocus ex ambiguo: partim enim significat, *qui novas res in re publica molitur*, partim, *qui novis lucris rem familiarem augere cupit.*

nullam enim habuit] egestatem Segulii significat, antequam novum illud lucrum, cuius statim mentionem facit, cepisset.

recentem novam] Bene distinxit Manutius; *recentem*, quae nuper fuerit, *novam* quae antea nunquam fuerit: Ait igitur pecuniam et nuper et primo loco Segulio obtigisse, quum antea prorsus fuerit egenus. Unde autem Segulius hanc pecuniam ceperit, utrum ex hereditate, an a Caesare donatam, haud constat.

ut timeas aliquid] Vulgo *ut de me timeas aliquid.* Superfluum illud *de me* auctore Gronovio expunximus.

constet excellere hoc genere virtutis, ut numquam extimescas, numquam perturbere, me huic tuae virtuti proxime accedere. Quamobrem neque metuam quidquam, et cavebo omnia. Sed vide, ne tua iam, mi Brute, culpa futura sit, si ego quidquam timeam. Tuis enim opibus et consulatu tuo, etiamsi timidi essemus, tamen omnem timorem abiiceremus: praesertim quum persuasum omnibus esset, mihique maxime, a te nos unice diligi. Consiliis tuis, quae scribis de quatuor legionibus, deque agris assignandis ab utrisque vestrûm, vehementer assentior. Itaque quum quidam de collegis nostris agrariam curationem ligurrirent; disturbavi rem, totamque vobis integram reservavi. Si quid erit occultius, et (ut scribis) reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te literae perferantur. Pridie Nonas Iunii.

EPISTOLA DCCCXLVI. (ad Div. XI. 24.)

Scr. Romae VIII. Id. Iun. A. U. C. 710.

Respondet epistolae Bruti quae est h. ed. 838.

CICERO D. BRUTO, S. P. D.

Narro tibi: antea subirascebar brevitati tuarum literarum. Nunc mihi loquax esse videor. Te igitur imitabor. Quam multa, quam paucis? Te recte valere, operamque dare, ut quotidie melius; Lepidum commode sentire; tribus exercitibus quidvis nos opor-

---

culpa futura sit] Non de illa culpa hic agitur, ut Manutius putabat, quod Decimus Antonium non celerius persecutus sit; sed potius facete Decimo blandiens excitat eum, ut omni opera elaboret, ut consulatum anno insequenti gerere possit; quod futurum non esset, si Antonius superior discederet.

collegis nostris] decemviris.

Epist. DCCCXLVI. *Lepidum commode sentire*] nempe, quum haec Cicero scribebat, nondum Romam per-

tere confidere. Si timidus essem: tamen ista epistola mi omnem metum absterfisses. Sed, ut mones, frenum momordi. Etenim qui, te incluso, omnem spem habuerim in te, quid nunc putas? Cupio iam vigiliam meam, Brute, tibi tradere: sed ita, ut ne desim constantiae meae. Quod scribis, in Italia te moraturum, dum tibi literae meae veniant: si per hostem licet, non erraris. Multa enim Romae. Sin adventu tuo bellum confici potest, nihil sit antiquius. Pecunia, expeditissima quae erat, tibi decreta est. Habes amantissimum Servium. Nos non desumus. IIX. Idus Iunias.

EPISTOLA DCCCXLVII. (ad Div. X. 23.)

Dat. Cularone ex finibus Allobrogum VIII. Id. Iun. A. U. C. 710.

Excusat se, quod Lepido crediderit; accepto de coniunctione Lepidi et Antonii nuntio suas copias retraxisse significat; Octavianum cum exercitu ad se venire cupit.

PLANCUS CICERONI.

Numquam mehercules, mi Cicero, me poenitebit maxima pericula pro patria subire, dum, si quid acciderit mihi, a reprehensione temeritatis absim. Confiterer imprudentia me lapsum, si umquam Lepido ex animo credidissem. Credulitas enim error est magis, quam culpa: et quidem in optimi cuiusque mentem facillime irrepit. Sed ego non hoc vitio

---

venerat Lepidi ad S. P. Q. R. epistola (h. ed. 840.) Nam Bruti epistolam (838.) datam Eporedia VIII. Kal. Iun. Cicero non prius quam duodecimo die videtur, h. e. Nonis Iuniis accepisse, cui postridie VIII. Id. Iun. his literis respondit. Itaque Lepidi epistola III. Kal. Iun. data Romam ante Idus Iunias perferri non potuit.

Servium] Bruti consobrinum ep. 778. Sunt qui legant *Servilium*, quod non est admittendum.

paene sum deceptus. Lepidum enim pulchre noram. Quid ergo est? Pudor me, qui in bello maxime est periculosus, hunc casum coëgit subire. Nam nisi uno loco essem, verebar, ne cui obtrectatorum viderer et nimium pertinaciter Lepido offensus, et mea patientia etiam alere bellum. Itaque copias prope in conspectum Lepidi Antoniique adduxi, quadragintaque millium pass. spatio relicto consedi, eo consilio, ut vel celeriter accedere, vel salutariter recipere me possem. Adiunxi haec, in loco eligendo, flumen oppositum ut haberem, in quo mora transitus esset; Vocontii sub manu ut essent, per quorum loca fideliter mihi pateret iter. Lepidus, desperato adventu meo, quem non mediocriter captabat, se cum Antonio coniunxit a. d. IIII. Kal. Iunias; eodemque die ad me castra moverunt; viginti millia pass. quum abessent, res mihi nuntiata est. Dedi operam deum benignitate, ut et celeriter me reciperem, et hic discessus nihil fugae simile haberet, non miles ullus, non eques, non quidquam impedimentorum amitteretur, aut ab illis ferventibus latronibus interciperetur. Itaque pridie nonas Iunias omnes copias Isaram traieci, pontesque, quos fece-

---

Epist. DCCCXLVII. *paene sum deceptus*] Ernestius negat se videre quid hic *paene* sit. At id non est ambiguum. Nempe non deceptus est Plancus Lentuli perfidia, sed paene deceptus. Mature enim caverat, ne detrimentum inde acciperet.

nisi uno loco essem] Recte sic edidit Strothius pro vulg. *si uno loco essem.* Supra enim scripserat ep. 827. *nisi uno loco metaremur.*

nimium pertinaciter] cf. ep. 827.

et mea patientia] quod paterer Antonium confirmari, nec me Lepido sine cunctatione iungerem. *Weisk.*

oppositum] inter me et hostes, ut si forte me persequi vellent, flumen iis moram obiiceret.

sub manu] in potestate mea.

ferventibus] Ita plurimi MSS. At in IV. codd. Manutii et Torg. *furentibus.*

ram, interrupi, ut ſpatium ad colligendum ſe homines haberent, et ego me interea cum collega coniungerem; quem triduo, quum has dabam literas, exſpectabam. Laterenſis noſtri et fidem, et animum ſingularem in rem publicam ſemper fatebor. Sed certe nimia eius indulgentia in Lepidum ad haec pericula perſpicienda fecit eum minus ſagacem. Qui quidem quum in fraudem ſe deductum videret, manus, quas iuſtius in Lepidi perniciem armaſſet, ſibi afferre conatus eſt. In quo caſu tamen interpellatus, et adhuc vivit, et dicitur victurus. Sed tamen de hoc mihi parum certum eſt. Magno cum dolore parricidarum elapſus ſum iis. Veniebant enim eodem furore in me, quo in patriam, incitati. Iracundias autem harum rerum recentes habebant: quod Lepidum caſtigare non deſtiteram, ut exſtingueret bellum; quod colloquia facta improbabam; quod legatos, fide Lepidi miſſos ad me, in conſpectum venire vetueram; quod C. Catium Veſtinum, tribunum militum, miſſum ab Antonio ad eum

---

elapſus ſum iis] Sic non *his*, ut vulgo, Mſ. meus et ed. Rom. Fortaſſe tamen et hoc eſt a gloſſatore. *Erneſti*.

colloquia facta] inter Lepidum et Antonianos.

legatos] Antonii.

fide Lepidi] Promiſerat Lepidus Antonii legatos, ab eo ad Plancum miſſos, incolumes eſſe reverſuros. *Manut*.

vetueram] Sic correxi e Mſſ. meo. Gu. I. et edd. pr. *Vetaveram* quia inſolentius eſt, recepit Victorius *Ern*. Nuper idem Benedictus reſtituit auctoritate Dr. 1. 2. Torg.

miſſum ab Antonio ad eum] nempe Lepidum. Vulgo erat *ad me*, quod eſt ineptum ad ſenſum. Erneſtius repoſuit *ad ſe*, quod referendum putabat ad *parricidas*. Verum parricidae hic dicuntur uterque, et Antonius et Lepidus. Ergo *ad ſe* nihil aliud ſignificaret poſſet, quam *ad Lepidum*. Idem tamen clarius enuntiatur, ſi cum nonnullis edd. legamus *ad eum*; quod Manutius quoque in duobus Mſſ. invenit et probavit.

cum literis, exceperam. In quo hanc capio voluptatem, quod certe, quo magis me petiverunt, tanto maiorem his frustratio dolorem attulit. Tu, mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem praesta; ut vigilanter nervoseque nos, qui stamus in acie, subornes. Veniat Caesar cum copiis, quas habet firmissimas; aut, si ipsum aliqua res impedit, exercitus mittatur; cuius ipsius magnum agitur periculum. Quidquid aliquando futurum fuit in castris perditorum contra patriam, hoc omne iam convenit. Pro urbis vero salute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur? Quod si vos istic non defueritis, profecto, quod ad me attinet, omnibus rebus abunde rei publicae satisfaciam. Te quidem, mi Cicero, in dies, mehercules, habeo cariorem: sollicitudinesque meas quotidie magis tua merita exacuunt, ne quid aut ex amore, aut ex iudicio tuo perdam. Opto ut mihi liceat iam praesenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora. Octavo Idus Iun. Cularone, ex finibus Allobrogum.

---

exceperam] i. q. *interceperam*, quod ipsum legitur in Dr. V. Asc. I. Nam quod Benedictus, qui lectionem *ad me* defendit, existimat verbum *exceperam* significare posse, *ceperam et in vincula duxeram*, non assentior.

subornes] instruas, iuves. *Ernesti.*

veniat Caesar] Octavianus.

Cularone] Ita Scaliger, Sirmondus, et Brimardus (de origg. Cularonens. in Thes. nov. instr. Muratoriano T. 1.) legendum censuerunt, quum libri Mss. fere omnes habeant *Civarone* (hodie *Cherom* in Sabaudia). Nomen *Cularonis* occurrit in Tabula Itineraria Peutingeri et in Notitia Imperii, quae Tribunum cohortis primae Flaviae Cularone in Sabaudia stationem habuisse docet. Ac Sirmondus quidem idem fuisse oppidum existimat, quod postea ab Imp. Gratiano dictum sit Gratianopolis; in quo tamen dubitationi locus esse videtur Mannerto V. C. Geogr. der Gr. u. Römer Tom. II. p. 90.

EPISTOLA DCCCXLVIII. (ad Div. X. 32.)

Scr. Cordubae VI. Id. Iun. A. U. C. 710.

Balbi quaestoris sui flagitia exponit, deinde quid pro re publ. egerit, narrat, et quid senatus se facere velit ut constituat, petit.

C. ASINIUS POLLIO, CICERONI.

Balbus quaestor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, maiore argenti coacto de publicis exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito, duxit se a Gadibus, et triduum tempestate retentus ad Calpen Kal. Iuniis traiecit sese in regnum Bogudis, plane bene peculiatus. His rumoribus utrum Gades referatur, an Romam, (ad singulos enim nuntios turpissime consilia mutat) nondum scio. Sed praeter furta et rapinas et virgis caesos socios, haec quoque fecit, ut ipse gloriari solet, eadem, quae C. Caesar. Ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum, histrionem, summo ludorum die annulo aureo donatum,

---

Epist. DCCCXLVIII. *Balbus*] Gaditanus, filius fratris L. Cornelii Balbi pro quo exstat Ciceronis oratio, Balbus minor, ut distinguatur a patre, dicitur ad Att. VIII. 9. 11. (h. ed. 332. 334.) et IX. 6. (h. ed. 347.) *Manut.*

de publicis exactionibus] quod quaestoris erat munus. *Manut.*

Gadibus] oppido in Hispania Baetica, cum portu; hodie *Cadix.*

Calpe] hodie *Gibraltar.*

Bogudis] Mauritaniae regis.

annulo aureo] quem qui non habebat, eques Romanus non erat, nec in quatuordecim gradibus in theatro sedebat. Visus est igitur Balbus histrionem ita velle equitem creare, ut Caesar Laberium, cui videbatur, coacto agere mimum suum, honorem equestris ordinis ademisse, rursus equitem donatis quingentis millibus nummum et annulo aureo creaverat. Sueton. Iul. c. 39. Macrob. Sat. II. 7. *Manut.*

in XIIII sessum deduxit. Tot enim fecerat ordines equestris loci. Quatuorviratum sibi prorogavit; comitia biennii biduo habuit, hoc est, renuntiavit, quos ei visum est; exsules reduxit, non horum temporum, sed illorum, quibus a seditiosis senatus trucidatus, aut expulsus est, Sex. Varo proconsule. Illa vero iam ne Caesaris quidem exemplo: quod ludis praetextam de suo itinere ad L. Lentulum proconsulem sollicitandum

---

Tot — loci] Theatri Romani consuetudinem imitatus. Nam in quatuordecim proximis gradibus lege Roscia equestris ordo separatim sedebat. *Manut.*

quatuorviratum] qui summus in municipiis magistratus erat, ut Romae consulatus. Erat autem municipium Gades. *Manut.*

prorogavit] Caesaris exemplo, qui sibi dictaturam prorogaverat. *Manut.*

biennii — quos ei visum est] ut Caesar iturus contra Parthos magistratus in tres annos creaverat. *Manut.*

exsules reduxit] Ut Caesar fere omnes lege Pompeia damnatos Caes. de B. C. lib. III. 1. Cic. Philipp. XIII. c. 12. *Manut.*

senatus] decuriones Gaditani. Is enim erat senatus in municipiis. *Manut.*

Sex. Varo proconsule] Etsi quis fuerit non satis certo constat, fortasse tamen is fuit Sex. Quintilius Varus, qui A. 696. praeturam gessit, et ex praetura anno sequenti Hispaniam pro consule obtinere potuit. Pighius autem erravit, quum illum Varum a. 710. proconsule Hispaniam rexisse dixit; ex hoc ipso enim huius epistolae loco apparet Vari proconsulatum non in hunc annum, sed in antiquiora tempora incidisse.

praetextam — posuit] fabulam praetextam agendam dedit. Est enim fabulae genus, in qua Romano argumento, praetextati viri, i. e. magistratus inducebantur. Unde Horat. in A. P. 288. *vel qui praetextas vel qui docuere togatas — Manut.*

de suo itinere ad L. Lentulum sollicitandum] L. Cornelius Lentulus cos. primo belli civilis anno Pompeium ex urbe fugientem secutus est, et cum eo postea in Graeciam transiit. Ad eum Balbus minor, antequam ex Italia discederet, cum literis, cum mandatis, cum promissione provinciae, si

posuit. Et quidem quum ageretur, flevit, memoria rerum gestarum commotus. Gladiatoribus autem Fadium quendam, militem Pompeianum, quia, quum depressus in ludum bis gratis depugnasset, auctore sese nolebat, et ad populum confugerat, primum Gallos equites immisit in populum: (collecti enim lapides sunt in eum, quum abriperetur Fadius;) deinde abstractum defodit in ludo, et vivum combussit: quum quidem pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum reiectis, inambularet, et illi misero

---

Romam revertisset, a Caesare missus est ad Att. VIII. 9. 11. IX. 6. (h. ed. 332. 334. 347.) Velleius autem lib. II. c. 51. transisse in Graeciam Balbum, et cum Lentulo saepe collocutum tradidit. *Manut.*

gladiatoribus] h. e. in certamine gladiatorum ut Att. II. 19. h. ed. ep. 45.

Fadium quendam] Graevius addidit *ob* ante *Fadium*, ut referretur huc *immisit* auctore I. F. Gronovio de pec. vet. IV. 1. sed contra libros. Nec est necesse. Est aliquid ἀνακολουθίας, cuius et alia exempla sunt. Deberet in illa lectione esse post: *deinde ipsum abstractum. Ern.*

Pompeianum] hoc additur, quia Balbus fuerat Caesarianarum partium.

depressus in ludum] per vim et fraudem arenae addictus, gladiator fieri coactus. Vid. notas meas ad Senecam de Ira III. 8. *Gron.*

gratis depugnasset] nulla mercede. Manutius hoc de ludicra pugna in ludo accepit, qua rudibus tantum batuebatur. Attamen nihil impedit, quo minus de seria pugna in arena intelligamus.

auctore sese] i. e. ipso iubente.

defodit in ludo] ut pars obrueretur humo, pars supra terram emineret, cuius modi exemplum a Carthaginiensibus editum Cato senior prodidit; *homines*, inquit, *defoderunt in terram dimidiatos ignemque circumposuerunt, ita interfecerunt* Gell. N. A. III. 14. *Manut.*

pransus nudis pedibus — ad tergum] Signa in tanto facinore summae insolentiae et securitatis. *Pransus*, ut Nero dicitur, dum inspiceret corpus matris suo iussu occisae, siti interim oborta, bibisse Suet. Ner. 34. *Nudis pedibus* i. e. sine cal-

quiritanti, *Civis Romanus natus sum*, responderet, *Abi nunc populi fidem implora.* Bestiis vero cives Romanos, in his circulatorem quendam auctionum, notissimum hominem Hispali, quia deformis erat, obiecit. Cum huiuscemodi portento res mihi fuit. Sed de illo plura coram. Nunc, quod praestat, quid me velitis facere, constituite. Tres legiones firmas habeo: quarum unam XXVIII quum ad se initio belli arcessisset Antonius hac pollicitatione, quo die in castra venisset, denarios quingenos singulis militibus daturum, in victoria vero eadem praemia, quae suis legionibus: quorum quis ullam finem, aut modum futurum putabit? incitatissimam retinui, aegre mehercules; nec retinuissem, si uno loco habuissem, utpote quum singulae quaedam cohortes seditionem fecerint. Reliquas quoque legio-

---

ceis, vel in solea, ut in convivio esse solebant. *Tunica soluta*, discinctus, quod parum virile Senec. Ep. 92. 114. *Manibus reiectis ad tergum* conversis retro et complicatis circa summos lumbos, ut nunc quoque solemus otiosi. *Gronov.*

quiritanti] Varro de L. L. V. 7. *quiritare dicitur is, qui Quiritium fidem clamans implorat.*

civis Romanus natus sum] *natus* legitur in multis vett. MSS. Manutius unius cod. auctoritate delevit, quem secutus est Lambinus. Sed defendi potest *natus*, quia plus est civem Romanum natum esse, quam si quis civis non fuerit, civitatem adeptum esse. Bene comparat Weiskius Pauli apostoli dictum ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι Act. XXII. 28. Fadio vero, quod idem coniicit, libera pertinacia usum, hoc verbo simul Balbo patriam ignobilem (erat enim Gaditanus) obiicere voluisse, non est verisimile.

circulatorem quendam auctionum] i. e. hominem, qui auctiones obire solebat, ut merces, quae ibi forte viliore pretio venirent, coëmeret, deinde cum lucro venditurus, *ein Trödler.*

nunc, quod praestat] Ita legitur in plurimis codd. Si vera est lectio, significat, *was vor allem vorgeht. Lambinus.*

putabit] Bene sic Gulielmus. Vulgo *putavit.*

nes non destitit literis, atque infinitis pollicitationibus incitare. Nec vero minus Lepidus ursit me et suis, et Antonii literis, ut legionem trigesimam mitterem sibi. Itaque quem exercitum neque vendere ullis praemiis volui, nec eorum periculorum metu, quae, victoribus illis, portendebantur, diminuere, debetis existimare retentum et conservatum rei publicae esse, atque ita credere, quodcumque imperassetis, facturum fuisse, sicut, quod non iussistis, feci. Nam et provinciam in otio, et exercitum in mea potestate tenui: finibus meae provinciae nusquam excessi. Militem non modo legionarium, sed ne auxiliarium quidem ullum quoquam misi: et, si quos equites decedentes nactus sum, supplicio affeci. Quarum rerum fructum satis magnum re publica salva tulisse me putabo. Sed res publica si me satis novisset, et maior pars senatus, maiores ex me fructus tulisset. Epistolam, quam Balbo, quum etiamnunc in provincia esset, scripsi, legendam tibi misi: etiam praetextam, si voles legere, Gallum Cornelium, familiarem meum, poscito. VI Idus Iunias, Corduba.

EPISTOLA DCCCXLIX. (ad Div. XII. 8.)

Scr. Romae mense Iunio A. U. C. 710.

Renovatum Lepidi scelere bellum esse queritur et Cassium ad liberandam rem publ. hortatur.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Scelus affinis tui, Lepidi, summamque levitatem et inconstantiam, ex actis, quae ad te mitti certo scio,

---

sicut quod non iussistis feci] Vulg. est: *si, quod iussistis, feci.* Optime autem Gronovius: *sicut, quod non iussistis, feci* nempe eodem animo erga rem publicam.

decedentes] de statione aut praesidiis meis. *Ernesti.*

praetextam] scil. fabulam illam, de qua supra.

Gallum Cornelium] Cornelium Gallum, poetam illum nobilem.

cognoſſe te arbitror. Itaque nos, confecto bello, ut arbitrabamur, renovatum bellum gerimus, ſpemque omnem in D. Bruto et Planco habemus; ſi verum quaeris, in te et in M. Bruto, non ſolum ad praeſens perfugium, ſi, quod nolim, adverſi quid acciderit, ſed etiam ad confirmationem perpetuae libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus, quae vellemus: ſed certos auctores non habebamus. Te quidem magnum hominem, et praeſenti iudicio, et reliqui temporis exſpectatione ſcito eſſe. Hoc tibi propoſito fac ut ad ſumma contendas. Nihil eſt tantum, quod non populus Romanus a te perfici atque obtineri poſſe iudicet. Vale.

EPISTOLA DCCCL. (ad Div. XII. 9.)

Scr. Romae menſe Iunio A. U. C. 710.

Res in Aſia geſtas Romae ignorari, ſummam vero rei publ. ſpem in Caſſio eiusque copiis poſitam eſſe ſcribit.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Brevitas tuarum literarum me quoque breviorem in ſcribendo facit: et, vere ut dicam, non ſatis occurrit, quid ſcribam. Noſtras enim res in actis perferri ad te certo ſcio; tuas autem ignoramus. Tamquam enim clauſa ſit Aſia, ſic nihil perfertur ad nos, praeter rumores de oppreſſo Dolabella, ſatis illos quidem conſtantes, ſed adhuc ſine auctore. Nos, confectum bellum quum putaremus, repente a Lepido tuo in ſummam ſollicitudinem adducti ſumus. Itaque perſuade

---

Epiſt. DCCCXLIX. *et in M. Bruto*] Ita legendum eſſe vidit Gronovius. Vulgo *et in meo Bruto.*

audiebamus, quae vellemus] oppreſſum a te; ep. ſequ. *Manut.*

obtineri] obtineri ab aliquo dicitur, quod ille tuetur, cui ſe parem praeſtat,

tibi, maximam rei publicae ſpem in te, et in tuis copiis eſſe. Firmos omnino exercitus habemus: ſed tamen, ut omnia, ut ſpero, proſpere procedant, multum intereſt te venire. Exigua enim ſpes eſt rei publicae; nam nullam non libet dicere; ſed, quaecumque eſt, ea deſpondetur anno conſulatus tui.* Vale.

EPISTOLA DCCCLI. (ad Div. XII. 13.)

Dat. Idib. Iun. Cypro a Crommyu - acride A. U. C. 710.

Gratulatur de Mutinenſi victoria et res a ſe geſtas exponit.

CASSIUS Q. S. D. M. CICERONI.

Si vales, bene eſt: valeo. Quum rei publicae

---

ut honores, provinciam et ſimilia. *Erneſti.*

Epiſt. DCCCL. *firmos exercitus*] Planci, et D. Bruti.

deſpondetur] ſi qua eſt ſpes recuperandae rei publ. ea hominum iudicio maxime nititur conſulatu tuo. Conſules autem M. Brutus et C. Caſſius deſignati erant in annum abhinc tertium V. C. 712.

Epiſt. DCCCLI. CASSIUS] Quis hic Caſſius fuerit incertum eſt. Frater C. Caſſii procoſ. Quintus eſſe non poteſt; hic enim Hiſpaniam ſortitus erat. Fuerunt, qui Caſſium Parmenſem putarent, quem Appianus de B. C. V. I. 711. a Bruto et Caſſio in Aſia relictum eſſe perhibet; cuius tamen opinionis nullum ſubeſt fundamentum. Probabilius eſt eſſe L. Caſſium, Caſſii Procoſ. ex fratre nepotem, quem narrat Appianus lib. IV. de B. C. in praelio Philippenſi data opera usque ad necem pugnaſſe. Nam quod Strothio in mentem venit, hanc epiſtolam a Lentulo ſcriptam eſſe, eodem cuius ſunt epiſtolae 842. 843. id propterea admitti non poteſt, quod Lentulus ille a. d. IV. Non. Iun. Pergae in Pamphylia illas epiſtolas dedit, ſcripſitque ſibi propoſitum eſſe totam provinciam ad exigendas pecunias percurrere; ideoque nullo modo poteſt Idibus Iuniis in Cypro fuiſſe. Accedit quod ſi Lentulus hanc epiſtolam ſcripſiſſet, mentionem feciſſet ſuperioris epiſtolae IV. Nonas, i. e. duodecim diebus

vel salute, vel victoria gaudemus: tum instauratione tuarum laudum, quod maximus consularis maximum consulem te ipse vicisti, et laetamur, et mirari satis non possumus. Fatale nescio quid tuae virtuti datum; idque saepe iam experti sumus. Est enim tua toga omnium armis felicior: quae nunc quoque nobis paene victam rem publicam ex manibus hostium eripuit ac reddidit. Nunc ergo vivemus liberi: nunc te, omnium maxime civis, et mi carissime, id quod maximis rei publicae tenebris comperisti, nunc te habebimus testem nostri, et in te, et in coniunctissimam tibi rem publicam amoris: et, quae saepe pollicitus es, te et taciturum, dum serviremus, et dicturum de me tum, quum mihi profutura essent: nunc illa non ego quidem dici tantopere desiderabo, quam sentiri a te ipso. Neque enim omnium iudicio malim me a te commendari, quam ipsi tuo iudicio digne, ac mereor, commendatus esse: ut haec novissima nostra facta, non subita, nec inconvenientia, sed similia illis cogitationibus,

---

ante ad Ciceronem scriptae.

victoria] Mutinensi. Sero enim huius victoriae nuntius in Asiam pervenerat.

idque] Sic MS. meus et alii. Item edd. Rom. Verr. 1469. 1471. At Med. *id quod*, ut Victorius edidit. Illud melius restituitque et Graevius. *Ernesti.* Benedictus item in Dresd. 1. 2. reperit *idque.*

maximis] Ita recte Graevius Ernestiusque corrigendum censuerunt. Vulgo *maxime.*

ipsi tuo iudicio] Vulg. *ipso tuo iudicio* sine dubio vitiosum. Verissime igitur Ernestius emendavit *ipsi tuo iudicio.* Hoc enim opponitur antecedenti *omnium iudicio.*

ac mereor] Quia durior est forma loquendi, Ernestius ex glossa natum suspicabatur. Weiskio placebat *digne et ut mereor.*

novissima nostra facta] sunt ea quae paulo post enarrat. Non enim, quod Manutius putabat, ad Caesaris caedem referendum.

inconvenientia] Ita in compluribus Manutii codd. MSS. legebatur. Duo alii habebant *disconvenientia.*

illis cogitationibus] de re

quarum tu testis es, fuisse iudices, meque ad optimam spem patriae non minimum tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi, M. Tulli, liberi, propinquique, digni quidem te, et merito tibi carissimi. Esse etiam debent in re publica proxime hos cari, qui studiorum tuorum sunt aemuli, quorum esse cupio tibi copiam. Sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi vacet me excipere, et ad omnia, quae velis et probes, producere. Animum tibi nostrum fortasse probabimus. Ingenium diutina servitus, certe, qualecumque est, minus tamen, quam erat, passa est videri. Nos ex ora maritima Asiae provinciae, et ex insulis, quas potuimus, naves deduximus. Delectum remigum, magna contumacia civitatum, tamen satis celeriter habuimus. Secuti sumus classem Dolabellae, cui Lucilius praeerat: qui spem saepe transitionis praebendo, neque umquam non recedendo, novissime

---

publica Caesare tyranno liberanda.

producendum putes] Ex hoc loco intelligitur scriptorem huius epistolae adolescentem fuisse; eamque probabilius L. Cassio C. Cassii ex fratre nepoti, quam ipsi eius fratri attribui.

esse copiam] quos esse multos cupio. *Gronov.*

probabimus] Ernestius cum Manutio et Graevio correxit *probavimus*, quia scil. sermo sit de tempore praeterito. At hoc ipsum negamus. Sensus enim est: si mihi contigerit, ut me, quod maxime cupio, ex ingenti turba clientium tuorum excipias, et ad omnia, quae velis et probes, perducas, animum meum tibi fortasse probabo; de ingenio nihil magnopere promitto, quod adhuc in diutina servitute incultum iacuit.

Lucilius] Appianus de B. C. IV. 60. praefectum classis Dolabellae L. Figulum vocat. Itaque h. l. vel *Lucius*, ut Manutio placebat, vel *L. Figulus* legendum videtur.

recedendo] Sic legendum esse vidit Gronovius pro vulg. *decedendo*, sensumque verborum optime sic exposuit: qui simulabat identidem sese iam deditur̄um et

Corycum se contulit, et clauso portu se tenere coepit. Nos illa relicta, quod et in castra pervenire satius esse putabamus, et sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tillius Cimber compararat, cui Turulius quaestor praeerat; Cyprum petivimus. Ibi quae cognovimus, scribere ad vos quam celerrime voluimus. Dolabellam, ut Tarsenses, pessimi socii, ita Laodiceni, multo amentiores, ultro arcessierunt: ex quibus utrisque civitatibus, Graecorum militum numero, speciem exercitus effecit. Castra habet ante oppidum Laodiceam posita, et partem muri demolitus est, et castra oppido coniunxit. Cassius noster cum decem legionibus et cohortibus viginti auxiliariis et quatuor millium equitatu a millibus passuum viginti, castra habet posita Πάλτῳ: et existimat, se sine praelio posse vincere. Nam iam ternis tetradrachmis triticum apud Dolabellam est; nisi quid navibus Laodicenorum supportarit, cito fame pereat necesse est. Ne supportare possit, et Cassii classis bene magna, cui praeest Sextilius Rufus, et tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, Patiscus, facile praestabunt. Et volo vos bene sperare, et rem publicam, ut et vos istic expediistis, ita pro nostra parte celeriter vobis expediri posse, confidere. Vale. Data Idibus Iun. Cypro, a Crommyu - acride.

---

ad nos accessurum, et tamen ulterius semper recedebat.

Corycum] oppidum et portum Ciliciae.

Cassius noster] C. Cassius proconsul. Si hanc epistolam L. Cassius C. frater scripsisset, non *Cassius noster* ut opinor, sed C. *frater* scripsisset.

Πάλτῳ] Paltus Syriae oppidum, Laodiceae primum.

ternis tetradrachmis triticum] Medimnus tritici vendebatur duodenis drachmis, s. denariis Romanis. Itaque si ad nostram mensuram et pecuniam exigas, medimnus, qui paulo maior erat modio Berolinensi, vendebatur duobus thaleris ac dimidio nostri argenti.

Crommyu - acride] Κρομμύου ἄκρα Cypri promonto-

EPISTOLA DCCCLII. (ad Div. XI. 25.)

Scr. Romae XIV. Kal. Quintil. A. U. C. 710.

Omnem rei publ. ſpem in D. Bruto et Planco poſitam eſſe, de M. Bruto autem nihil certi audiri ſcribit.

M. T. CICERO D. BRUTO, S. P. D.

Exſpectanti mihi tuas quotidie literas, Lupus noſter ſubito denuntiavit, ut ad te ſcriberem, ſi quid vellem. Ego autem, etſi, quid ſcriberem, non habebam: acta enim ad te mitti ſciebam; inanem autem ſermonem literarum tibi iniucundum eſſe audiebam; brevitatem ſecutus ſum, te magiſtro. Scito igitur, in te et in collega ſpem omnem eſſe. De Bruto autem nihil adhuc certi; quem ego, quemadmodum praecipis, privatis literis ad bellum commune vocare non deſino; qui utinam iam adeſſet! inteſtinum urbis malum, quod eſt non mediocre, minus timeremus. Sed quid ago? Non imitor λακωνισμὸν tuum! altera iam pagella procedit. Vince, et vale. XIV Kal. Quintiles.

---

rium eſt, auctoribus Strabone et Ptolemaeo. Ἀκρὶς autem diminutiva forma dictum. *Manut.*

Epiſt. DCCCLII. *collega*] Planco.

de Bruto] De Marco Bruto.

inteſtinum urbis malum] Erant enim, qui Octavianum interfectis Panſa et Hirtio coſſ. ad petitionem conſulatus impellerent. *Manut.*

λακωνισμὸν] laconicam brevitatem.

altera iam pagella] Ergo in codicillis breve hoc epiſtolium ſcriptum fuerit neceſſe eſt; quod vidit Manutius.

EPISTOLA DCCCLIII. (ad Div. XII. 10.)

Scr. Romae initio Quintilis A. U. C. 710.

Lepidum hostem iudicatum scribit, M. que Brutum et Cassium in quibus iam praeter consules designatos summa spes sit rei publ., in Italia exspectari ostendit.

M. T. CICERO C. CASSIO, S. P. D.

Lepidus, tuus affinis, meus familiaris, pridie Kal. Quintiles sententiis omnibus hostis a senatu iudicatus est, ceterique, qui una cum illo a re publica defecerunt: quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Kal. Septemb. potestas facta est. Fortis sane senatus, sed maxima spes subsidii tui. Bellum quidem, quum haec scribebam, sane magnum erat scelere et levitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie, quae volumus, audimus; sed adhuc sine capite, rumore nuntio. Quod quum ita esset, tamen literis tuis, quas Nonis Maii ex castris datas acceperamus, ita persuasum erat civitati, ut illum iam oppressum omnes arbitrarentur, te autem in Italiam venire cum exercitu: ut, si haec ex sententia confecta essent, consilio atque auctoritate tua; sin quid forte titubatum, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. Quem quidem ego exercitum quibuscumque potero rebus ornabo; cuius rei tum tempus erit, quum, quid opis rei publicae laturus is exercitus sit, aut quid iam tulerit, notum esse coeperit. Nam adhuc tantum conatus audiuntur, optimi illi qui-

---

Epist. DCCCLIII. *sine capite*] Vulgo additur *sine auctore;* quod ex interpretatione verborum *sine capite* natum recte Ernestius iudicavit.

quod quum ita esset, tamen] quamquam de Dolabella oppresso rumores tantum erant allati, tamen ex literis tuis persuasum erat omnibus, ut illum oppressum arbitrarentur. Itaque nihil opus est cum Gronovio particulam *tamen* in *tum* convertere.

dém et praeclarissimi, sed gesta res exspectatur: quam quidem aut iam esse aliquam, aut appropinquare confido. Tua virtute et magnitudine animi nihil est nobilius. Itaque optamus, ut quam primum te in Italia videamus. Rem publicam nos habere arbitrabimur, si vos habebimus. Praeclare viceramus, nisi spoliatum, inermem, fugientem Lepidus recepisset Antonium. Itaque numquam tanto odio civitati Antonius fuit, quanto est Lepidus. Ille enim ex turbulenta re publica, hic ex pace et victoria bellum excitavit. Huic oppositos consules designatos habemus: in quibus est magna illa quidem spes, sed anceps cura, propter incertos exitus proeliorum. Persuade tibi igitur, in te et in Bruto tuo esse omnia; vos exspectari; Brutum quidem iam iamque. Quodsi, ut spero, victis hostibus nostris veneritis: tamen auctoritate vestra res publica exsurget, et in aliquo statu tolerabili consistet. Sunt enim permulta, quibus erit medendum; etiamsi res publica satis esse videbitur sceleribus hostium liberata. Vale.

---

gesta res] Dolabella oppressus. *Manut.*

consules designatos] Decimum Brutum et Plancum.

Brutum quidem iam iamque] Propius enim aberat, quum esset in Macedonia, quam Cassius, qui in Syria. *Manut.*

auctoritate vestra] consiliis et sententiis in senatu dicendis. Ut supra: *consilio atque auctoritate tua.*

quibus erit medendum] domestica vitia notat et intestinum malum. *Manut.*

sceleribus hostium liberata] nimirum illis prorsus victis et debellatis.

EPISTOLA DCCCLIV. (ad Div. X. 24.)

Scr. in castris V. Kal. Sext. A. U. C. 710.

Memorem se beneficiorum pollicetur; suas copias narrat: subsidium Caesariani aut Africani exercitus poscit, Octavianum ut parum rei publ. amantem carpit.

PLANCUS IMP. COS. DES. S. D. CICERONI.

Facere non possum, quin in singulas res meritaque tua tibi gratias agam. Sed mehercule facio cum pudore. Neque enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionem. Neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungar orationis: et malo praesens observantia, indulgentia, assiduitate, memorem me tibi probare. Quod si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates, in tua observantia, indulgentia, assiduitate vincam. Amor enim tuus ac iudicium de me utrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie sit allaturus, non facile dixerim. De militum commodis, fuit tibi curae; quos ego non potentiae meae cau-

---

Epist. DCCCLIV. *et malo — vincam*] Elegantius ista procederent, ita scripta: *et malo praesens eorum memorem me tibi probare, ut, si mihi vita contigerit omnes gratas amicitias atque etiam pias propinquitates tui observantia, indulgentia, assiduitate vincam.* Certe haec tria verba *observantia, indulgentia, assiduitate* bis in duabus sententiis proxime se consequentibus posita, ingratam prodant scriptoris negligentiam.

de militum commodis] commoda proprie dicuntur in re militari dona et praemia quae militibus praeter stipendium tribuuntur. Ovid. de Arte Am. I. 130. *Romule militibus scisti dare commoda solus — Graev.*

sa, nihil enim me non salutariter cogitare scio, ornari volui a senatu: sed primum, quod ita meritos iudicabam; deinde, quod ad omnes casus coniunctiores rei publicae esse volebam; novissime, ut ab omni omnium sollicitatione aversos eos tales vobis praestare possem, quales adhuc fuerunt. Nos adhuc hic omnia integra sustinuimus. Quod consilium nostrum, etsi, quanta sit aviditas hominum, non sine causa talis, victoriae, scio, tamen vobis probari spero. Non enim, si quid in his exercitibus sit offensum, magna subsidia res publica habet expedita, quibus subito impetu ac latrocinio parricidarum resistat. Copias vero nostras notas tibi esse arbitror. In castris meis legiones sunt veteranae tres; tironum vel luculentissima ex omnibus una; in castris Bruti una veterana legio, altera bima, octo tironum. Ita universus exercitus, numero amplissimus est, firmitate exiguus. Quantum autem in acie tironi sit committendum, nimium saepe expertum habemus. Ad hoc robur nostrorum exercituum, sive Africanus exercitus, qui est veteranus, sive Caesaris accessisset, aequo animo summam rem publicam in discrimen deduceremus. Aliquanto autem propius esse, quod ad Caesarem attinet, videbamus. Nihil destiti eum lite-

---

cogitare scio] Weiskius coniecit legendum esse: *cogitare scis.*

sollicitatione] Antonii et Lepidi.

non sine causa talis, victoriae] Vulgo sic interpungitur: *non sine causa, talis victoriae.* At quid sibi velit *talis victoria?* Plancus hoc significat, *etsi scio quanta sit hominum aviditas victoriae, non sine causa talis,* i. e. tanta, aut tam magna.

impetu] Sic edd. pr. et Ms. meus. Male Corradus *impetui*, ut habet Gu. 2. *Ernesti.* Vid. Gell. N. A. lib. IV. c. 16.

in discrimen] proelii adversus Antonium et Lepidum.

aliquando — videbamus] Si vera est lectio, significat Plancus, se videre propius

ris hortari; neque ille intermisit affirmare, se sine mora venire; quum interim aversum illum ab hac cogitatione ad alia consilia video se contulisse. Ego tamen ad eum Furnium nostrum cum mandatis literisque misi, si quid forte proficere posset. Scis tu, mi Cicero, quod ad Caesaris amorem attinet, societatem mihi esse tecum; vel quod in familiaritate Caesaris, vivo illo, iam tueri eum, et diligere fuit mihi necesse; vel quod ipse, quoad ego nosse potui, moderatissimi, atque humanissimi fuit sensus; vel quod ex tam insigni amicitia mea, atque Caesaris, hunc filii loco, et illius, et vestro iudicio substitutum, non proinde habere, turpe mihi videtur. Sed, quidquid tibi scribo, dolenter mehercule magis, quam inimice facio. Quod vivit Antonius hodie, quod Lepidus una est, quod exercitus habent non contemnendos, quod sperant, quod audent; omne Caesari acceptum referre possunt. Neque ego superiora repetam. Sed ex eo tempore, quo ipse mihi professus est se venire, si venire voluisset, aut oppressum iam bellum esset, aut in adversissimam illis

---

aliquanto discrimen s. periculum a parte Caesaris imminere. Lambinus correxit: *Aliquanto illum propius esse e re publica esse videbamus*. Idem testatur viro cuidam docto placuisse: *aliquanto autem propius Caesarem esse nolebamus*. Utrumque sequentibus satis bene convenit. Strothius edidit: *Aliquanto autem propius esse quod Caesarem videbamus*.

ad Caesaris amorem] Octaviani.

familiaritate Caesaris] C. Iulii Caesaris.

non proinde habere] Scio *proinde* pro *perinde* dici; sed vix in hac forma; putoque *perinde* scribendum. Et sic est in edd. Rom. Med. *Ernesti*.

adversissimam illis] Revocavi *illis*, quod iam olim in edd. compluribus legebatur. Nam quum antecedat pluralis in *habent*, *sperant*, *audent*, et statim plurali numero dicatur *eorum*; concinnius est *illis*, ut simul ad

Hispaniam cum detrimento eorum maximo detrusum. Quae mens eum, aut quorum consilia a tanta gloria, sibi vero etiam necessaria ac salutari, avocarint, et ad cogitationem consulatus bimestris, summo cum terrore hominum et insulsa cum efflagitatione transtulerit, exputare non possum. Multum in hac re mihi

---

Antonium et Lepidum referatur. Qui *illi* praeferunt, de solo Lepido intelligi volunt, cui provincia Hispania antea erat decreta. *Adversissimam* autem Antonio et Lepido Hispaniam dicit, quod ibi incidebant in Asinii Pollionis exercitum. Benedictus reposuit *aversissimam* i. e. remotissimam, quod legitur in Victorii et quibusdam Manutii libris, item in Dresd. 1. 2. 3. Idem vero errat, quum *illi* ad Octavianum refert, eoque argumento utitur, quo alteram lectionem *adversissimam* ineptam esse doceat; quum non appareat, cur Hispania dicatur Octaviano adversissima. Atque si *aversissimam* verum esset, non opus esset interpretari remotissimam; posset enim significare ut saepius, abalienatam, quod fere idem esset atque *adversissimam*.

extrusum] Sic Palat. VI. Hittorp. ed. Verr. 1469. Mediol. Quaedam edd. *detrusum*.

ad cogitationem consulatus] Hoc enim tempore in mentem venerat Octaviano consulatum petere; missis quadringentis ad senatum militibus, qui consulatum sibi exercitus nomine deposcerent.

bimestris] aut *quinquemestris* legendum, quum quinque menses, non duo, superessent ad exitum anni, ut dies huius epistolae adscripta declarat; aut *bimestris* dixit pro *exigui temporis*, quod vidit etiam Rutilius. *Manut.* Praeterea Plancus cogitare poterat, antequam Octavianus consul crearetur, facile aliquot menses huius anni praeterlapsuros, ut summum duo menses ad gerendum consulatum superfuturi essent.

cum terrore hominum et insulsa efflagitatione] notatur Octaviani factum, quo consulatum invadere cupiebat, missis quadringentis ad senatum militibus qui hunc honorem illi exposcerent. Ac fortasse Plancus hoc quoque iam audiverat, Cornelium centurionem principem

videntur neceſſarii eius, et rei publicae, et ipſius cauſa proficere poſſe: plurimum, ut puto, tu quoque: cuius ille tanta merita habet, quanta nemo praeter me. Nunquam enim obliviſcar, maxima ac plurima me tibi debere. De his rebus, ut exigeret cum eo, Furnio mandavi. Quod ſi, quantam debeo, habuero apud eum auctoritatem, plurimum ipſum iuvero. Nos interea duriore conditione bellum ſuſtinemus, quod neque expeditiſſimam dimicationem putamus: neque tamen refugiendo commiſſuri ſumus, ut maius detrimentum res publica accipere poſſit. Quod ſi aut Caeſar ſe reſpexerit, aut Africanae legiones celeriter

---

legationis, quum ſenatus tergiverſaretur, reiecto ſagulo oſtenſoque gladii capulo in curia dixiſſe: *hic faciet ſi vos non feceritis*, quod narrat Suetonius Aug. c. 26. Dio Caſſ. XLVI. Quod Plancus dicit *de terrore hominum*, accipiendum ut opinor, de his centurionis minis. Illam enim trepidationem et pavorem, quem Appianus narrat III. 89. in urbe exortum eſſe, quum Octavianus, audito a legatis Senatus reſponſo, legiones ſuas urbi admoveret, nondum videtur Plancus audiſſe, quum hanc epiſtolam ſcriberet.

neceſſarii eius] In primis L. Marcius Philippus vitricus, et C. Claudius Marcellus eius ſororis vir. Philipp. III. *Manut.*

tanta merita] Merita Ciceronis in Octavium vide Phil. V. et XIV. *Manut.*

exigeret] i. e. ageret. *Manut.* Lambinum, qui reponi volebat *ageret*, Gronovius exemplis aliorum locorum refutavit, ubi *exigere* ponitur pro *agere*, ut Plin. Epiſt. V. 12. IX. 28.

ipſum iuvero] nam ipſius quoque periculum agitur. *Manut.*

neque expeditiſſimam] i. e. non ſatis tutam, ſed potius difficilem et ancipitem.

quod ſi aut Caeſar ſe reſpexerit] Ita profecto non ſcripſiſſet Plancus, ſi iam reſciſſet Caeſarem Octavianum legiones ſuas urbi admoviſſe, ut vi aperta conſulatum ſibi extorqueret.

Africanae legiones] Hae paulo poſt accitae a ſenatu

venerint, ſecuros vos ab hac parte reddemus. Tu, ut inſtituiſti, me diligas rogo, proprieque tuum eſſe, tibi perſuadeas. V Kal. Sext. ex caſtris.

---

venerunt; earumque adventus animos addidit ſenatui, ut eum conſternationis ſuae, eorumque, quae Octaviani legionibus conceſſiſſent, poeniteret, fieretque decretum de urbe adverſus earum impetum defendenda.

V. Kal. Sextil.] Dresd. 1. 2. Torg. Lipſ. Pal. 1. Amſt. Guelf. 2. Gorl. omittunt nomen *Sextil.* Et Graevius itemque Erneſtius, qui, quod Plancus de *bimeſtri conſulatu* Octaviani ſcripſerat, ſic accipiebant, quaſi eſſet ſic intelligendum, a die huius epiſtolae non plures duobus menſibus ad anni finem ſupereſſe, genuinum non eſſe Sextilis nomen arbitrabantur. Enimvero ſi Plancus tantum ſcripſiſſet *V. Kal.* eſſet tamen *quintus Kalendas Sextiles* intelligendus. Nam prid. Kal. Quintil. Lepidus hoſtis eſt iudicatus. Nec prius, quam id SCtum factum eſſet, Octavianus petere conſulatum coepit, quadringentis illis militibus ad ſenatum miſſis. Neque vero *Kal. Sept.* intelligi poſſunt; quum teſte Dione lib. XVI. Octavianus conſulatum adierit poſtridie Idus Sextiles ſ. die XIX menſis Sextilis, ſ. Auguſti.

M. T. CICERONIS
EPISTOLAE
ANNIS INCERTIS
SCRIPTAE.

EPISTOLA DCCCLV. (ad Div. XVI. 26.)

Scripta fortasse illo tempore, quo Q. Cicero Asiam propraetore regebat.

Negligentiam in mittendis epistolis Tironi iocose exprobrat.

Q. CICERO TIRONI SUO S. P. D.

Verberavi te cogitationis tacito duntaxat convicio, quod fasciculus alter ad me iam sine tuis literis perlatus est. Non potes effugere huius culpae poenam te patrono. Marcus est adhibendus: isque diu et multis lucubrationibus commentata oratione, vide ut probare possit, te non peccasse. Plane te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quae lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim essent exsiccatae: sic tu, etiamsi, quod scribas, non habebis, scribito tamen, ne furtum cessatione quaesivisse videaris. Valde enim mi semper et vera et dulcia tuis epistolis nuntiantur. Ama nos, et vale.

Epist. DCCCLV. *te patrono*] Recte hanc lectionem restituit Benedictus auctoritate codd. Lips. Dresd. 2. 4. 5. Asc. I. Victorius, quem Graevius et Ernestius secuti sunt, edidit: *poenam. De patrono.* Sed *te patrono* significat: *si tu ipse causam tuam agere velis.*

vide ut probare possit] i. e. vix est ut probare possit. Off. III. 29. *videant ne latebra quaeratur* i. e. vix est ut non quaeratur. *Gronov.*

furtum cessatione] Sic rescripsi pro vulg. *furtum cessationis.* Nam huius quidem nullus est sensus. Sed si legatur *cessatione*, exit sententia, quam Weiskius bene sic exposuit, etsi vulgata lectione nihil offensus: *ne sub excusatione, quod inanem epistolam mittere nolueris, mihi aliquando plenam furto retineas;* vel, ut pressius enuntiemus, ne cessatione tua in suspicionem venias, te mihi plenam epistolam furari vo-

EPISTOLA DCCCLVI. (ad Div. V. 16.)

Scripta fortasse A. U. C. 706.

Consolatur Titium obitum filii filiaeve aut plurium liberorum immoderatius lugentem.

M. T. CICERO S. D. TITIO.

Etsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen, quum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus, statui nostrae necessitudinis esse, meaeque in te benivolentiae, non tacere tanto in tuo moerore tamdiu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae levare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio pervulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus, homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra; neque esse recusandum, quo minus ea, qua nati sumus, conditione vivamus: neve tam graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possimus; eventisque aliorum memoria repetendis, nihil

---

luisse, hac interim excusatione usus, te nihil habuisse quod scriberes.

Epist. DCCCLVI. *Titio*] ad C. Titium L. F. Rufum ad quem est epistola 58. lib. XIII. (h. ed. 248.) A. V. C. 703. praetorem urbanum Glandorpius retulit annott. in Cic. Epist. 165.; ad T. Titium Pompeii legatum cui inscripta est ep. 75. lib. XIII. (h. ed. ep. 181.) Ernestius; ad alios alii, ut Schmiederus in libro: *hist. philol. Bemerkungen zur Erl. der Briefe Cic.* p. 330. ad equitem nescio quem Romanum Ciceronis familiarem. In scriptis libris meis et in impressis veteribus praenomen non additur. *Titi* fuisse, haustum a syllaba sequente non mala coniectura est Weiskii p. 134. *Martyni-Laguna.*

accidisse nobis novi cogitemus. Neque hae, neque ceterae consolationes, quae sunt a sapientissimis viris usurpatae, memoriaeque literis proditae, tantum videntur proficere debere, quantum status ipse nostrae civitatis, et haec prolatio temporum perditorum; quum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt; minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua re publica perdidissent. Quod si tuum te desiderium movet, aut si tuarum rerum cogitatione maeres: non facile exhauriri tibi istum dolorem posse universum puto. Sin illa te res cruciat, quae magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas: ut ea non dicam, quae saepissime et legi, et audivi, nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quam mors ducenda sit; sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quae non sentiatur: hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere rei publicae, quae qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur. Quid est enim iam non modo pudori, probitati, virtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati ac saluti loci? non mehercule quemquam audivi hoc gravissimo et pestilentissimo anno, adolescentulum aut puerum mortuum,

---

hoc gravissimo et pestilentissimo anno] Ex h. l. recte Martyni-Laguna collegit hanc epistolam non multo post pugnam Pharsalicam scriptam esse, ideoque ad annum DCCVI. referendam videri; idem apte comparavit Dionis Cassii huius temporis adumbrationem Vol. I. pag. 322. D. edit. Reimari. Ragazonius, qui hanc epistolam ad A. 709. retulit, dubitabat tamen an impendente civili bello Caesariano, an Antoniano scripta esset. Sed neuter horum annorum poterat a Cicerone *pestilentissimus* dici. Nam impendentibus his bellis nondum erat desperationi locus.

qui mihi non a diis immortalibus ereptus ex his miſeriis, atque ex iniquiſſima conditione vitae videretur. Quare, ſi tibi unum hoc detrahi poteſt, ne quid iis, quos amaſti, mali putes contigiſſe: permultum erit ex maerore tuo diminutum. Relinquetur enim ſimplex illa iam cura doloris tui, quae non cum illis communicabitur, ſed ad te ipſum proprie referetur: in qua non eſt iam gravitatis ac ſapientiae tuae, quam tu a puero praeſtitiſti, ferre immoderatius caſum incommodorum tuorum, qui ſit ab eorum, quos dilexeris, miſeria maloque ſeiunctus. Etenim eum ſemper te, et privatis in rebus, et publicis praeſtitiſti, tuenda tibi ut ſit gravitas, et conſtantiae ſerviendum. Nam, quod allatura eſt ipſa diuturnitas, quae maximos luctus vetuſtate tollit, id nos praecipere conſilio prudentiaque debemus. Etenim ſi nulla umquam fuit, liberis amiſſis, tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit: certe nos, quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus: neque exſpectare temporis medicinam, quam repraeſentare ra-

---

ereptus] Recte hoc reſtituit Graevius, quum Victorius edidiſſet *exceptus.*

prolatio] Sic Graevius e veſtigiis cod. ſui primi edidit pro vulg. *perturbatio.* Ac vulgatum neminem offenderet, ſi ſimpliciter dictum eſſet *perturbatio temporum*, nec additum *perditorum*; quod inepte redundat, ſi legamus *perturbatio.* Nam perturbata tempora eadem perdita eſſe per ſe intelligitur. Itaque ut Graevius monuit, *prolatio* i. q. continuatio ſic dicitur, ut V. 15. (h. ed. 569.) *propagatio miſerrimi temporis.*

cura doloris] Puto ſcribendum *cauſa* quocum verbo *cura* in libris ſolet permutari. Vid. Drakenb. ad Liv. III. 64. Non ignoro *curam* pro curatione medica dici, quamquam magis a poëtis quam aliis; exempla quidem ap. Drakenb. ad Sil. V. 550. omnia ſunt e poëtis; ſed verbum *ſimplex* et cetera *communicare*, *referri* plane non conveniunt curationi mali, ſed ad *cauſam* manifeſte pertinent. *Erneſti.*

tione possimus. His ego literis si quid profecissem, existimabam optandum quiddam me esse assecutum: sin minus forte valuissent, officio tamen esse functum benivolentissimi atque amicissimi; quem me tibi et fuisse semper existimes velim, et futurum esse confidas.

EPISTOLA DCCCLVII. (ad Div. XII. 20.)

Scripta anno incerto, etsi Corradus scriptam putat A. V. C. 708., quo Cornificius in Africam provinciam profectus est.

Per iocum ait, se moleste ferre quod Cornificius in Sinuessanum non venerit, eumque rogat, ut se scripto aliquo lacessat.

M. T. CICERO CORNIFICIO, COLLEGAE, S.

Gratae mihi tuae literae: nisi quod Sinuessanum diversoriolum contempsisti. Quam quidem contumeliam villa pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano et Pompeiano reddideris πάντα περὶ πάντων. Sic igitur facies, meque amabis, et scripto aliquo lacesses. Ego enim respondere facilius possum, quam provocare. Quod si, ut es delicatus, cessabis, lacessam, ne tua

---

functum] Verissime hoc defendit Ernestius, quod habet etiam Guelf. a. it. alter sed a secunda manu. Cicero loquitur de consolationis officio, quod praestitit, non postea demum praestiturus erat. Itaque alienum est *functurum*, quod vulgo legitur in edd.

Epist. DCCCLVII. *in Cumano et Pompeiano*] Ex h. l. colligitur rusticatum illo tempore Cornificium esse. Nam si profectus tum esset in Africam, non erat ab eo postulandum, ut in illis villis commoraretur. Alienum quoque fuisset, a Cornificio iam in Africam proficiscente, ac deinde provincialibus negotiis occupato scriptum aliquod exspectare.

ut es delicatus] Vulgo *ut es*; Palatinus sextus teste Gebhardo addit *delicatus*,

ignavia etiam mihi inertiam afferat. Plura otiosus. Haec quum essem in senatu, exaravi. Vale.

EPISTOLA DCCCLVIII. (ad Div. VII. 21.)

Scr. anno incerto.

Silii causam Trebatio commendat.

CICERO TREBATIO, S. D.

Silii causam te docui. Is postea fuit apud me, quum ei dicerem, tibi videri sponsionem illam nos sine

---

quod profecto non est eiusmodi, ut a glossatore profectum videatur. Exquisite enim dicitur *delicatus* de eo qui otio et cessatione delectatur. Sic Cic. de N. D I. 37. *Epicurus quasi pueri delicati nil cessatione melius existimat.* Tusc. II. 11. *vita umbratilis et delicata* i. e. otiosa. Et Cicero, si formula utitur *ut es*, s. *ut erat* fere semper addit adiectivum. Sic in Pis. c. 25. *ut es homo facetus.*

etiam mihi] Sic Lambinus, recte, ut opinor. Vulgo abest *mihi;* quam lectionem sic explicat Manutius: ne tua ignavia pariat inertiam, i. e. agendi inscientiam. Sed Lambini ratio aptior et facilior, qua Cicero significat se Cornificium scripto lacessere velle, ne propter eius ignaviam ipse quoque ad inertiam delabatur. Saepe enim *ignavia* et *inertia* ponuntur ut synonyma.

Epist. DCCCLVIII. *Silii causam*] Causa haec erat: Turpilia testamentum fecerat, eoque testamento Silium heredem sive ex asse, sive ex aliqua parte fecerat. Silius bonorum possessionem secundum tabulas ex edicto praetoris petiverat, s. potius praetor edixerat, se bonorum possessionem secundum tabulas testamenti Silio daturum. Silius, quum cognati bona ad se pertinere dicerent, quia Turpilia testamenti factionem non habuisset, et ita testamentum non esset iure factum, edicto praetoris fretus sponsionem facere cum eis cogitabat huiusmodi: *ni bonorum Turpiliae possessionem praetor ex edicto suo mihi dedit, centum dare spondes?* Sed Cicero Silii patronus, priusquam hanc sponsionem

periculo facere posse: *Ni bonorum Turpiliae possessionem, Praetor ex edicto suo mihi dederit.* Negare aiebat Servium, tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non habuerit: hoc

---

Silius faceret, Trebatium consuluerat, possetne hanc sponsionem facere sine periculo. Responderat Trebatius posse. Servius autem Sulpicius item consultus negabat, rationemque hanc afferebat, quia tabulae testamenti non essent eae, quas instituisset is, qui testamenti factionem non haberet. Omnino Trebatius bene responderat. Satis erat enim esse tabulas testamenti secundum quas bonorum possessio peteretur. Non enim quaerebatur, testamentum esset ratum an irritum; firmum an infirmum, sed essetne factum testamentum. Itaque sine periculo poterat illa sponsio fieri. *Lambin.*

ni bonorum] Ita recte Manutius pro vulg. *si bonorum.* Nam in huiusmodi sponsionum formulis fere ponitur *ni.* Silius igitur certam pecuniam spondere debebat, ni praetor possessionem bonorum Turpiliae ex edicto sibi dedisset.

praetor] in multis edd. legitur *Q. Caepio praetor;* quam lectionem qui sequuntur, putant M. Brutum significari, ab avunculo Servilio Caepione adoptatum; qui et ep. 50. et Philipp. X. Q. Caepio Brutus appellatur. At in multis codd. MSS. non exstat illud nomen *Q. Caepio*, sed scriptum est *possessionem q. capio.* In aliis omittitur illud *q.* Denique sunt qui habeant *capio.* Nec umquam Brutus simpliciter vocatus est Q. *Caepio*, sed semper l. l. et aliis *Q. Caepio Brutus.* Itaque hic illud nomen ex librariorum errore in textum venisse arbitror, et ex verbis *quam capio*, vel *quam cepi*, quod ipsum glossema erat, enatum.

dederit] Recte coniunctivum Ernestius posuit. Vulg. *dedit.*

Servium] Sulpicium, principem iurisconsultorum illius aetatis.

tabulas testamenti esse] i. e. pro testamento valere posse.

factionem testamenti] Ius faciendi testamenti. Ita locutus in Topicis et Digest. lib. XXVIII. tit. qui testamentum facere possunt l. 3. *Testamenti factio*, inquit Labeo, *non privati, sed publici iuris est.* — *Manut.*

idem Offilium dicere; tecum se locutum negabat; meque rogavit, ut se causamque suam tibi commendarem. Nec vir melior, mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excepto. Gratissimum igitur mihi feceris, si ad eum ultro veneris, eique pollicitus eris, sed si me amas, quam primum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

EPISTOLA DCCCLIX. (ad Div. VII. 22.)

Scr. anno incerto.

Controversiam inter ICtos fuisse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, furti recte agere, docet aliquot auctoritatibus.

CICERO TREBATIO, S. D.

Illuseras heri inter scyphos, quod dixeram, controversiam esse, possetne heres, quod furtum antea factum esset, recte furti agere. Itaque, etsi domum bene potus, seroque redieram, tamen id caput, ubi haec controversia est, notavi, et descriptum tibi misi: ut scires, id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Aelium,

---

Offilium] clarum Iurisconsultum, de quo Pomponius de origine iuris. *Manut.*

Epist. DCCCLIX. *recte furti agere*] haberetne actionem adversus furem, qui furatus esset, ante quam ipse heres esset. Ideo enim dubitari potest, quia non videtur heres ea, tamquam sua posse repetere, quae nondum ad eum hereditario iure pervenissent. Sed controversiam tollunt Paulli verba veteris iurisconsulti L. 47. *de furtis.* *Si dominium*, inquit, *rei subreptae quacumque ratione mutatum sit*, *domino furti actio competit*, *veluti heredi*, *et bonorum possessori*, *et patri adoptivo*, *et legatario.* — *Manut.*

Sex. Aelium] ICtum, acutum hominem; unde ab Ennio catus vocatus est in illo versu: *Egregie cordatus homo catus Aeliu' Sextus.* Cic. de Orat. I. 56. III. 33. Brut. 20. Tusc. I. 9. Varro lib.

M' Manilium, M. Brutum sensisse. Ego tamen Scaevolae et Testae assentior. Vale.

EPISTOLA DCCCLX. (ad Div. X. 29.)

Scr. anno incerto.

Suum studium erga salutem exsulantis amici confirmat, eumque bene sperare iubet.

CICERO APPIO.

De meo studio erga salutem et incolumitatem tuam, credo te cognosse ex literis tuorum; quibus me cumulatissime satisfecisse certo scio; nec his concedo, quamquam sunt singulari in te benivolentia, ut te salvum malint, quam ego. Illi mihi necesse est concedant, ut tibi plus, quam ipsi, hoc tempore prodesse possim: quod quidem nec destiti facere, nec desistam: et iam in maxima re feci, et fundamenta ieci salutis tuae. Tu fac bono animo, magnoque sis, meque tibi nulla re defuturum esse confidas. Pridie Nonas Quintiles.

VI. et Pomponius de origine iuris. *Manut.*

M' Manilium] qui cos. fuit cum L. Censorino A. V. C. DCIV. ICtus et ad respondendum, et ad scribendum, et ad cavendum peritissimus Orat. I. 41.

M. Brutum] iuris publici et privati peritum, qui scripsit libros de iure civili. Orat. II. 32. Cluent. 51. Ceterum hi tres ICti quaestionem, qua de agitur, negasse videntur, in eaque sententia fuisse, non posse heredem, quod furtum antea factum esset, recte furti agere.

Scaevolae] P. Mucio Scaevolae, ei qui primus ius civile in familiam Muciam intulit, et Fin. I. 4. cum M' Manilio et M. Bruto illo numeratur inter principes civitatis.

Testae] Trebatio scil. quem iocose hic cognomine suo appellatum cum Scaevola componit; facetius quam si scripsisset *et tibi assentior.*

Epist. DCCCLX. APPIO] Sic legitur in Mss. plurimis. Manutius tamen, quem Graevius, Ernestius, aliique secuti sunt, legi voluit AM-

EPISTOLA DCCCLXI. (ad Div. XIII. 76.)

Scr. anno incerto.

C. Valgium Hippianum commendat, petitque ut possessioni eius in agro Fregellano immunitatem.

M. T. CICERO, QUATUORVIRIS, ET DECURIONIBUS, S. D.

Tantae mihi cum Q. Hippio caussae necessitudinis sunt, ut nihil possit esse coniunctius, quam nos inter nos sumus. Quod nisi ita esset, uterer mea consuetudine, ut vobis nulla in re molestus essem. Etenim vos mihi optimi testes estis, quum mihi persuasum esset, nihil esse, quod a vobis impetrare non possem, nunquam me tamen gravem vobis esse voluisse. Vehementer igitur vos etiam atque etiam rogo, ut honoris mei caussa liberalissime C. Valgium Hippianum tractetis, remque cum eo conficiatis, ut, quam possessionem habet in agro Fregellano, a vobis emptam, eam liberam, et immunem habere possit. Id si a vobis impetraro, summo me beneficio vestro affectum arbitrabor. Valete.

---

pio; ut haec epistola ad eundem *Ampium Balbum* scripta sit, quem ad exsulantem missa est epist. VI. 12. (h. ed. 514.); quod si verum sit scripta sit necesse est A. V. C. 707., sed ante illam, qua reditum ab exsilio eius impetratum esse scribit. Fieri tamen potest ut ad Appium Claudium C. fil. scripta sit, illum cuius salutem D. Bruto commendavit XI. 22. (hui. ed. 819.)

Epist. DCCCLXI. *decurionibus*] Fregellarum scil. oppidi Volscorum in Latio. Erat autem colonia Romana, cui quatuorviri et decuriones praeerant.

C. *Valgium Hippianum*] Assentior Manutio, qui hunc filium esse indicavit Q. Hippii supra nominati, a C. Valgio quodam adoptatum. Etenim si unus itemque esset, quod Ernestius putavit, cur eum supra Q. Hippium nominaret, nec statim nomine uteretur post adoptionem ab eo usurpato? Idem Benedicto visum.

INDICES.

INDEX I.

EPISTOLARUM CICERONIS EX ORDINE VULGARI CUM HUIUS EDITIONIS ORDINE COMPARATARUM.

AD FAMILIARES S. AD DIVERSOS.

Ex ord. vulg. Lib.	Ex ord. vulg. Epist.	Huius edit. Tom.	Huius edit. Epist.
I.	1	II.	92
	2	II.	93
	3	II.	94
	4	II.	95
	5	II.	96
	5 extr.	II.	100
	6	II.	101
	7	II.	113
	8	II.	125
	9	II.	148
	10	II.	165
II.	1	II.	166
	2	II.	168
	3	II.	169
	4	II.	174
	5	II.	175
	6	II.	178
	7	III.	227
	8	III.	199
	9	III.	224
	10	III.	226
	11	III.	255
II.	12	III.	263
	13	III.	257
	14	III.	245
	15	III.	273
	16	IV.	372
	17	III.	271
	18	III.	258
	19	III.	262
III.	1	II.	180
	2	II.	182
	3	III.	191
	4	III.	194
	5	III.	205
	6	III.	213
	7	III.	244
	8	III.	222
	9	III.	249
	10	III.	261
	11	III.	265
	12	III.	275
	13	III.	277
IV.	1	IV.	365

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.	Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
IV.	2	IV.	371	VI.	5	IV.	479
	3	IV.	461		6	IV.	470
	4	IV.	469		7	IV.	478
	5	V.	557		8	IV.	476
	6	V.	565		9	IV.	477
	7	IV.	464		10	V.	527
	8	IV.	466		11	V.	639
	9	IV.	468		12	V.	514
	10	V.	525		13	IV.	465
	11	IV.	480		14	IV.	475
	12	V.	566		15	VI.	677
	13	IV.	463		16	VI.	678
	14	V.	516		17	VI.	694
	15	IV.	433		18	V.	521
V.	1	I.	13		19	V.	630
	2	I.	14		20	V.	631
	3	II.	112		21	V.	596
	4	I.	86		22	IV.	432
	5	I.	17	VII.	1	II.	126
	6	I.	15		2	II.	182
	7	I.	12		3	V.	452
	8	II.	131		4	V.	458
	9	V.	598		5	II.	133
	10	V.	654		6	II.	135
	10 extr.	V.	648		7	II.	136
	11	V.	646		8	II.	139
	12	II.	108		9	II.	143
	13	V.	558		10	II.	145
	14	V.	568a		11	II.	167
	15	V.	568b		12	II.	170
	16	VI.	861		13	II.	171
	17	III.	176		14	II.	177
	18	III.	179		15	II.	172
	19	IV.	373		16	II.	147
	20	IV.	302		17	II.	150
	21	IV.	438		18	II.	173
VI.	1	V.	517		19	VI.	756
	2	V.	559		20	VI.	755
	3	V.	524		21	VI.	857
	4	V.	526		22	VI.	858

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.	Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
VII.	23	II.	124	IX.	13	V.	553
	24	V.	635		14	VI.	699
	25	V.	638		15	IV.	473
	26	II.	91		16	IV.	450
	27	IV.	467		17	IV.	455
	28	IV.	472		18	IV.	451
	29	V.	647		19	IV.	454
	30	V.	652		20	IV.	456
	31	V.	656		21	V.	657
	32	III.	229		22	V.	658
	33	IV.	471		23	IV.	457
VIII.	1	III.	192		24	VI.	795
	2	III.	202		25	III.	246
	3	III.	203		26	IV.	474
	4	III.	206	X.	1	VI.	760
	5	III.	210		2	VI.	765
	6	III.	242		3	VI.	791
	7	III.	243		4	VI.	788
	8	III.	223		5	VI.	796
	9	III.	211		6	VI.	799
	10	III.	225		7	VI.	802
	11	III.	267		8	VI.	801
	12	III.	279		9	VI.	810
	13	III.	272		10	VI.	804
	14	III.	280		11	VI.	817
	15	IV.	335		12	VI.	805
	16	IV.	367		13	VI.	830
	17	IV.	388		14	VI.	814
IX.	1	IV.	431		15	VI.	818
	2	IV.	440		16	VI.	821
	3	IV.	439		17	VI.	820
	4	IV.	413		18	VI.	827
	5	IV.	448		19	VI.	831
	6	IV.	446		20	VI.	839
	7	IV.	447		21	VI.	834
	8	V.	616		22	VI.	828
	9	IV.	389		23	VI.	847
	10	V.	519		24	VI.	854
	11	V.	537		25	V.	626
	12	V.	649		26	VI.	835

Ex ord. vulg. Lib.	Ex ord. vulg. Epist.	Huius edit. Tom.	Huius edit. Epist.
X.	27	VI.	800
	28	VI.	793
	29	VI.	860
	30	VI.	809
	31	VI.	798
	32	VI.	848
	33	VI.	833
	34	VI.	825
	35	VI.	840
XI.	1	VI.	685
	2	VI.	713
	3	VI.	757
	4	VI.	761
	5	VI.	776
	6	VI.	777
	7	VI.	778
	8	VI.	790
	9	VI.	811
	10	VI.	813
	11	VI.	815
	12	VI.	832
	13	VI.	843
	14	VI.	836
	15	VI.	829
	16	VI.	786
	17	VI.	787
	18	VI.	823
	19	VI.	824
	20	VI.	837
	21	VI.	845
	22	VI.	819
	23	VI.	838
	24	VI.	846
	25	VI.	852
	26	VI.	844
	27	VI.	715
	28	VI.	716
	29	VI.	746
XII.	1	VI.	711
	2	VI.	762
XII.	3	VI.	763
	4	VI.	792
	5	VI.	794
	6	VI.	808
	7	VI.	803
	8	VI.	849
	9	VI.	850
	10	VI.	853
	11	VI.	797
	12	VI.	816
	13	VI.	851
	14	VI.	842
	15	VI.	841
	16	VI.	714
	17	V.	640
	18	V.	645
	19	V.	655
	20	VI.	857
	21	VI.	783
	22	VI.	779
	23	VI.	764
	24	VI.	789
	25	VI.	812
	26	VI.	784
	27	VI.	785
	28	VI.	806
	29	VI.	807
	30	VI.	822
XIII.	1	III.	197
	2	III.	259
	3	III.	260
	4	V.	641
	5	V.	642
	6	II.	114
	6 extr.	II.	115
	7	V.	644
	8	V.	643
	9	III.	237
	10	IV.	437
	11	V.	481

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.	Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
XIII.	12	V.	482	XIII.	51	V.	675
	13	V.	483		52	V.	676
	14	V.	484		53	III.	230
	15	V.	554		54	III.	253
	16	V.	555		55	III.	232
	17	V.	485		56	III.	231
	18	V.	486		57	III.	254
	19	V.	487		58	III.	248
	20	V.	488		59	III.	247
	21	V.	489		60	II.	160
	22	V.	490		61	III.	233
	23	V.	491		62	III.	234
	24	V.	492		63	III.	251
	25	V.	493		64	III.	235
	26	V.	494		65	III.	236
	27	V.	495		66	V.	508
	28	V.	496		67	V.	509
	28 extr.	V.	497		68	IV.	462
	29	IV.	434		69	V.	510
	30	V.	498		70	V.	511
	31	V.	499		71	V.	512
	32	V.	500		72	V.	513
	33	V.	501		73	II.	161
	34	V.	502		74	II.	127
	35	V.	503		75	II.	181
	36	V.	504		76	VI.	861
	37	V.	505		77	V.	618
	38	V.	506		78	IV.	435
	39	V.	507		79	IV.	436
	40	II.	128	XIV.	1	I.	79
	41	II.	163		2	I.	76
	42	II.	162		3	I.	81
	43	V.	669		4	I.	59
	44	V.	670		5	III.	283
	45	V.	671		6	IV.	394
	46	V.	672		7	IV.	385
	47	V.	673		8	IV.	390
	48	V.	674		9	IV.	399
	49	II.	164		10	IV.	418
	50	V.	653		11	IV.	413

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.	Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
XIV.	12	IV.	395	XV.	19	V.	523
	13	IV.	419		20	VI.	712
	14	IV.	306		21	IV.	430
	15	IV.	415	XVI.	1	III.	285
	16	IV.	403		2	III.	286
	17	IV.	401		3	III.	287
	18	IV.	312		4	III.	288
	19	IV.	397		5	III.	289
	20	IV.	429		6	III.	290
	21	IV.	393		7	III.	291
	22	IV.	428		8	IV.	313
	23	IV.	423		9	III.	292
	24	IV.	422		10	V.	665
XV.	1	III.	221		11	IV.	301
	2	III.	219		12	IV.	310
	3	III.	212		13	V.	662
	4	III.	238		14	V.	663
	5	III.	266		15	V.	664
	6	III.	278		16	V.	668
	7	III.	215		17	V.	660
	8	III.	216		18	V.	666
	9	III.	217		19	V.	667
	10	III.	239		20	V.	661
	11	III.	274		21	VI.	781
	12	III.	218		22	V.	659
	13	III.	240		23	VI.	695
	14	III.	241		24	VI.	702
	15	IV.	424		25	VI.	782
	16	V.	522		26	VI.	855
	17	V.	520		27	VI.	780
	18	V.	518				

EPISTOLARUM AD ATTICUM.

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.	Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
I.	1	I.	10	I.	4	I.	9
	2	I.	11		5	I.	1
	3	I.	8		6	I.	2

Ex ord. vulg.		Huius edit.	
Lib.	Epist.	Tom.	Epist.
I.	7	I.	3
	8	I.	4
	9	I.	5
	10	I.	6
	11	I.	7
	12	I.	16
	13	I.	18
	14	I.	19
	15	I.	20
	16	I.	21
	17	I.	22
	18	I.	23
	19	I.	24
	20	I.	25
II.	1	I.	26
	2	I.	27
	3	I.	28
	4	I.	30
	5	I.	31
	6	I.	32
	7	I.	33
	8	I.	34
	9	I.	35
	10	I.	37
	11	I.	38
	12	I.	36
	13	I.	39
	14	I.	40
	15	I.	41
	16	I.	42
	17	I.	43
	18	I.	44
	19	I.	45
	20	I.	46
	21	I.	47
	22	I.	48
	23	I.	49
	24	I.	50
	25	I.	51
III.	1	I.	56

Ex ord. vulg.		Huius edit.	
Lib.	Epist.	Tom.	Epist.
III.	2	I.	54
	3	I.	53
	4	I.	55
	5	I.	57
	6	I.	58
	7	I.	60
	8	I.	61
	9	I.	62
	10	I.	64
	11	I.	65
	12	I.	66
	13	I.	68
	14	I.	67
	15	I.	70
	16	I.	71
	17	I.	72
	18	I.	73
	19	I.	74
	20	I.	75
	21	I.	77
	22	I.	78
	23	I.	80
	24	I.	82
	25	I.	83
	26	I.	84
	27	I.	85
IV.	1	II.	87
	2	II.	88
	3	II.	89
	4	II.	98
	4 extr.	II.	105
	5	II.	106
	6	II.	109
	7	II.	110
	8	II.	111
	8 extr.	II.	117
	9	II.	119
	10	II.	118
	11	II.	122
	12	II.	123

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
IV.	13	II.	129
	14	II.	137
	15	II.	142
	16	II.	149
	17	II.	156
	18	II.	157
V.	1	III.	184
	2	III.	185
	3	III.	186
	4	III.	187
	5	III.	188
	6	III.	189
	7	III.	190
	8	III.	193
	9	III.	195
	10	III.	196
	11	III.	198
	12	III.	200
	13	III.	201
	14	III.	204
	15	III.	207
	16	III.	208
	17	III.	209
	18	III.	214
	19	III.	220
	20	III.	228
	21	III.	250
VI.	1	III.	252
	2	III.	256
	3	III.	264
	4	III.	268
	5	III.	269
	6	III.	276
	7	III.	270
	8	III.	281
	9	III.	282
VII.	1	III.	284
	2	III.	293
	3	III.	294
	4	III.	295
VII.	5	III.	296
	6	III.	297
	7	III.	298
	8	III.	299
	9	III.	300
	10	IV.	303
	11	IV.	304
	12	IV.	305
	13	IV.	307
	14	IV.	308
	15	IV.	309
	16	IV.	311
	17	IV.	314
	18	IV.	315
	19	IV.	316
	20	IV.	317
	21	IV.	318
	22	IV.	319
	23	IV.	320
	24	IV.	321
	25	IV.	322
	26	IV.	323
VIII.	1	IV.	324
	2	IV.	325
	3	IV.	326
	4	IV.	327
	5	IV.	328
	6	IV.	329
	7	IV.	330
	8	IV.	331
	9	IV.	332
	10	IV.	333
	11	IV.	334
	12	IV.	336
	13	IV.	337
	14	IV.	338
	15	IV.	339
	16	IV.	340
IX.	1	IV.	341
	2	IV.	342

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
IX.	3	IV.	344
	4	IV.	345
	5	IV.	346
	6	IV.	347
	7	IV.	348
	8	IV.	349
	9	IV.	350
	10	IV.	351
	11	IV.	352
	12	IV.	353
	12 extr. et 13	IV.	354
	14	IV.	355
	15	IV.	356
	16	IV.	357
	17	IV.	358
	18	IV.	359
	19	IV.	360
X.	1	IV.	361
	2	IV.	362
	3	IV.	363
	3 extr.	IV.	364
	4	IV.	366
	5	IV.	368
	6	IV.	369
	7	IV.	370
	8	IV.	374
	9	IV.	375
	10	IV.	376
	11	IV.	377
	12	IV.	378
	13	IV.	379
	14	IV.	380
	15	IV.	381
	16	IV.	382
	17	IV.	383
	18	IV.	384
XI.	1	IV.	386
	2	IV.	387
	3	IV.	391

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
XI.	4	IV.	392
	5	IV.	396
	6	IV.	398
	7	IV.	400
	8	IV.	402
	9	IV.	404
	10	IV.	405
	11	IV.	406
	12	IV.	407
	13	IV.	408
	14	IV.	409
	15	IV.	410
	16	IV.	411
	17	IV.	412
	18	IV.	414
	19	IV.	420
	20	IV.	425
	21	IV.	426
	22	IV.	427
	23	IV.	417
	24	IV.	421
	25	IV.	416
XII.	1	IV.	441
	2	IV.	442
	3	IV.	444
	4	IV.	445
	5	IV.	449
	6	IV.	453
	7	V.	539
	8	V.	551
	9	IV.	459
	10	IV.	460
	11	V.	515
	12	V.	528
	13	V.	529
	14	V.	530
	15	V.	531
	16	V.	532
	17	V.	534
	18	V.	533

Ex ord. vulg.		Huius edit.	
Lib.	Epist.	Tom.	Epist.
XII.	19	V.	535
	20	V.	536
	21	V.	538
	22	V.	540
	23	V.	541
	24	V.	542
	25	V.	543
	26	V.	544
	27	V.	545
	28	V.	546
	29	V.	547
	30	V.	548
	31	V.	549
	32	V.	550
	33	V.	552
	34 et 35 init.	V.	556
	35 extr.	V.	560
	36	V.	561
	37	V.	562
	38	V.	563
	39	V.	564
	40	V.	567
	41	V.	569
	42	V.	571
	43	V.	572
	44	V.	573
	45	V.	574
	46	V.	575
	47	V.	576
	48	V.	577
	49	V.	578
	50	V.	579
	51	V.	580
	52	V.	581
XIII.	1	V.	583
	2	V.	584
	3	V.	585
	4	V.	594
	5	V.	595
XIII.	6	V.	593
	7	V.	597
	8	V.	599
	9	V.	600
	10	V.	601
	11	V.	602
	12	V.	603
	13	V.	604
	14	V.	606
	15	V.	607
	16	V.	605
	17	V.	608
	18	V.	609
	19	V.	610
	20	V.	611
	21	V.	612
	22	V.	613
	23	V.	614
	24	V.	615
	25	V.	617
	26	V.	570
	27	V.	586
	28	V.	587
	29	V.	588
	30	V.	589
	31	V.	590
	32	V.	591
	33	V.	592
	34	V.	629
	35. 36	V.	619
	37	V.	620
	38	V.	621
	39	V.	622
	40	V.	623
	11	V.	624
	42	V.	650
	43	V.	625
	44	V.	626
	45	V.	627
	46	V.	628

Ex ord. vulg. Lib.	Epist.	Huius edit. Tom.	Epist.
XIII.	47	V.	632
	48	V.	633
	49	V.	634
	50	V.	636
	51	V.	637
	52	V.	650
XIV.	1	VI.	679
	2	VI.	680
	3	VI.	681
	4	VI.	682
	5	VI.	683
	6	VI.	684
	7	VI.	686
	8	VI.	687
	9	VI.	688
	10	VI.	689
	11	VI.	690
	12	VI.	691
	13	VI.	692
	14	VI.	693
	15	VI.	696
	16	VI.	697
	17	VI.	698
	18	VI.	701
	19	VI.	700
	20	VI.	703
	21	VI.	704
	22	VI.	705
XV.	1	VI.	706
	1 extr.	VI.	707
	2	VI.	708
	3	VI.	709
	4	VI.	710
	5	VI.	717
	6	VI.	719
	7	VI.	720
	8	VI.	718
	9	VI.	721
	10	VI.	722
	11	VI.	723
	12	VI.	724
XV.	13	VI.	766
	14	VI.	736
	15	VI.	727
	16	VI.	725
	16 extr.	VI.	726
	17	VI.	728
	18	VI.	729
	19	VI.	730
	20	VI.	731
	21	VI.	732
	22	VI.	733
	23	VI.	734
	24	VI.	735
	25	VI.	741
	26	VI.	742
	27	VI.	744
	28	VI.	743
	29	VI.	745
XVI.	1	VI.	747
	2	VI.	750
	3	VI.	754
	4	VI.	749
	5	VI.	748
	6	VI.	758
	7	VI.	759
	8	VI.	767
	9	VI.	768
	10	VI.	770
	11	VI.	769
	12	VI.	771
	13	VI.	772
	13 extr.	VI.	773
	14	VI.	774
	15	VI.	775
	16	VI.	737
	16a	VI.	738
	16b	VI.	751
	16c	VI.	739
	16d	IV.	740
	16e	VI.	752
	16f	VI.	753

EPISTOLARUM AD Q. FRATREM.

Ex ord. vulg.		Huius edit.		Ex ord. vulg.		Huius edit.	
Lib.	Epist.	Tom.	Epist.	Lib.	Epist.	Tom.	Epist.
I.	1	I.	29	II.	11	II.	130
	2	I.	52		12	II.	132
	3	I.	63		13	II.	134
	4	I.	69		14	II.	138
II.	1	II.	90		15	II.	140
	2	II.	97		16	II.	144
	3	II.	99	III.	1	II.	146
	4	II.	102		2	II.	151
	5	II.	103		3	II.	152
	6	II.	104		4	II.	153
	7	II.	107		5. 6	II.	154
	8	II.	116		7	II.	155
	9	II.	120		8	II.	158
	10	II.	121		9	II.	159

INDEX II

EORUM

AD QUOS EPISTOLAE CICERONIS VEL QUORUM EPISTOLAE AD CICERONEM ALIOSVE EXSTANT.

ACILIUS.

A. U. C. 707. extremo Siciliam provinciam propraetor obtinuit Proconſulis nomine; etſi conſul non fuerat. Ad eum ſcriptae ſunt Ciceronis epiſtolae commendatitiae 498—507.

A. ALLIENUS.

Praetor fuit A. 704. Marcello et Lentulo Coſſ. Ep. 381. IV. 230. A. U. C. 707. initio, fortaſſe etiam anno ſuperiore Siciliam proconſulis nomine rexit. Tempore enim belli Africani illum hanc provinciam obtinuiſſe teſtatur auctor de bello Afric. c. 2. Ei videtur Acilius ſucceſſiſſe, quamquam Pighius eum Acilio ſucceſſiſſe arbitratur. Idem poſt Caeſaris caedem Trebonii legatus fuit, eoque a Dolabella occiſo quatuor legiones ad C. Caſſium in Syriam duxit ep. 797. et 816. VI. p. 253. 285. Ad hunc ſcriptae ſunt Ciceronis epiſtolae 435 et 436. Ceterum Corradus in Quaeſtura eum Graeciae procoſ. fuiſſe opinatus, ipſe poſtea hunc errorem correxit.

T. AMPIUS BALBUS.

A. V. 690. Cicerone et M. Antonio coſſ. tribunus plebis fuit, et cum collega T. Labieno legem tulit (Vellei. II. 40.) ut Pompeius ludis Circenſibus corona laurea et omni cultu triumphantium uteretur, ſcenicis autem praetexta coronaque laurea. Paullo aliter Dio Caſſ. lib. XXXVII. eosdem honores Pompeio decretos ita deſcribit: ἦν δὲ ταῦτα δαφνοφορεῖν τε αὐτὸν κατὰ πάσας ἀεὶ τὰς πανηγύρεις, καὶ τὴν στολήν, τὴν μὲν ἀρχικὴν, ἐν πάσαις αὐταῖς, τὴν δὲ ἐπινίκιον (triumphalem) ἐν τοῖς τῶν ἵππων ἀγῶσιν ἐνδύνειν. Praetor fuiſſe videtur A. V. C. 695. Nam A. 696. Ciliciam provinciam lege Clodia extra ordinem obtinuit. Vid. Ep. 94. T. II. p. 44. ibique Manutii notam. In bello civili Pompeii partes ſecutus ep. 372 T. IV. p. 200. delectum diligentiſſime habuit Ep. 334. T. IV. p. 84. Itaque eum tubam belli civilis appellarunt Caeſariani quidam ep. 514. T. V p. 41. Poſt pugnam Pharſalicam exſulabat. Exſulanti Cicero Ep. 514. T. V. p. 39. reditum per Caeſaris amicos impetratum gratulatur; ubi mentio fit matris eius *Eppuleiae* vel *Appuleiae*, et ſororis *Ampiae*.

Q. ANCHARIUS Q. F.

Tribunus plebis A. V. 694. Caeſare et Bibulo coſſ. Praetor A. 697. anno autem ſequente

Macedoniam pro consule rexit. Ad eum scripta est Ciceronis epistola 128.

C. ANTONIUS.

Hic M. Antonii oratoris filius, M. Antonii Cretici frater, petiit consulatum A. V. 689. Tom. I. 23 consul fuit cum M. T. Cicerone A. V. 690. deinde Macedoniam Procos. obtinuit. Eum Cicero in senatu defendit ep. 15. T. I. p. 49. Pompeius Magnus e bello Macedonico redux egit, ut ei succederetur ep. 16. T. I. p. 51. praetorque ad populum egit, ut evocaretur ad caussam de repetundis dicendam. Cicero negat se eum per bonorum et per popularem existimationem posse defendere. Ibid. Eius reditum e Macedonia differri scribit ep. 27. I. p. 141. Tamen eum biennio post a Caelio de maiestate et de repetundis accusatum Cicero defendit, Caesare et Bibulo coss. Nihilo secius tamen Antonius damnatus est Orat. in Vatin. II. Coel. 31. Ad eum scripta est Ciceronis epistola, quae est huius ed. 17. in qua ei Pomponii Attici negotium commendat; eique paullo post alia epistola, quae non exstat Attici nomine gratias egit. Ep. 21. I. p. 90.

M. ANTONIUS.

M. Antonii Cretici F. M. Antonii oratoris N. Quaestor fuit A. V. 701. et in quaestura se ad Caesarem in Galliam Transalpinam contulit; augur factus a. 703. annoque sequenti Tribunus plebis C. Marcello et L. Lentulo Coss. SCto contra Caesarem intercessit, ad eumque ex urbe profugit. Post victum proelio Pharsalico Pompeium, Caesaris iussu Italiam propraetoris nomine obtinuit. Plura de eo vid. Ind. III. Eius sunt ad Ciceronem epistolae 374. (T. IV. p. 211.) et 692. A (Tom. VI. p. 32.) ad eum Ciceronis una 692. B. (Tom. VI. p. 33.)

APP. CLAUDIUS PULCHER.

Appii Claudii minoris filius, C. Claudii A. 661. cum Perperna Cos. nepos, C. Clodii, P. Clodii, et Clodiae frater; consul fuit A. 699. Proconsul Ciliciam provinciam obtinuit A. 700. et sq. Post reditum e provincia censor creatus belli civilis tempore in Graecia diem obiit supremum. Ad eum scriptae sunt Ciceronis epistolae huius edit. 180. 183. 191. 194. 205. 213. 222. 244. 249. 261. 265. 275. 277.

APPIUS

ad quem scripta est Ciceronis ep. 860. (h. ed. T. VI.) fortasse est Appius Claudius C. fil.

APULEIUS

ad quem Cicero scripsit epist. 671. 672. proquaestor fuit in Asia, fortasse Q. Marcii Philippi procos.

AUCTUS.

Huius nomen praescribitur ep. 653. videtur tamen legendum *Acilius*. Vid. not.

L. CORNELIUS BALBUS.

Gaditanus, a Gn. Pompeio M. civitate donatus pro quo Cicero orationem habuit. Nomen L. Cornelii assumpsit a L. Cornelio Lentulo, cuius rogatu civitatem a Pompeio adeptus est. Eius et Oppii est epistola ad Ciceronem T. IV. p. 127. item tres ab eo solo scriptae T. IV. p. 104. p. 129. et p. 175.

BASILUS.

Ad hunc brevissimum est Ciceronis epistolium 677. T. VI. Videtur fuisse is, qui cum ceteris in Caesarem coniuraverat. In multis edd. scribitur *Basilius*.

BITHYNICUS

cuius est ad Ciceronem ep. 678. idemque ad quem exstat Ciceronis epist. 694. est A. Pompeius Bithynicus Q. Pompeii Bithynici fil. Post mortem Caesaris praetor fuit Siciliae.

DEC. IUNIUS BRUTUS.

In bello civili a Caesare classi praefectus Pompeianos vicit Caes. de B. C. I. 56. a Caesare consul cum Planco designatus, in eum cum ceteris coniuravit, et post eius caedem Galliam Cisalpinam proconsulari imperio obtinuit, et Mutinae ab Antonio obsessus, aliquanto post, quum hic proelio apud Mutinam victus esset, obsidione liberatus, tandem vero a legionibus desertus Antonii iussu a Capeno trucidatus est. Eius sunt epistolae ad Brutum et Cassium 685. ad Ciceronem 761. 811. 813. 815. 824. 837. 838. 843. 846. Ad eum vero Cicero scripsit epistolas 776. 777. 778. 786. 787. 790. 819. 823. 829. 832. 836. 845. 846. 852.

M. IUNIUS BRUTUS.

M. Bruti et Serviliae filius, primum uxorem duxit Appii Claudii Pulchri filiam, deinde Porciam Catonis Uticensis filiam. Etsi Pompeium in bello civili secutus erat, Caesar tamen post pugnam Pharsalicam eum Galliae Cisalpinae praefecit. Postea praeturam urbanam gessit, fuitque inter principes coniurationis adversus Caesarem, cuius post caedem in Macedoniam profectus, anno sequente in proelio apud Philippos, quum initio rem bene gessisset, deinde victus morte voluntaria periit. Ad eum scriptae sunt Ciceronis epistolae 437. 481. 482. 483. 484. Fortasse etiam 787. quae nunc Decimo Bruto inscribitur. Eius autem et Cassii epistolae ad Antonium col. 713. et 757.

A. LICINIUS CAECINA.

Idem videtur esse, pro quo exstat Ciceronis oratio. Scripsit de Etrusca disciplina: et bello civili, quum a Pompeii partibus staret, Caesaris existimationem criminosissimo libro laceravit Sueton. Iul. 75. deinde post pugnam Pharsalicam excusandi sui causa edidit librum querelarum. Ad eum scripsit Cicero epistolas 470. 476. 479. eiusque est ad Ciceronem epistola h. ed. 478.

C. IULIUS CAESAR.

Ad eum quum esset Galliae proconsul scripsit Cicero epistolam 133. paullo ante bellum civile eam, quae adiuncta est epistolae 352. post bellum civile Epp. 554. 555. Caesaris autem epistolae sunt ad Ciceronem eae quae subiunguntur Ep. 347. 352. 357. ad Oppium 348. et 354.

P. CAESIUS

ad quem est Ciceronis epistola 675. videtur esse idem Caesius, qui ep. 481. dicitur una cum Ciceronibus filiis aedilis Arpini factus esse. Quod si verum sit, in epistolae 675. inscriptione non *Publio* sed *M. Caesio* legendum est; nam Marcus bis appellatur ille Caesius ep. 481. et 482.

CAPITO.

Ad eum ſcriptae ſunt epiſtolae 739. et 753. et eſſe videtur C. Ateius Capito, cuius mentio fit epp. 434. et 592.

C. CASSIUS LONGINUS.

C. Caſſii Vari A. 680. conſulis filius, quaeſtor in Syriam cum Craſſo profectus, poſt eius mortem Parthos vicit et ab Antiochia reiecit. Ep. 226. Initio belli civilis, Tribunus plebis, Capuam venit attulitque Pompeii mandata ad Conſules, ut Romam venirent, pecuniamque de ſanctiore aerario auferrent ep. 318. deinde Pompeium in Graeciam ſecutus, claſſi in Helleſponto praefuit, quam poſt pugnam Pharſalicam Caeſari tradidit; quo facto eum ſibi Caeſar legavit ep. 470. eiusque opera uſus eſt contra Pharnacem in Cappadocia, A. 709. Praetor urbanus una cum ceteris in Caeſarem coniuravit; et poſt eius caedem Italiam reliquit, et Syriam provinciam SCto obtinuit; Dolabellamque debellavit et in urbe Laodicea obſeſſum mori coëgit. Tandem quum Octavianus, Antonius et Lepidus triumviri facti eſſent rei publ. conſtituendae, in proelio apud Philippos, quum cornu cui praeerat, ab Antonio pulſum eſſet, totum exercitum fuſum ratus mortem ſibi ipſe conſcivit. Eius et Bruti epiſtolae ſunt ad Antonium ſcriptae 713. et 757. ad Ciceronem 523. 797. 816. Ciceronis autem epiſtolae ad eum ſcriptae ſunt 241. 424. 518. 520. 522. 711. 762. 763. 792. 794. 803. 808. 849. 850. 853.

CASSIUS.

Cuius eſt ad Ciceronem epiſtola 851. videtur fuiſſe L. Caſſius Caſſii Procoſ. ex fratre nepos. Vid. Not.

M. PORCIUS CATO.

M. fil. M. Nep. M. Catonis Cenſorii pronepos; Cicerone Conſule tribunus pl. deſignatus, accuſavit Murenam ambitus, quem Cicero defendit. Deinde lege Clodia praefectus eſt expeditioni, qua Ptolemaeus rex Cypro expulſus, et haec inſula in provinciam redacta eſt. In petitione praeturae et conſulatus repulſam tulit. In bello civili Pompeii partes ſecutus, Siciliam pro praetore tuendam recepit, quam tamen opinione omnium citius reliquit. Poſt pugnam Pharſalicam Cato Dyrrhachio ubi cum claſſe et quindecim cohortibus ſe tenuerat, in Africam profectus eſt; et Scipione apud Thapſum a Caeſare devicto, Uticae ferro ſe ipſe interemit. Ad eum Ciceronis epiſtolae ſunt 212. 238. 278. eiusdem ad Ciceronem 266.

Q. TULLIUS CICERO

Marci frater A. 691. praetor fuit urbanus, deinde per tres annos Aſiae propraetor. Poſtea Caeſaris legatus in Gallia. In matrimonio habuit Pomponiam Attici ſororem, ex qua ſuſcepit Q. filium; ei vero A. V. C. 708. nuntium remiſit. Eius ſunt epiſtolae ad Tironem 575. 780. 835. et ad Marcum fratrem 668. Ad eum Marci epiſtolae tribus libris comprehenſae, quibus locis in hac editione collocatae ſint, cognoſcitur ex Indice I.

M. T. CICERO M. FILIUS

a patre optimis artibus eruditus, Athenas ſtudiorum cauſa miſſus, primum quidem voluptatibus nimium indulſit, deinde

quum eum erratorum aetatis suae ferio poeniteret, ad meliorem frugem se recepit, et post Caesaris mortem legatus M. Bruti fuit, eique legio, quam L. Piso ducebat, legatus Antonii, se tradidit. Post patris mortem A. 723. ex Idibus Sept. consulatum gessit. Huius exstant duae ad Tironem epistolae 781. 782.

CLUVIUS

ad quem scripta est Ciceronis epistola 644. Puteolanus fuit. Eum Caesar agro in Gallia Cisalpina dividundo praefecit. Qui putant hunc eundem Cluvium fuisse, qui Ciceronem una cum aliis heredem scripsit, ep. 628 temporum rationem repugnare haud animadvertetunt. Nam hic quidem Cluvius, ut ex ep. 628. intelligitur iam decesserat, ante quam ad alterum illum ep. 644. scriberetur.

C. COELIUS L. F. CALDUS.

Ciceronis quaestor fuit in provincia Cilicia, ad quem scripta est epistola 262. Eundem Cicero Cilicia decedens provinciae praeposuit Ep. 273. 276.

M. COELIUS RUFUS.

Adolescens voluptatibus deditus, postea cupiditate gloriae ductus, primum accusavit C. Antonium consularem de maiestate et L. Atratinum de ambitu; cuius filius deinde Coelium de vi accusavit, quem Cicero oratione, quae exstat, defendit. A. 701. tribunus plebis fuit, quo in magistratu Cicero ait eum in re publica fortissimum et bonorum voluntati et auctoritati senatus deditum fuisse. A. 703. Aedilis curulis fuit. In bello civili Caesar eum secum in Hispaniam duxit; deinde quum adversus Pompeium in Graeciam iret, eum Romae reliquit Praetorem peregrinum. Ibi quum multa turbulentius egisset, in primis autem Trebonium praetorem urbanum vexasset, senatus eum a re publ. removit. Qua ignominia et dolore permotus palam se proficisci ad Caesarem simulavit, clam nuntiis ad Milonem exsulem missis eum evocavit, ipse Thurios profectus, quum quosdam eius municipii sollicitaret, ab equitibus, qui eo praesidii caussa missi erant, est interfectus. Caes. de B. c. III. c. 20 seqq. Ad eum sunt Ciceronis epistolae 199. 224. 226. 245. 255 257. 263. 273. 372. Eius autem ad Ciceronem 192. 202. 203. 206. 210. 211. 223. 225. 242. 243. 267. 272. 279. 280. 335. 367. 388.

Q. CORNIFICIUS.

In auguratu Ciceronis collega, in bello civili Caesaris partes secutus, post bellum Africanum Africam provinciam propraetor obtinuit, A. 708. quo tempore ad eum scripsit epistolas 640. 645. 655. ex qua intelligitur Syriam provinciam ei Caesarem tribuere voluisse, quod consilium tamen exitum non habuit. Itaque Cornificius in Africa mansit, ad eumque post Caesaris caedem misit Cicero epistolas 764. 779. 783. 784. 785. 789. 806. 807. 812. 822. Anno autem incerto 857.

CRASSIPES.

Bithyniae proquaestor, ad quem scripta est epistola 237. idem esse videtur, qui Ciceronis filiam uxorem duxerat.

M. LICINIUS CRASSUS.

M. Crassi ἀγελάστου nepos, P. Crassi qui in seditione Ma-

riena se ipse interfecerat, filius, consul fuit cum Pompeio Magno A. V. 683. iterumque cum eodem A. 698. quo anno exeunte in Syriam provinciam procos. profectus est, et in bello contra Parthos periit. Ad eum est Ciceronis epistola 131.

L. CULLEOLUS

Proconsul; videtur Illyrico praefuisse, antequam Caesar eam provinciam una cum Gallia obtineret. Ad eum scripsit Cicero epist. 162. 163.

CUPIENNIUS.

Ad eum scripta est Ciceronis epist. 740. qua ei caussam Buthrotiorum commendat.

C. SCRIBONIUS CURIO.

C. Scribonii Curionis, A. 677. consulis, filius, A. 700. proquaestor Asiae fuit, deinde A. 703. tribunus plebis. In bello civili quum antea visus esset Pompeio favere, se ad Caesarem contulit, et cum tribus legionibus pro praetore Siciliam tenuit; ex qua cum duabus legionibus et quingentis equitibus in Africam profectus, cum P. Attio Varo pugnavit, deinde in proelio adversus Saburam interfectus est. Caes. de B. C. II. c. 23—42. Ad eum scripsit Cicero epistolas 166. 168. 169. 170. 175. 178. 227.

M' CURIUS.

Foenerator et negotiator Ciceronis familiaris. Ad quem scripsit epistolas 472. 652. 656. Eiusdem est epistola ad Ciceronem 647.

CURIUS PROCONSUL.

Ad eum scripta est epist. 164. Proconsulari imperio, etsi consul non fuit provinciam obtinuit; quam autem provinciam et quo anno rexerit, haud constat. Ernestius putabat esse eundem, qui a. 691. quaestor urbanus, et a. 696. tribunus plebis fuit.

C. CURTIUS PEDUCEANUS.

A. 694. quaestor, A. 700. aedilis plebis deinde A. 703. praetor fuit inter cives et peregrinos iurisdictionem sortitus, quo anno ad eum Cicero dedit epist. 247.

P. CORNELIUS DOLABELLA

qui, postquam prior uxor cum eo divortium fecerat, A. 703. quo Cicero Ciliciae praeerat, eius filiam uxorem duxit. In bello civili Caesarem in Graeciam secutus est. A. 706. tribunus plebis fuit; deinde eum Caesar secum in Africam et in Hispaniam duxit. Post eius caedem consul suffectus est, Antoniumque collegam habuit. Anno sequente in Asiam profectus Trebonio crudelissime interfecto, hostis a Senatu iudicatus, et Laodiceae a Cassio obsessus, se ipse interfecit. Ad eum scriptae sunt Ciceronis epistolae 519. 537. 563. 649. 699. praeter unam epistolae 736. ad Atticum insertam. Eius autem ad Ciceronem est una; 589.

GN. DOMITIUS AHENOBARBUS.

L. Domitii Ahenobarbi consularis filius, una cum patre Corfinii a Caesare captus et dimissus, post proelium Pharsalicum, in quo pater perierat, in Italiam rediit, quo tempore Cicero ad eum scripsit epist. 432. Is postea fuit in eorum numero, qui adversus Caesarem coniuraverunt; deinde Brutum et Cassium secutus est; eorumque post mortem classem

Antonio tradidit, in bello autem Actiaco ad Augusti partes transiit pauloque post diem obiit supremum.

M. FABIUS GALLUS.

Ciceronis et Attici amantissimus, Epicureus; ad eum scriptae sunt epistolae 91. 124. 635. 638.

T. FADIUS GALLUS.

Cicerone cos. quaestor; a. 696. autem tribunus plebis; deinde iudicio aliquo damnatus et exsul. Ad eum duae sunt Cic. epistolae altera 179 amicissime, altera 467. acerbissime scripta.

T. FURFANIUS POSTUMUS.

Vel ut alii minus recte nomen scribunt *Furfanus Postumius* A. 708. procos. Siciliae fuit. Ad eum est Cic. epistola 477.

C. FURNIUS.

A. 703. tribunus plebis quum de supplicatione Ciceroni ob res in Cilicia gestas ageretur, quasi sua res esset, laboravit. Postea sub Caesaris auspiciis legatus Planci fuit in Gallia, quem locum etiam Hirtio et Pansa Coss. tenuit, quum Cicero epistolas ad eum scriberet 826, 835.

SER. SULPICIUS GALBA.

Ser. Sulpicii Galbae qui Hispaniam propraetor obtinuerat, ac perfidia et crudelitate in Lusitanos bellum Viriathicum excitaverat, nepos, Caesaris in Gallia legatus legioni praefuit, eique consulatus, quem in A. 704. se adepturum speraverat ereptus est, quod Caesari coniunctus et familiaritate et necessitudine legationis esset. Quum deinde Caesar bellum in Parthos molieps consules in quinquennium designaret, iterum se praeteritum graviter dolens, adversus Caesarem una cum Bruto et Cassio conspiravit. Eius est ad Ciceronem epistola 809. de proelio Mutinensi.

P. CORNELIUS LENTULUS SPINTHER.

Aedilis fuit A. 690. Praetor 693. Propraetor Hispaniae citerioris A. 694. Consul a. 696, Proconsul Ciliciae A. 697—699. In bello civili partes Pompeii secutus Asculo; quod oppidum decem cohortibus tenebat, a Caesare expulsus, deinde Corfinii cum aliis senatoribus captus incolumis dimissus est. E pugna Pharsalica navibus Rhodum fugiens a Rhodiis non est receptus. Postea cum aliis Aegyptum delatus periit. Ad eum scripsit Cicero epistolas 92. 93. 94. 95. 96. 100. 101. 113. 125. 148.

P. CORNEL. LENTULUS SPINTHER.

superioris filius.

Augur factus eodem anno quo togam virilem accepit. Trebonii proquaestor in Asia fuit a. 710. post cuius caedem propraetoris nomen assumpsit. Eius est epistola 841. ad Senatum et 842. ad Ciceronem.

M. AEMILIUS LEPIDUS.

Iam A. 696. pontifex fuit. Initio belli civilis praetor Caesarem dictatorem creavit eiusque A. 707. tertium consulis collega, A. autem 708. eiusdem tertium dictatoris magister equitum fuit. Post Caesaris mortem Antonio Consule Pontifex maximus creatus provinciam Galliam Narbonensem et Hispaniam citeriorem tenuit, et

quamvis initio causae libertatis favere videretur, paulo post tamen Antonium spoliatum, inermem, fugientem e proelio Mutinensi recepit, ob eamque causam sententiis omnibus hostis a senatu iudicatus est. Tandem eodem anno V. Kal. Dec. cum Octaviano et Antonio triumvir reip. constituendae factus, anno sequenti consulatum cum Planco gessit; post proelium autem Philippense privatus consenuit. Eius est epistola 825. ad Ciceronem et 840. ad Senatum. Ciceronis vero una ad eum scripta exstat 800.

LEPTA.

Ad quem scriptae sunt epistolae 521. et 650. Ciceronis Ciliciae procos. fuerat praefectus fabrum. Vulgo praenomine Q. appellatur ut ep. 244. et 502. ex falsis scilicet lectionibus partim a Manutio, partim a Martyni-Laguna correctis. Verisimile autem est, quod Glandorpio in mentem venit, eum M. Tullium Leptam appellatum fuisse.

Q. LIGARIUS.

Hic in Africa Propraetoris Considii legatus fuerat, eique ille, quum decederet, provinciam tradiderat. Initio belli civilis ei Pompeiani imperium detulerunt, quod quum ille recusasset, Atius Varus, qui aliquot annis ante Africam pro praetore rexerat, Uticam venit, imperiumque sibi oblatum recepit. Ligarius, quum evadere non posset, Africano bello interfuit, ac postea exsulavit. Pro eo deinde habuit Cicero orationem, quae exstat, quum esset a Tuberone de vi accusatus. Ad eum scriptae sunt epistolae 465. 475.

L. LUCCEIUS.

Historicus clarissimus, ad quem Cicero scripsit ep. 108. 558. 569 quarum ultima respondet epistolae Lucceii 568.

C. CLAUDIUS MARCELLUS.

M. F. M. N. M. Pron. Ciceronis in auguratu collega, antea fuit propraetor Siciliae. Ad eum scripsit Cicero epistolam 216. Huius filius

C. MARCELLUS

A. V. C. 703. cum Aemilio Paullo cos. fuit. In matrimonio habuit Augusti sororem Octaviam, quam praegnantem reliquit, postea Antonio nuptam. Ad eum datae sunt epistolae 215. 239. 274.

M. CLAUDIUS MARCELLUS.

A. 702. cum Ser. Sulpicio cos. fuit; in bello civili Pompeium in Graeciam secutus, post proelium Pharsalicum Mitylenis exsulavit. A. 707. rogatu C. Marcelli fratris universique senatus Caesar permotus eum restituit; sed quum reditum in Italiam pararet Athenis a Magio interfectus est. Ad eum scriptae sunt epistolae 217. 464. 466. 468. 525. eius autem ad Ciceronem una 480.

M. MARIUS.

Ciceronis familiaris, homo imbecillae valitudinis, et quietam, in praediis maxime, vitam agens. Ad quem quatuor Cic. epistolae exstant 126. 182. 452. 458.

C. MATIUS.

Eques Romanus, homo suavissimus doctissimusque, Caesarem in Galliam comitatus est. et post eius mortem ludos ab

Octavio in honorem eius institutos procuravit. Ad eum scripsit Cicero ep. 715. cui Matius respondit ep. 716. Alia eius et Trebatii ad Cic. epistola adiuncta est epistolae 356.

C. MEMMIUS, L. F.

In bello Sertoriano Pompeii Magni quaestor in Hispania fuit; A. 687. trib. pl.; A. 695. praetor factus est. A. 699. a Q. Curtio de ambitu postulatus est, et condemnatus in exsilium abiit Athenas. Ad exsulem scripsit Cicero epistolas 197. 259. 260.

L. MESCINIUS RUFUS.

Ciceronis quaestor in provincia Cilicia fuit, ad quem datae sunt epistolae 302. 373. 438.

Q. METELLUS Q. F. CELER.

Cicerone consule praetor urbanus fuit tresque legiones adversus Catilinam duxit, Galliam Cisalpinam propraetor provinciam sortitus, A. V. C. 693. consulatum gessit cum L. Afranio. Uxorem habuit Clodiam P. Clodii sororem. Mortuus est veneno, quod uxor ipsa ei parasse putabatur. Ad eum scripta est Ciceronis ep. 14. ab eoque ad Ciceronem ep. 13.

Q. METELLUS NEPOS.

A. 690. mense Dec. tribunus plebis factus Ciceronem consulatu decedentem quod indicta causa in cives (Catilinae socios) animadvertisset, concionis habendae potestate privavit. Inde quum Cicero eum verbis ulcisceretur, de ea iniuria questus est frater Q. Metellus Celer ep. 13. quas querelas Cicero ep. 14. refutat. A. 696. consul fuit, ad eumque Cicero exsul scripsit epist. 86. qua eius auxilium implorat. Ipse autem quum esset Hispaniae Proconsul ad Ciceronem misit epistolam 112.

C. MUNATIUS C. F.

Ad eum est epistola 160. paulo post reditum ab exsilio scripta.

P. NIGIDIUS FIGULUS.

Praetor A. V. C. 695. in bello civili Pompeii partes secutus, post pugnam Pharsalicam exsulavit. Exsulantem Cicero consolatus est ep. 463. Ceterum de eo vid. Manutii notam.

C. OPPIUS.

Caesarem secutus est in bello civili, eiusque legatus fuit, quo mortuo Cic. ad eum scripsit epist. 746.

L. PAPIRIUS PAETUS.

Epicureus, homo doctus et facetus, quicum Cicero plerumque in epistolis iocatur. Ad eum exstant epistolae 246. 450. 451. 454. 455. 456. 457. 473. 474. 657. 658. 795.

L. AEMILIUS PAULLUS.

Praetor fuit A. V. 700. consul A. 705. Ad eum scriptae sunt epistolae 218. 240.

Q. MARCIUS PHILIPPUS.

A. 698. Proconsul fuit, eique Cicero ep. 127. Oppii et Egnatii negotia commendat, qui quum in Asia negotiati sint, recte colligit Manutius eum provinciam Asiam proconsule obtinuisse. Postquam e provincia decesserat, scripsit Cicero ad eum epist. alteram 161.

GN. PLANCIUS.

Tribunus militum fuit in Macedonia C. Antonio procon-

P. SERVILIUS VATIA ISAURICUS

praetor fuit A. V. C. 698. consul cum Caesare A. 705. Deinde Asiam provinciam proconsul rexit; sic enim appellatur ep. 462. ep. 508. 509. propraetor vocatur, quia Asia erat provincia praetoria, nisi forte ibi quoque *procos.* legendum est. Praeter has epistolas ad eum scriptae sunt 510. 511. 512. 513. Ciceronis in auguratu collega fuit.

P. SEXTIUS L. F.

quaestor urbanus Cicerone et Antonio coss. huiusque deinde proquaestor in Macedonia. A. 696. tribunus plebis causam Ciceronis ab exsilio revocandi suscepit ac defendit; qui deinde pro eo de vi accusato habuit eam, quae exstat, orationem. A. 700. praeturam gessit deinde a. 704. pro praetore Ciliciam rexit. In bello civili partes Pompeii cum imperio secutus, pecuniam publicam a Mescinio Rufo Ciceronis quaestore depositam in eius usum avertit. Post pugnam Pharsalicam Caesari se submisit. Ad eum scripta est ep. 15.

P. SEXTIUS P. F.

ut Pighius existimat a. 695. quaestor fuit; deinde aedilem fuisse colligit, ex verbis epistolae Ciceronis ad eum scriptae 175. in qua exsulem consolatur ubi dicitur *invidia annonae* ei nocuisse. Absens enim in crimen vocatus et damnatus est.

C. SEXTILIUS RUFUS

Quaestor fuit Cypri a. 704. ut videtur, a Caesare in eam insulam missus. Antea enim Ciliciae proconsules etiam Cyprum obtinebant, neque ea insula proprium habuit proquaestorem. Ceterum Sextilius eandem quaesturam in Cypro etiam post Caesaris mortem tenuit, praefuitque classi Cassii adversus Dolabellam. Cf. ep. 851. extr.

P. SILIUS.

Praetor fuit urbanus A. V. 694. Bithyniae et Ponti propraetor A. 702. ad eum scriptae sunt epp. 233 234. 235. 236. 251. Utrum vero ad eundem Silium scripta sit epistola 673. an ad alium fortasse A. Silium, incertum est.

SER. SULPICIUS Q. F. RUFUS

postquam a. 691. in consulatus petitione a Murena superatus esset, consul fuit cum M. Claudio Marcello, qui quum ad senatum retulisset, ut Caesari in Gallia ante tempus succederetur, et ne absentis ratio comitiis haberetur, Sulpicius adversus collegam Caesaris partes defendit, easque in bello civili secutus est, filiumque contra Pompeium misit. (ep. 360.) Pompeio devicto Achaiae Caesar eum praefecit; eoque interempto libertatis rei publ. recuperandae fautor in legatione ad Antonium, qui Mutinam obsidebat, diem obiit supremum. Ad eum scripsit Cicero epp. 365. 371. 461. 469. 485. 486. 487. 488. 489. 490. 491. 492. 493. 494. 495. 496. 497. 565. Eius autem ad Ciceronem sunt 557. 566.

P. SULPICIUS.

Caesaris legatus in Gallia, qui tempore belli Africani Illyrico praerat cum Vatinio. Ad eum scripta est ep. 618.

TERENTIA

Ciceronis uxor, cum qua divortium fecit A. U. 707. ex-

tremo; postea Sallustio, deinde Messalae, tandem Vibio Rufo nupsit, et si Valerio Maximo credimus VIII. 13. tertio et centesimo aetatis anno decessit.

Ad eam Cicero scripsit epp. 59. 76. 79. 81. tempore exsilii, ep. 283. Cilicia rediens, sub initium belli civilis 306. 312. 385. in bello civili 390. 393. 394. post reditum e bello civili Brundisii 395. 397. 399. 401. 403. 413. 415. 418 | 419. 422. 423. 428. et de Venusino 429.

Q. MINUCIUS THERMUS

de cuius petitione consulatus Cicero ad Atticum scribit ep. 10. propraetor fuit Asiae, eo tempore quo Cicero proconsul Ciliciae praeerat. Ad eum dedit epistolas 230. 231. 232. 253. 254. 258.

TIRO

Ciceronis libertus, ex omni familia ei carissimus, eiusque studiorum socius et administer. Ad eum exstant epistolae 285. 286. 287. 288. 289. 290. 291. 292. in reditu e Cilicia scriptae. Post reditum ad urbem 701. 710. A. V. C. 699. ut videtur 662. 663. 664. 665. A. 707. e villa 659. 660. 661. 667. A. 708. vero 666. denique 695. 702. A. 709.

Q. Ciceronis fratris ad Tironem epistolae exstant 513. 780. 855.

Marci autem filii 781. 782.

C. TITIUS L. F. RUFUS

praetor urbanus Aemilio Paullo et C. Marcello coss. postea legatus Dolabellae. Ad eum scripta est epist. 248.

T. TITIUS T. F

Pompeii legatus, rei frumentariae praefectus ad quem est ep. 181. ad eundem Titium Ernestius refert ep. 856. ubi vid. not.

C. TORANIUS

aedilitatem gessit cum Octavio Caesaris Octaviani s. Augusti patre, postea praeturam A. 694. In bello civili Pompeii partes secutus, in Sicilia exsul vixit, ad eumque scripsit Cicero epistolas 596. 631. Proscriptus est ab Augusto, cuius tutor fuerat, et quum eum filius prodidisset, interfectus. Suet. Aug. 27. Valer. Max. IX. 11.

A. MANLIUS TORQUATUS

praetor fuit Pompeio III. cos. A. V. 701. deinde propraetor Africae. In bello civili Pompeium in Graeciam secutus est, et post proelium Pharsalicum Athenis exsulavit. Fuit Ciceronis amantissimus, qui dedit ad eum epp. 517. 524. 526. 559.

C. TREBATIUS TESTA

Iurisconsultus, antea a Cicerone Caesari, quum Galliam proconsul obtineret commendatus, A. V. 706. tribunus plebis fuit. Ad eum A. 699. datae sunt epistolae 135. 136. 139 143. 145. 147. 150. A. V. 700. epp. 167. 170. 171. 172. 173. 177. A. 709. epp. 755. 756. anno incerto 858. 859.

TREBIANUS

cui inscriptae sunt Epistolae 527. 659. quis fuerit non constat. Et valde vacillat nominis lectio. Ad L. Torquatum eas retulerunt Seb. Corradus et Martyni-Laguna. Vid. not. ad ep. 501.

C. TREBONIUS

quaestor urbanus fuit A. 695. Pisone et Gabinio Coss. Tribunus plebis A. 698. Pompeio

Magno et Crasso II. Coss. legem tulit de prorogandis Caesari Galliis in alterum quinquennium. Postea legatus Caesaris in Gallia fuit. A. 705. Caesare auctore praetor factus iurisdictionem urbanam obtinuit. Ex praetura Hispaniae propraetor pulsus est a legionibus ad Pompeium deficientibus. A. 708. quum Caesar quarto consulatu se abdicasset cum Q. Fabio in tres ultimos menses consul suffectus est. A. 709. Idibus Martiis, quum in Caesarem impetus fieret coniuratorum, Trebonius Antonium ante ostium detinuit, ne illi forte succurreret. Paullo post Asiam provinciam obtinuit, et a Dolabella per amicitiae simulationem deceptus, Smyrnae crudelissime interfectus est. Ad eum misit Cicero Epp. 430. 712. 793. ipse autem ad Ciceronem epist. 714.

L. VALERIUS

Iurisconsultus ad quem est epist. 165.

Q. VALERIUS Q. F. ORCA

praetor fuit A. 696. Lentulo Spinthere et Metello Nepote coss. Ex praetura Africam provinciam procos. obtinuit, quo tempore Cicero ad eum scripsit epist. 114. Postea A. 708. Caesaris legatus fuit, et addito propraetoris nomine agris dividundis praepositus. Eo anno ad eum missae sunt epistolae 641. 642.

M. TERENTIUS VARRO

Romanorum eruditissimus et πολυγραφώτατος. Primum tribunus plebis fuit, et in bello piratico Pompeii classibus praefuit, in bello civili Pompeii legatus et propraetor Hispaniam ulteriorem cum duabus legionibus tenuit; ubi postquam Caesar Afranium et Petreium ad deditionem coëgerat, ipse quoque a militibus desertus in potestatem Caesaris venit. Unde in Graeciam ad Pompeium profectus, post pugnam Pharsalicam, cui ipse non interfuit, Caesari victori se permisit et in Italiam rediit. Ad eum scriptae sunt epistolae 431. 439. 440. 443. 446. 447. 448. 616.

P. VATINIUS

A. U. C. 694. tribunus plebis, legem tulit, qua Caesari consuli data est in quinquennium Gallia citerior cum Illyrico et tribus legionibus, simulque Caesaris collegam Bibulum acerbissime vexavit Cic. in Vatin. c. 5. seqq. Deinde in aedilitatis petitione repulsam tulit. A. V. C. 697. Caesar et Pompeius quum consules designati essent, Domitio competitore excluso, perfecerunt, ut Cato praeturam petens excluderetur, eorumque opera Vatinius, etsi Cicero eius petitionem gravissimis in senatu sententiis oppugnaverat ep. 148. in locum eius praetor creatus est eumque magistratum A. 698 gessit. Et quamquam Cicero Vatinium interrogatione illa, quae inter orationes eius exstat, omnibus conviciis et probris laceraverat, acerbissimoque in eum odio ferebatur, tamen Pompeio intercedente cum eo in gratiam rediit, et postea Caesaris contentione adductus eum duobus iudiciis publicis defendit; quod factum excusat ep. 148. ad Lentulum. Postea Caesaris legatus fuit in Gallia Caes. de B. Gall. VIII. 46. in bello autem civili classi praefuit. Caes. de B. C. III. 100. A. 706. a Caesare, quum dictatura se abdicasset, una cum Fufio Calene consul suffectus est.

Post consulatum Illyricum procos. obtinuit et ob res in ea provincia gestas Imperatoris nomine ornatus et supplicationes ei decretae sunt, Cicerone intercedente, qui ad eum scripsit ep. 646. A. V. 708. quo tempore ad Ciceronem scripsit epistolam 648. Deinde in Dalmatiam profectus alias supplicationes pro rebus adversus Dalmatas gestis postulavit, quod ex eius epist. 654. ad Ciceronem intelligitur. Immo postea A. 711. Lepido et Planco coss. ob res in Dalmatia gestas triumphi honorem consecutus est. A. autem 709. post Caesaris caedem M. Bruto in Macedoniam venienti portas Dyrrhachii aperuit exercitumque tradidit. Cic. Philipp. X. 6.

P. VOLUMNIUS Eutrapelus.

Caesaris praefectus fabrûm in Gallia et in bello civili fuit. Deinde inter M. Antonii collusores et sodales fuit, cui libertam suam et amicam Cytheridem concesserat Cic. Philipp. II. 22. Ad eum Cicero dedit epistolas 229. 471.

INDEX III.

HISTORICUS ET GEOGRAPHICUS.

F.

G.

H.

I.

V.

INDEX IV.

MEMORABILIA VITAE CICERONIS PER ANNOS DIGESTA.

Anni urbis conditae.	Anni ante Christum natum.		Anni Ciceronis.
647	103	Coss. *Q. Servilius Caepio*, *C. Atilius Serranus.*	1
		M. T. Cicero natus III. Nonas Ianuarii, patre M. T. Cicerone, matre Helvia.	
		Marius in Numidia bellum gerit contra Iugurtham. — Gn. Pompeius Magnus natus prid. Kal. Oct.	
648	102	Coss. *P. Rutilius Rufus, Gn. Mallius*	2
		Iugurtha L. Cornelio Sullae Marii quaestori vinctus traditur, ab eoque ad Marium deducitur.	
649	101	Coss. *C. Marius II. C. Flavius Fimbria.*	3
		C. Marius Kal. Ianuariis de Iugurtha triumphat. Bellum adversus Cimbros et Teutonas decernitur.	
650	100	Coss. *C. Marius III. L. Aurelius Orestes.*	4
		Hunc annum Marius in apparando bello Cimbrico consumit. Eodem aut superiore natus esse videtur Q. Cicero Marci frater.	
651	99	Coss. *C. Marius IV. Q. Lutatius Catulus.*	5
		C. Marius Teutonas et Ambronas ad aquas Sextias prope Massiliam vincit. — Antonius orator maritimos praedones persequitur. — Archias poëta Romam venit.	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
652	98	Coſſ. *C. Marius V. M' Aquillius.* Aquillius coſ adverſus fugitivos in Siciliam miſſus, bello ſervili, Athenione duce interſecto, finem imponit. — C. Marius coſ. cum Q. Lutatio Catulo procoſ. Cimbros ad Athelin fluvium praelio vincit.	6
653	97	Coſſ. *C. Marius VI. L. Valerius Flaccus.* L. Apuleii Saturnini trib. pl. ſeditiones. Is Q. Metello Numidico, quod in eius legem agrariam iurare nollet, diem dixit, qui urbe mavult quam ſententia decedere.	7
654	96	Coſſ. *M. Antonius, A. Poſtumius Albinus.* Q Metellus Numidicus rogatione Q. Calidii trib. pl. in civitatem reſtituitur.	8
655	95	Coſſ. *Q. Caecilius Metellus Nepos, T. Didius.* Lex Caecilia Didia, qua iubentur leges trinundino promulgari, et cavetur de duabus aut pluribus rebus non una lege coniungendis.	9
656	94	Coſſ. *Gn. Cornelius Lentulus, P. Licinius Craſſus.* Cenſores L. Valerius Flaccus, et M. Antonius orator, luſtrum faciunt.	10
657	93	Coſſ. *Gn. Domitius Ahenobarbus, C. Caſſius Longinus.* Ptolemaeus Apion rex Cyrenarum teſtamento populum Romanum heredem facit	11
658	92	Coſſ. *L. Licinius Craſſus, Q. Mucius Scaevola.* Lex Licinia Mucia, lata de civitate, ne quis ſit pro cive qui non ſit civis, praecipua belli Marſici cauſa.	12
659	91	Coſſ. *C. Coelius Caldus, L. Domitius Ahenobarbus.* C. Norbanus poſt tribunatum lege Apuleia maieſtatis reus fit a P. Sulpicio Ruſo, defenditur a M. Antonio Oratore, et, quamvis nocentiſſimus, abſolvitur.	13

Anni U. C.	Ante C N		Anni Cic
660	90	Coſſ. *C. Valerius Flaccus, M. Herennius.* L. Cornelius Sulla praetor populo ludos dat. — P. Rutilius Rufus vir conſularis, qui Aſiam quaeſtor a publicanorum inimicis defenderat, repetundarum per calumniam accuſatur, et ab equitibus, penes quos tum iudicia erant, damnatus in exſilium abit. T. Didius de Celtiberis et P. Craſſus de Luſitanis triumphat.	14
661	89	Coſſ. *C. Claudius Pulcher, M. Perperna.* M' Curii et M. Coponii cauſa apud Centumviros agitur a L. Licinio Craſſo et M Scaevola conſularibus. Gn. Domitii et L. Licinii Craſſi gravis in cenſura diſſenſio.	15
662	88	Coſſ. *L. Marcius Philippus, Sex.* Iulius *Caeſar.* Ciceroni puero toga virilis datur. Eius poëma Pontius Glaucus et Arati phaenomena verſibus latinis reddita. M. Livius Druſus iudicia ab equitibus ad ſenatum transferre cupit. Idem ſocios et Italicos populos ad ſpem civitatis Romanae ſollicitat; mox autem a Q. Vadio e foro rediens in atrio domus ſuae cultello vulneratus moritur.	16
663	87	Coſſ. *L. Iulius Caeſar, P. Rutilius Lupus.* Bellum exoritur ſociale. ſ. Marſicum. Deficientibus ob negatam civitatem ſociis Italis Q. Varius legem tulit, ut quaereretur de iis, quorum opera conſiliove ſocii contra populum Rom. arma ſumpſiſſent. Cicero quotidie ſcribens, et legens, et commentans, ad eloquentiam forenſem ſe parat.	17
664	86	Coſſ. *Gn. Pompeius Strabo, L. Porcius Cato.* Cicero in bello Marſico tiro eſt in Gn. Pompeii coſ. exercitu.	18
665	85	Coſſ. *L. Cornelius Sulla, Q. Pompeius Rufus.* P. Sulpicius trib. pl. auctore Mario pernicioſas leges promulgat; Q. Pompeii coſ.	19

Anni U C	Ante C. N.		Anni Cic.
		filium Sullae generum occidit. Sulla cum exercitu venit ad urbem. P. Sulpicius occiditur. Marius primum Minturnas, deinde in Africam fugit. Sulla rebus in urbe compositis ad bellum Mithridaticum proficiscitur. Q. Pompeius cos. in castra adversus Marsos profectus Gn. Pompeii procos. hortatu, cui succedere in imperio debebat, a militibus occiditur.	
		Cicero Romae operam dat Phaedro Epicureo, deinde Philoni Academiae principi. Ius civile cognoscit auctore et duce Scaevola augure, quo mortuo se confert ad Q. Scaevolam Pontificem.	
666	84	Coss. *Gn. Octavius, L. Cornelius Cinna.*	20
		Cinna consul perniciosis legibus per vim latis a collega Gn. Octavio urbe expellitur eique senatus magistratum abrogat, L. Cornelium Merulam sufficit. Ille autem Italicas civitates sollicitat, App. Claudii exercitum in potestatem suam accipit, Marium cum reliquis exsulibus revocat. Quo facto hic ad urbem cum exercitu accedit, eamque captam caedibus et rapinis vastat. Multi senatores, in iisque clarissimi viri Q. Catulus, M. Antonius, C. et L. Caesares fratres trucidantur. Cornelius Merula se consulatu abdicat, sibique venas incidit.	
		Cicero Romae Apollonio Moloni Rhodio, clarissimo Rhetori, operam dat.	
667	83	Coss. *C. Marius VII. L. Cornelius Cinna III.*	21
		Marius cos. Idibus Ianuarii moritur. Ei suffectus L. Valerius Flaccus, a Cinna missus, ut Sullae ad bellum Mithridaticum succederet, in Asiam traiicit.	
		Hoc tempore Cicero scripsit libros Rhetoricorum, quorum duo supersunt *de Inventione.*	
668 et 669	82 et 83	Coss. *L. Cornelius Cinna III. Gn. Papirius Carbo.*	22 et 23
		Sulla bellum cum Mithridate feliciter gerit.	
		Cicero Romae apud Stoicum Diodotum quum in aliis rebus, tum studiosis-	

Anni U. C.	Ante C N.		Anni Cic.
		ſime in dialectica exercetur, praeterea pergit Latine et Graece declamitare. Eodem tempore Xenophontis Oeconomicum et aliquot Platonis dialogos e Graeco in latinum ſermonem convertit.	
670	80	Coſſ. *L. Cornelius Scipio Aſiaticus*, *C. Norbanus Flaccus*. Sulla pace cum Mithridate facta in Italiam redit, C. Norbanum coſ. proelio vincit. Scipio alter conſul ad Theanum cum exercitu profectus, cum Sulla de pacis et rei publ. ordinandae conditionibus agit, de quibus quum inter eos haud convenisſet, exercitus Scipionis ſigna ad Sullam transfert; ipſe cum filio ſolus in caſtris relictus a Sulla dimittitur et Maſſiliam abit exſulatum.	24
671	79	Coſſ. *Gn. Papirius Carbo III.*, *C. Marius C. F.* L. Damaſippus praetor auctore Mario coſ. omnem nobilitatem trucidat. Sulla fuſo ad Sacriportum exercitu, in urbem venit, inimicos fuga elapſos proſcribit, eorumque bona publicat. Deinde praeſidio urbi impoſito Gn. Carbonem alterum conſulem aliquot praeliis vincit. Poſtremo reliquos Marianae factionis duces Carinatem Damaſippum et C. Marcium Cenſorinum cum ſociis ingenti pugna ſuperat. Quo facto in urbem redit, et magna civium multitudine crudeliſſime trucidata *dictator* ab interrege L. Flacco lege ad populum lata creatur; quam dictaturam per aliquot annos tenet, conſules tamen creari paſſus.	25
672	78	Coſſ. *M. Tullius Decula*, *Gn. Cornelius Dolabella*. Sulla rem publicam novis legibus conſtituit Gn. Pompeius bello in Africa cum Domitio et Hiarba rege Numidiae confecto XXVI annos natus eques triumphat. Cicero orationem habet pro *Quintio*.	26

Anni U. C	Ante C N.		Anni Cic.
673	77	Coss. *L. Cornelius Sulla II., Q. Caecilius Metellius Pius.*	27
		Cicero defendit Sex. Roscium Amerinum parricidii reum.	
674.	76	Coss. *P. Servilins Vatia Isauricus, Ap. Claudius Pulcher.*	28
		Sulla se dictatura abdicat.	
		Cicero Arretinae mulieris libertatem contra Cottam defendit. Deinde proficiscitur in Graeciam. Athenis Antiocho Ascalonitae operam dat; Phaedrum et Zenonem Epicureos audit.	
675	75	Coss. *M. Aemilius Lepidus, Q. Lutatius Catulus.*	29
		L. Cornelius Sulla moritur.	
		Cicero Athenis apud Demetrium Syrum dicendi magistrum exercetur. Deinde Asiam peragrat, operamque dat Menippo Stratonicensi, Xenocli Adramytteno, Aeschylo Cnidio, Dionysio Magneti Rhetoribus. Rhodi apud Apollonium Molonem graece declamitat, et Posidonium philosophum Stoicum audit.	
		M. Lepidus cos. in Galliam provinciam sibi decretam, profectus, acta Sullae rescindere et proscriptos revocare conatur, exercitu ad urbem admoto: unde a Catulo cos. et Gn. Pompeio repulsus exsul in Sardinia moritur.	
676	74	Coss. *M. Iunius Brutus, M. Aemilius Livianus.*	30
		Gn. Pompeius mittitur contra Sertorium.	
		Cicero ex itinere in Graeciam et Asiam Romam revertitur et Terentiam uxorem ducit.	
677	73	Coss. *Gn. Octavius, C. Scribonius Curio.*	31
		In Hispania adversus Sertorium acerrime pugnatur.	
		Cicero causas complures in foro agit, inprimis orationem habet pro *Roscio*	

Anni U. C	Ante C. N.		Anni Cic.
		Comoedo. Deinde quaeſturam petens, in comitiis tributis cunctis ſuffragiis quaeſtor fit.	
678	72	Coſſ. *L. Octavius, C. Aurelius Cotta.* Cicero quaeſtor in Sicilia Lilybaetanus praetore Sex. Peducaeo.	32
679	71	Coſſ. *L. Licinius Lucullus, M. Aurelius Cotta.* M. Antonius M. triumviri pater curationem orae maritimae nactus, Siciliam aliasque provincias depopulatur, deinde Cretenſibus bello illato, re male geſta moritur. Cicero ex quaeſtura Sicilienſi ad urbem redit.	33
680	70	Coſſ. *M. Terentius Varro Lucullus, C. Caſſius Varus.* In Italia bellum a gladiatoribus excitatur duce Spartaco. L. Lucullus bellum contra Mithridatem gerit.	34
681	69	Coſſ. *L. Gellius Poplicola, Gn. Cornelius Lentulus Clodianus.* Lucullus Mithridatem in Pontum perſequitur. Spartacus utrumque conſulem proelio vincit.	35
682	68	Coſſ. *C. Aufidius Oreſtes, P. Cornelius Lentulus Sura.* Mithridates ad generum ſuum Tigranem in Armeniam fugit. Spartacus a M. Licinio Craſſo praetore proelio victus perit. Extremo anno Pompeius Magnus bello Sertoriano confecto ex Hiſpania redux triumphat.	36
685	67	Coſſ. *M. Licinius Craſſus, Gn. Pompeius Magnus.* Cicero aedilis deſignatus, Siculorum patrocinio ſuſcepto, C. Verrem, qui Siciliam provinciam per triennium rapinis et crudelitate vexaverat, repetundarum poſtulatum in iudicium vocat. Ac primum *divinatione in Q. Caecilium Ni-*	37

Anni U. C	Ante C. N.		Anni Cic.
		grum, qui item ſe accuſatorem Verris profitebatur, praevaricationis ſuſpectum, ab accuſatione detrudit. Deinde cum L. Tullio fratre patruele, in Siciliam proficiſcitur, totamque provinciam peragrat literis et teſtimoniis in Verrem colligendis occupatus. Tum Romam reverſus, ne ſibi reus dilatione eriperetur, longas orationes praetermiſit, ac magno teſtium numero adverſus Verrem citato, effecit, ut is defenſionis ſpe et voluntate abiecta ſuapte ſponte in exſilium abiret. Ad iſtam cauſam pertinet Actio Cic. prima in Verrem. Actionis ſecundae libri quinque Cic. poſtea, Verre iam exſulante, conſcripti ſunt.	
		Hoc anno L. Aurelius Cotta praetor tulit legem iudiciariam ad populum, qua iudicia, quae lege Cornelia penes ſenatores fuerant, communicata ſunt cum equitibus et tribunis aerariis.	
684	66	Coſſ. *Q. Hortenſius*, *Q. Caecilius Metellus Creticus.*	38
		Cicero *aedilis* trinos ludos facit modico ſumptu. *M. Fonteium* ex Gallia provincia, quam pro praetore per triennium rexerat, repetundarum reum, oratione defendit. Ad eundem annum referenda videtur oratio *pro Caecina.*	
685	65	Coſſ. *L. Caecilius Metellus*, *Q. Marcius Rex.*	39
		Hoc anno incipiunt Cic. epiſtolae ad Atticum. Lucius Cicero M. frater patruelis moritur.	
686	64	Coſſ. *C. Calpurnius Piſo*, *M' Acilius Glabrio.*	40
		Cicero praeturam petit, et inter octo praetores primus deſignatur. Anno exeunte filiam Tulliam C. Piſoni L. F. Fru-	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		gi despondet, nondum scilicet nubilem; nuptiis in annum abhinc tertium dilatis.	
		Gn. Pompeio M. bellum adversus piratas defertur.	
687	63	Coss. *M. Aemilius Lepidus*, *L. Volcatius Tullus.*	41
		Cicero *praeturam* gerit; eius frater Q. aedilitatem petit. Ipse orationem *pro lege Manilia* a trib. pl. C. Manilio promulgata habuit, ut bellum cum Mithridate hucusque a Lucullo gestum Gn. Pompeio Magno committeretur. Eodem hoc anno dixit pro *A. Cluentio*; et pro *M. Fundanio.*	
688	62	Coss. *L. Aurelius Cotta*, *L. Manlius Torquatus.*	42
		Cicero C. Cornelium Gallum de maiestate accusatum ap. Q. Gallium praetorem defendit. Ei filius nascitur.	
689	61	Coss. *L. Iulius Caesar*, *C. Marcius Figulus.*	43
		Cicero consulatum petit. Habet *orationem in toga candida* contra Catilinae et Antonii coitionem. Consul designatur cum C. Antonio.	
690	60	Coss. *M. Tullius Cicero*, *C. Antonius.*	44
		P. Servilius Rullus trib. pl. legem promulgaverat agrariam. Contra eam Cic. tres orationes habuit, primam in senatu, secundam et tertiam in concione ad populum. Hanc secutae sunt orationes pro *L. Roscio Othone*, qui trib. pl. legem tulerat, ut equitibus Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur; pro *Rabirio Postumo*; de *proscriptorum filiis*, quos Sulla paternis opibus et petendorum honorum iure excluserat; quam legem etiamsi duram Cic. tamen rei publicae causa servandam esse defendit. Sequitur oratio	

Anni U. C	Ante C. N.		Anni Cic.
		habita *quum provinciam in concione deponeret.* Deinde quum Catilinae ſurores in coniurationem adverſus rem publ. erupiſſent Cic. *primam* habuit orationem Catilinariam, qua eum ex urbe excedere iuſſit, *ſecundam.* ad populum poſtridie quam Catilina profugit, *tertiam* in concione, qua die Allobrogum legati involgarunt, i. e. Catilinae coniuratos prodiderunt, *quartam* in ſenatu, Nonis Decembribus.	
691	59	Coſſ. *D. Iunius Silanus, L. Licinius Murena.*	45
		Catilina, adverſus quem Antonius procoſ. cum exercitu miſſus erat, victus ab eius legato M. Petreio perit. Antonius in Macedoniam, quae provincia ei obtigerat, proficiſcitur. Pompeius confecto Mithridatico bello redit.	
		Metellus nepos trib. pl. in concione in Ciceronem et ſenatum invehitur, negans cives coniuratos Catilinae indicta cauſa necandos fuiſſe. Ei opponit Cicero *Orationem Metellinam.* Idem h. a. emit domum in Palatio. Extremo anno Clodius Pompeiae Caeſaris uxoris amore captus, quum in eius domo Bonae deae per populo fieret, clam veſte muliebri ingreſſus et agnitus foras eiicitur. — Hoc anno Cic. habuit orationem pro P. Cornelio *Sulla,* a. L. Torquato coniurationis accuſato. Eodem Q. Cicero M. frater praeturam geſſit.	
692	58	Coſſ. *M. Pupius Piſo, M. Valerius Meſſala.*	46
		Clodius inceſti crimine accuſatus id amoliri ſtudet, quum diceret ſe illa nocte non Romae, ſed Interamnae fuiſſe. Cicero teſtis productus dicit illum eodem die ad ſe domum veniſſe; Clodius tamen abſolvitur. Q. Ciceroni M. fra-	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		tri ex praetura Aſia provincia obtingit. Cicero Clodium in ſenatu tum oratione perpetua, tum altercatione frangit. Hoc anno idem orationem pro *Archia poëta* habuit. Pompeius III. et prid. Kal. Octobr. de Mithridate, Tigrane aliisque regibus victis triumphum egit.	
693	57	Coſſ. *Q. Caecilius Metellus Celer L. Afranius.* Initio anni Cicero effecit, ne Q. fratri in Aſia ſuccederetur. P. Clodius Ciceronis ulciſcendi cauſa tribunatus cupidus tranſitionem ad plebem molitur. Cicero *commentarium conſulatus* ſui ſcribit; de eodem librum graece ſcriptum edit; denique poema de conſulatu tribus libris conſcribit. Item Arati prognoſtica verſibus latinis interpretatur. Poſt Idus Martias ruſticatur: deinde e Pompeiano IV. Id. Maii Romam redit. Kal. Iun. Antium proficiſcitur. Anno extremo in Tuſculano eſt, deinde ad urbem redit. Hoc anno ad finem vergente Pompeius cum C. Iulio Caeſare et M. Licinio Craſſo coitionem facit.	47
694	56	Coſſ. *C. Iulius Caeſar, M. Calpurnius Bibulus.* Cicero legationem ſibi a Caeſare oblatam aſpernatur, idemque locum in XX Viris agro Campano dividundis recuſat. Quod Caeſar aegre ferens Clodium qui ſe P. Fonteio plebeio homini in adoptionem dederat, ad plebem traducit Cic. tempore verno Tuſculanum et Formianum inviſit, deinde in urbem redit. Hoc anno C. Antonius, poſt reditum e provincia accuſatus, a Cicerone defenditur. Condemnatus tamen exſul abit in Cephaleniam. Poſtea Cicero Aulum	48

Anni U. C.	Ante C. N		Anni Cic.
		Thermum bis defendit, effecitque ut abſolveretur. Deinde orationem habuit pro *L. Valerio Flacco* a D. Laelio repetundarum accuſato, eumque de manifeſtiſſimis criminibus ioci opportunitate exemit.	
		Caeſari conſuli, rogatione P. Vatinii trib. pl., invito ſenatu, Gallia citerior cum Illyrico et tribus legionibus in quinquennium decernitur, quo facto Senatus ei Galliam ulteriorem cum alia legione addit. P. Clodius comitiis tribuniciis trib. pl. deſignatur eumque tribunatum adit menſe Decembri.	
695	55	Coſſ. *L. Calpurnius Piſo Caeſoninus, A. Gabinius.*	49
		Clodius trib. pl. leges tulit 1. ut frumentum populo gratis daretur 2. ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de coelo ſervaret 3. de collegiis reſtituendis noviſque inſtituendis 4. ne quem Cenſores in ſenatu legendo praeterirent, neve qua ignominia afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, et utriusque cenſoris ſententia damnatus eſſet. Praeterea legem tulit, ut qui civem Romanum indemnatum interemiſſet, ei aqua et igni interdiceretur. Quo facto Cicero veſtem mutat, et ſordidatus populo ſupplicat. Multi ſenatores et XX millia hominum aliorum, inprimis equites fere omnes veſtitum mutant. Cicero menſe Martio extremo urbe cedit. Poſt eius diſceſſum Clodius de eius exſilio ad populum refert, edictumque proponit, ut illi aqua et igni interdiceretur, et ne intra quadringenta millia paſſuum ei liceret eſſe. Deinde Ciceronis domum in Palatio item villam Tuſculanam et Formianam incendit, bona diripit. Cicero Vibonem, Thurium, Tarentum, Brundiſium, petit, et X. Kal.	

An. U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		Iun. Theſſalonicam venit. Inde quum ei ſpes reditus facta eſſet Dyrrhacbium redit circa VI. Kal. Dec. Q. frater ante Kal. Maii Aſia provincia deceſſit, quam per triennium obtinuerat.	
696	54	Coſſ. *P. Cornelius Lentulus Spinther, Q. Caecilius Metellus Nepos.* Kalendis Ianuarii Lentulus Spinther coſ. de revocando Cic. in ſenatu agere coepit, adiuvantibus fere omnibus tribunis plebis, in primis P. Sextio et de T. Annio Milone. His ſtudiis effectum eſt, ut primum SCtum fieret de eius ſalute, deinde lex de eo revocando ad populum lata prid. Non. Sextil. omnium centuriarum conſenſu perlata eſt. Eodem die Cic. Dyrrhachio profectus Nonis Sextil. Tulliae natali Brundiſium venit. Inde per Italiam omnium municipiorum, praefecturarum, coloniarum ſumma gratulatione et plauſu exceptus Romam venit prid. Non. Sept. Poſtridie ſenatui, deinde populo, concione a conſulibus data gratias egit. Prid. Kal. Oct. Cic. apud pontiſices po domo dicit. Domus in Palatio, Tuſculana et Formiana villa, pecunia publica, aeſtimatione facta, aedificanda locatur. Hoc anno ſtatim poſt Ciceronis reditum in eiusque ſententiam ſit SCtum, ex eoque lex promulgatur, ut Pompeio per quinquennium poteſtas rei frumentariae toto urbe terrarum daretur. In quindecim legatis quos huius rei cauſa Pompeius ſibi legavit fuit Q. Cicero, isque in eo negotio in Sardiniam profectus eſt.	50
697	53	Coſſ. *Gn. Cornelius Lentulus Marcellinus, L. Marcius Philippus.* Initio anni Cic. in ſenatu agit, ut P. Lentulo Ciliciae procoſ. negotium daretur Ptolemaei regis in regnum redu-	51

Anni U C	Ante C N		Anni Cic.
		cendi. P. *Sextius* a M. Tullio Albinovano lege Lutatia de vi postulatus defenditur a Cicerone, oratione quae exstat, et absolvitur. In eum Vatinius testimonium dixerat. Itaque Cicero perpetua *interrogatione* eius vitam, et tribunatum reprehendit. III. Id. Febr. Bestiam defendit de ambitu accusatum. Prid. Non. Apr. Tulliam filiam Furio Crassipedi despondet. Deinde defendit *L. Cornelium Balbum* Gaditanum, quem accusator negaverat iure civitate donatum. Paulo post in Senatu habuit orationem de *provinciis consularibus*. Eodem anno defendit *M. Coelium* de auro quod a Clodia sumpsisse, et de veneno, quod ei parasse dicebatur, accusatum. C. Iulius Caesar, exercitu in hibernis collocato, discedens in Italiam Lucae hiemat. Eo Pompeium et Crassum vocat, cumque iisque pacistitur, ut ambo consulatum alterum petant, et hac ratione L. Domitium consulatu detrudant, qui minatus erat, se, si consul factus esset, Caesari exercitus ademturum.	
698	52	Coss. *Gn. Pompeius Magnus II. M. Licinius Crassus II.* Consules ex interregno magistratum ineunt. Provinciae iis in quinquennium decernuntur, Pompeio Hispaniae cum Africa, et Crasso Syria; Galliae Caesari in alterum quinquennium prolongantur. Pompeius provincias suas per legatos Afranium et Petreium administrari iubet, ipse in Italia manet. M. Crassus ad bellum Parthis inferendum antequam paludatus in provinciam exiret, apud Ciceronem in Crassipedis generi hortis cenat. Hoc anno Cicero orationem habuit in *Pisonem* scripsitque libros tres *de Oratore*.	52

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
699	51	Coſſ. *L. Domitius Ahenobarbus, Ap. Claudius Pulcher.* Cicero *Craſſi* cauſam in ſenatu defendit; orationes habet pro *Vatinio*, pro *Meſſio* et *Druſo*, pro *M. Aemilio Schauro* a. C. Triario repetundarum poſtulato, pro *Gn. Plancio*, pro *A. Gabinio* repetundarum accuſato, (quem rogatu Pompeii defendit;) pro *C. Rabirio Poſtumo* maieſtatis reo. Otium impendit libris *de re publica* ſcribendis. Q. Cicero legatus Caeſaris in Galliam proficiſcitur. Iulia Caeſaris filia Gn. Pómpeii Magni uxor moritur.	53
700	50	Coſſ. *Gn. Domitius Calvinus. M. Valerius Meſſala.* Hi conſules non Kal. Ianuariis magiſtratum inierunt, ſed poſt plura inrerregna menſe Aprili demum creati ſunt. Cicero poſtquam M. Craſſus exercitu a Parthis deleto perierat, in eius locum *augur* factus eſt.	54
701	49	Coſ. *Gn. Pompeius Magnus III.* Hoc anno Milo, P. Plautius Hypſaeus et Q. Metellus Scipio conſulatum, Clodius praeturam petebat. Ambitus non more maiorum, ſed largitione aperta agebatur; denique res ad vim et caedem ſpectabat. XIII. Kal. Febr. quum Milo Lanuvium ad flaminem ibi prodendum proficiſceretur, obviam ei fit Clodius Arica rediens, et pugna coorta interficitur. Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio V. Kal. Martii coſ. creatus paullatim coepit ſe a Caeſare avertere. Uxorem duxit Corneliam Q. Metelli Scipionis filiam, ſocerumque ſibi in quinque extremos h. a. menſes collegam in conſulatu ſubrogavit. Cicero Milonem de vi accuſatum defendit, ſed ita, ut fori adſpectu, iuſſu Pompeii militibus circumdati et acclamationibus Clodianorum perturba-	55

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		tus parum constanter diceret. Eam quae exstat pro *Milone* orationem postea scripsit; quum Milo condemnatus Massiliam exsulatum abiisset. Deinde defendit M. *Saufeium*, qui absolutus est. Mense Decembri T. Munatius Plancus Bursa tribunatu plebis deposito accusatus a Cicerone et condemnatus est. Hoc anno post Milonianum iudicium scripsit Cic. *libros de legibus*. (Vid. Cl. *Görenzii* Introd. ad hos libros pag. XVII. sqq.)	
702	48	Coss. *Ser. Sulpicius Rufus*, *M. Claudius Marcellus*.	56
		Quum superiore anno SCto cautum esset, ne quis praetorius aut consularis intra quinquennium in provinciam iret, coacti sunt ii provincias administrare, qui in eas e consulatu et praetura nondum iverant. Itaque Ciceroni obtigit Cilicia pro consule regenda; cum exercitu peditum XII M., equitum MMDC. Successit in provincia Ap. Claudio. Legati ei fuerunt Q. frater, C. Pomptinius, L. Tullius, M. Anneius: quaestor L. Mescinius. Profectus ex urbe mense Maio, V. Id. Beneventum, XV. Kal. Iun. Tarentum, XI. Kal. Brundisium venit. Inde profectus Actium XVII. Kal. Quint. Athenas VII. Kal. Quint. venit. Inde prid. Non. Quintil. profectus Ephesum venit a. d. XI. Kal. Sextil.; Laodiceam in provinciam venit prid. Kal. Sext. VII Kal. Sept. in Lycaoniam ad Iconium in castra venit. Eo a. d. III. Kal. Sept. legati veniunt ab Antiocho Commageno nuntiantes Parthos Euphratem transiisse. Prid. Kal. Sept. Cic. castris ab Iconio motis per Cappadociam proficiscitur et apud oppidum Cybistra ca-	

Anni U. C.	Anti C. N.		Anni Cic.
		ſtra ponit; Ariobarzanem regem inſidiis liberat; inde itinere per Tauri pylas in Ciliciam facto Tarſum venit III. Non. Octobr. Deinde ad Amanum profectus magnum numerum hoſtium cecidit, caſtella complura cepit, et *imperator* appellatus eſt. Ipſis deinde Saturnalibus Pindeniſſum oppidum Eleutherocilicium cepit, ſeptimo et quadrageſimo die, poſtquam oppugnare illud coeperat.	
703	47	Coſſ. *L. Aemilius Paullus, C. Claudius Marcellus.* Ciceroni Romae pro re bene geſta ſupplicationes decernuntur. Ipſe Nonis Ian. Tarſo proficiſcitur in Aſiam et ex Id. Febr. ad Kalend. Maii ſorum agit dioeceſium Aſiaticarum. Nonis Maii profectus in Ciliciam Tarſum venit Nonis Iun. III. Kal. Sextil. de provincia decedens C. Coelium quaeſtorem ei praefecit. Epheſo profectus Kal. Oct. Athenas venit prid. Id. Patris Tironem aegrum reliquit. Brundiſium venit VII. Kal. Dec.	57
704	46	Coſſ. *C. Claudius Marcellus, L. Cornelius Lentulus Crus.* Cicero prid. Non. Ian. ad urbem accedens in ipſam incidit flammam civilis diſcordiae inter Caeſarem et Pompeium. Kal. Ian. factum eſt SCtum, ut ante Kal. Mart. Caeſar exercitum dimitteret, ſi non faceret eum adverſus rem publ. facturum videri. Ei SCto intercedunt tribuni pleb. M. Antonius et Q. Caſſius. Senatus conſulibus, praetoribus, tribunis pl. iisque qui pro conſulibus ad urbem erant, negotium dedit, ut curarent ne quid res publica detrimenti caperet. Cicero, quum fruſtra omnia eſſet exper-	58

Anni U.C.	Ante C N.		Anni Cic.
		tus, quae ad concordiam pertinerent, postquam Caesar Rubicone traiecto complura oppida occupaverat, una cum consulibus aliisque optimatibus, qui Pompeium sequebantur, ab urbe discessit, et Capuam oramque maritimam a Formiis tuendam suscepit. Pompeius VIII. Kal. Mart. Brundisium venit. VII. Id. Mart. Caesar ad murum castra ponit. XVI. Kal. April Pompeius Brundisio, cum omnibus copiis, navibus in Graeciam traiicit. Caesar postero die oppidum ingressus et concionatus, Romam proficiscitur, quo in itinere Cic. eum convenit. VII. Id. Iun., postquam Arpini filio togam puram dederat, Pompeium in Graeciam secuturus, navem conscendit. Caesar Hispania potitur, superatis Pompeii legatis, et a M. Lepido praetore dictator dictus Romae comitia habet, quibus ipse cum P. Servilio cos. creatur.	
705	45	Coss. *C. Iulius Caesar II., P. Servilius Vatia Isauricus.*	59
		Caesar prid. Non. Ian. Brundisio in Epirum traiicit, Pompeium Dyrrhachii obsidet, qui inde elapsus bellum in Thessaliam transtulit, ubi proelio ad Pharsalum prid. Kal. Oct. a Caesare victus in Aegyptum fugit ad Ptolemaeum puerum, ibique interficitur.	
		Cicero ab armis discedens Brundisium venit.	
		Caesar bellum Alexandrinum gerit.	
706	44	*C. Iul. Caesar II. dictator, M. Antonius Magister Equitum.*	60
		Caesar bello Alexandrino confecto mense Septembri in Italiam rediit, eique Cicero obviam processit. Caesar ut eum sibi occurrere vidit, descendit, eumque salutavit, cum eoque collo-	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		quens multa ſtadia proceſſit. Paullo poſt Cicero, qui hucusque Brundiſii commoratus erat, in urbem venit. Tribus extremis h. a. menſibus coſſ. fuerunt Q. Fufius Calenus et P. Vatinius. Caeſar VI. Kal. Ian. Lilybaeo in Africam traiecit, bellum adverſus Pompeianos Scipionem et Catonem et Iubam Mauritaniae regem geſturus.	
707	43	Coſſ. *C. Iulius Caeſar III. M. Aemilius Lepidus.* Caeſar initio menſis Aprilis Scipionem et Iubam vincit. Paucis diebus poſt M. Cato Uticae ſibi mortem conſciſcit. Caeſar Africano bello confecto Idib. Iun. claſſem conſcendit, et die tertio in Sardiniam venit. Inde III. Kal. Quint. profectus Romam venit a. d. VII. Kal. Sext. Ibi quatuor triumphis actis rem publ., ſummam poteſtatem nactus, conſtituit. Extremo anno ad bellum Hiſpanienſe adverſus Pompeii liberos profectus eſt, et poſt XXVII dies in Hiſpaniam venit. Cicero h. a. *partitiones oratorias*, deinde *laudem Catonis* ſcripſit, cui Caeſar *Anti-Catonem* oppoſuit. Deinde ſcripſit *Oratorem* ad M. Brutum, qui tum Galliae Ciſalpinae praeerat. Prid. Kal. intercalar. apud Caeſarem habuit orationem pro *Q. Ligario*, quem Q. Aelius Tubero accuſaverat. Extremo anno cum Terentia uxore divortium fecit.	61
708	42	*C. Iulius Caeſar III. Dictator, M. Aemilius Lepidus Mag. Equitum.* Caeſar ſimul IV. Conſul ſine collega fuit. Caeſar victis in Hiſpania Pompeii filiis, Sexto et Gnaeo, menſe Octobri Romam reverſus conſulatu ſe abdicat, et Q. Fabium Maximum et Trebonium ſibi ſufficit. Ultimo autem Decembris die quum Fabius deceſſiſſet, Trebonius autem abeſſet, C. Caninius Rebilus coſ. renuntiatur, qui, ut Cicero iocabatur, adeo vigilans conſul fuit, ut toto conſulatu ſomnum non viderit. Cicero initio h. a. vel ſuperiore exeunte	62

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		Publiliam uxorem duxit, cuius bona heres a patre fideicommiſſarius relictus cuſtodiebat. Tullia eius filia, poſt divortium cum Dolabella factum, Romae filiolam peperit, et paullo poſt diem obiit ſupremum. Cicero vehementer eius morte afflictus, Publilia dimiſſa, Aſturae ſe abdit, doloremque ſuum partim fani Tulliae erigendi conſilio, partim libris ſcribendis lenire ſtudet. Scripſit igitur h. a. *Conſolationem* ſ. librum de luctu minuendo, libros de *finibus bonorum et malorum*, *Academicas quaeſtiones*. Animum etiam adiecit libro ad Caeſarem de re publ. ordinanda ſcribendo. Menſe Aprili filium ſuum ſtudiorum cauſa Athenas mittit; et paullo poſt Aſtura diſcedit, reliquosque menſes partim in Tuſculano partim in Arpinati aliisque villis tranſigit, menſe Octobri Romam ſe confert; menſe autem Decembri in Puteolanum, ubi XII. Kal. Ian. Caeſarem eiusque comites hoſpitio accepit.	
709	41	Coſſ. *C. Iulius Caeſar V.*, *M. Antonius.* Primis anni menſibus Cicero abſolvit *Tuſculanas diſputationes.*	63
		Caeſar Idibus Martiis in curia a coniuratis M. Bruto, C. Caſſio aliisque interficitur. Coniurati ſe recipiunt in Capitolium. Dolabella in Caeſaris locum coſ. ſufficitur.	
		Cicero XVI. Kal. Apr. in aede Telluris pacem ſuadet, et diſcordiarum memoriam oblivione delendam cenſet. Antonio idem ſe velle ſimulante Caeſaris interfectores Capitolio deſcendunt, Bruto Creta, Caſſio Africa, Trebonio Aſia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia citerior decernitur. Caeſar autem quum funere elatus et ab Antonio laudatus	

Ante U. C.	Anni C. N.		Anni Cic.
		esset, Brutus et Cassius a plebis ira sibi metuentes urbem relinquunt, et Antii et Lanuvii commorantur. Antonius Italiam percursat. Cicero villas suas lustrat; scribitque libros *de Natura deorum*, *de divinatione, de senectute et de gloria.* Dolabella columnam in foro a plebe Caesari statutam evertit, hominesque seditiosos ultimis suppliciis affligit. C. Octavius, heres Caesaris, Apollonia Neapolim venit XIV. Kal. Maii. Kalendis Iuniis senatores quum in senatu, ut Antonius edixerat, adesse vellent, armorum eius metu perterriti diffugiunt. Cicero villas obit, et libros *de officiis* scribere aggreditur. Et quum haberet ius legationis liberae, consilium cepit in Graeciam proficiscendi. Itaque XII. Kal. Sextil. Velia proficiscens, (ubi in ipsa navigatione *Topica* ad Trebatium scripsit) Rhegium et Kal. Sext. Syracusas venit. Inde postero die nave conscensa ventis reiectus ad Leucopetram promontorium agri Rhegini, quum Rhegini quidam Roma venientes ea narrassent, quae spem facerent fore, ut Antonius cederet, et Caesaris interfectores Romam redirent, Ciceronem vero desiderari, et, quod urbe abesset, accusari dixissent, profectionis consilio abiecto Romam properat, et prid. Kal. Sept. in urbem venit. Antonius Kal. Sept. senatum habuit de supplicationibus Caesari decernendis. Cicero in senatum non venit, fortasse metuens ab Antonio insidias, misit tamen ad Antonium, qui ei diceret se ex via languere. Antonius in senatu dixit, nisi veniret, fabros se missurum et domum eius disturbaturum. Postridie Antonio absente Cicero in senatum venit, habuitque Orationem, quae	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
709	41	dicitur *Philippica prima*. Ob quam Antonius ira incenſus inimicitias ei denuntiat, eumque a. d. XIII. Kal. Oct. in ſenatu adeſſe iubet. Ipſe interea per XVII. dies in Tiburtino Scipionis declamitans meditatus eſt orationem quam XIII. Kal. Oct. in aede Concordiae contra Ciceronem habuit. Cicero in ſenatu non affuit, metu inſidiarum ab amicis prohibitus. Antonii vero orationi oppoſuit *Philippicam ſecundam*, non habitam quidem, ſed ita conſcriptam quaſi eam XIII. Kal. Oct. in praeſentem Antonium habuiſſet. Extremis Octobris diebus et menſe Novembri Cicero Puteolanum ſuum ceterasque villas obit, librosque *de Officiis* perficit. Interim Antonius VII. id. Oct. obviam ivit legionibus quatuor e Macedonia redeuntibus easque ſibi conciliare ſtuduit. Brundiſium venit VII. Id. Oct. Octavius autem, ſ. ut Caeſaris hereditate adita nominabatur, *Caeſar Octavianus*, veteranos Caeſaris excivit, multisque aliis accedentibus iuſtum exercitum contraxit. Paulo poſt legiones Martia et Quarta Antonium reliquerunt, et ad Octavianum transierunt. Quo nuntio allato Antonius quum ſenatum in Capitolium a. d. IV. Kal. vocaſſet, valde perculſus confeſtim ſenatum dimiſit et paludatus in Galliam citeriorem diſceſſit. Dec. Brutus autem edictum propoſuit, quo ſe provinciam Galliam in S. P. Q. R. poteſtate retenturum pollicebatur. Cicero V. Id. Dec. ad urbem rediit, et quum novi tribuni XIII. Kal. Ian. ſenatum convocaſſent, ipſe ſententiam rogatus ea dixit, quae complexus eſt *Philippica tertia*. Cenſuit autem, res eas quas Caeſar adoleſcens egiſſet, pu-	63

Anni U. C	Ante C. N.		Anni Cic.
		blica auctoritate confirmandas, legiones, quae Antonium deseruissent, laudandas, Dec. Brutum, qui se Antonio in Galliam obiecisset, ornandum. SCto in hanc sententiam facto Cicero in concionem productus, populo, quae acta et decreta essent, exposuit *Philippica quarta.*	
710	40	Coss. *C. Vibius Pansa*, *A. Hirtius.*	64
		Kal. Ianuariis consules retulerunt de Antonio qui Brutum Mutinae circum sedebat. Quumque Piso aliique legatos ad Antonium mittendos censuissent, habuit. Cicero *Philippicam quintam*, in qua legationem istam, ut senatus et populi Romani maiestate indignam dissuasit, et ut hostis iudicaretur Antonius incubuit. Pridie tamen Non. Ian. factum est SCtum, ut Ser. Sulpicius L. Piso et L. Philippus cum mandatis ad Antonium proficiscerentur, eique denuntiarent, ne D. Brutum oppugnaret, ne Mutinam obsideret, ne dilectus haberet, et ut esset in S. P. Q. R. potestate. De eo SCto Cicero, in concionem productus ab Apuleio trib. pl., ad populum retulit *Philippica sexta.* Paullo post quum Pansa consul senatum de Appia via et de Moneta, unus autem trib. pl. de Lupercis consuluisset, Cicero in sententia dicenda egressus est relationem, et (*Philippica septima*) pacem cum Antonio dissuasit, quia turpis esset, quia periculosa, quia esse non posset. Legati ab Antonio (praeter Servium qui in legatione obierat) initio Febr. Romam reversi intolerabilia Antonii postulata retulerunt. Senatus tumultum decernendum censuit, quum belli nomen nonnullis haud placuisset, quod Cicero Idib. Mart. *Philippica*	

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
710	40	*octava* reprehendit, Fuſiumque Calenum de pace agentem alioſque Antonio faventes obiurgavit. Poſtridie quum de ornando Servio Sulpicio in ſenatu ageretur Cicero ſtatuam pedeſtrem aeneam in Roſtris ei ponendam cenſuit *Philippica nona.* Poſtea quum Panſa coſ. M. Bruti (ſ. Q. Caepionis Bruti) literas publice miſſas de rebus in Macedonia feliciter geſtis recitaſſet, eumque Q. Fuſius Calenus oppugnaſſet Cicero *Philippica decima* Calenum refutavit, et Q. Hortenſio Macedoniae procoſ., qui Brutum in comparando exercitu adiuverat, huius provinciae adminiſtrationem confirmandam eſſe cenſuit. Et quum ante Kal. April. Romam allatum eſſet de morte C. Trebonii, quem P. Dolabella Smyrnae crudeliſſime verberibus ac tormentis cruciatum interfecerat isque hoſtis iudicatus eſſet, Cicero poſtridie quum de imperatore adverſus Dolabellam ageretur, *Philippicam* habuit *undecimam*, qua C. Caſſium deligendum eſſe, qui Dolabellam terra marique perſequeretur, demonſtravit. Eandem rem productus a M. Servilio trib. pl. in concionem magna contentione, ſummoque clamore et conſenſu populi egit. Deinde quum Panſa coſ. de legatis iterum ad Antonium de pace mittendis, retuliſſet, iique qui primi ſententiam dixerant, hanc legationem P. Servilio et Ciceroni mandandam eſſe cenſuiſſent, Cicero *Philippica duodecima* negavit pacem cum Antonio fieri poſſe, illamque legationem deprecatus eſt. Paullo poſt Panſa conſule ad bellum profecto, quum de literis M. Aemilii Lepidi ad ſenatum miſſis ageretur, quibus eum ad pacem cum Antonio faciendam	64

Anni U. C.	Ante C. N.		Anni Cic.
		hortabatur, Cicero Philippica *decima tertia* iterum istam pacem dissuasit, literasque ab Antonio ad Hirtium et Octavianum missas recitavit, ita ut singulas eius sententias confutaret. XVII. Kal. Maii Antonius proelio ad Mutinam superatus est, in quo alter cos. Hirtius cecidit, alter Pansa vulneratus est et paucis post diebus Bononiae mortuus. Laeto autem nuntio de victoria Mutinensi Romam allato Cicero ab ingenti multitudine, maximo plausu, in Capitolium ductus, in rostris collocatus, inde domum reductus est. Prid. Vinalia X. Kal. Maii Cicero habuit *Philippicam decimam quartam*, qua trium ducum Hirtii, Pansae, Caesaris Octaviani nomine quinquaginta dierum supplicationem decernendam, militibusque qui pro re publ. interierint monumentum faciendum censuit. IV. Kal. Iun. M. Lepidus se cum Antonio, post proelium Mutinense Alpes transgresso coniunxit; et prid. Kal. Quint. hostis iudicatus est. Paullo post Caesar Octavianus causam optimatium deseruit; Antoniumque et Lepidum in Italiam arcessivit; et cum Pedio consul creatus X. Kal. Oct. consulatum adiit. Deinde pace facta inter Caesarem Octavianum, Antonium et Lepidum, apud confluentes inter Perusiam et Bononiam congressos, convenit, ut ipsi triumviri rei publ. constituendae per quinquennium essent, et ut suos quisque inimicos proscriberet. Itaque Antonius in Ciceronem, qui urbe relicta Asturam confugerat, percussores immisit Herennium centurionem et M. Popillium Laenatem, a quibus VII. Id. Decembris interfectus est.	

ADDENDA.

Tom. I. pag. 234. et sq. *Cosconio mortuo, sum in eius locum invitatus. Id erat vocari in locum mortui*] Hunc locum ita restituendum puto: *Cosconio mortuo sum in eius locum invitatus. Id erat vocari in loculum mortui.* Ut nostri dicerent: *das war eben so viel, als ob ich mich in des Todten Sarg legen sollte.* Ut nunc legitur est frigidissima tavtologia.

Tom. II. pag. 146 lin. 11. *deinde ut migrare tanto opere festinares*] Malim: *immigrare.* Germ. *dass du deinen Einzug in das Haus so beschleunigt hast.*

p. 307. lin. 7. in verbis *illius nostrae rei publicae germanam* videtur potius ad libros de re publica eamque formam eius, quam ibi descripserat, spectare.

Tom. III. pag. 104 lin. antepen. *Arabes qui fuerunt admisto Parthico ornatu*] Legendum est: *Arabes qui fuerunt immissi, Parthico ornatu.* Sic p. 125. *Arabas in provinciam immisisse eosque Parthos esse senatui renuntiasse.*

p. 227. lin. IV. pecunia quam Cicero Coelium docuit nec sibi in provincia conciliare licere, nec illi capere, videtur esse *pecunia aedilicia*, h. e. pecunia quam multi aediles per proconsules exigebant ad munerum dandorum impensas facilius tolerandas.

Tom. IV. pag. 106. lin. antepenult. pro *demum quem exspecto* praeferenda est lectio *domitum quem exspecto.*

p. 116. lin. ult. verbis *in ipsum tuum diem* potuit Cic. natalem Attici significare. Quod si placeat hanc epistolam aliquot diebus ante VI. Id. Mart. scriptam esse statuendum est.

p. 292. lin. 8. *O dii! generumne nostrum potissimum, ut hoc, vel tabulas novas*] Corruptum hunc locum sic restituo: *O dii! generumne nostrum potissimum uti hoc, ut tabulas novas.* Germ. *Muss es gerade mein Schwiegersohn seyn, der die Maasregel ergreift, die Schuldscheine zu verändern und herabzusetzen.*

Tom. VI. pag. 295. pro *Attio Dionysio* alii legunt *Attico Dionysio.*

ERRATA OPERARUM.

IN TEXTU.

Tom. I. pag. 142. lin. 3. leg. *et fasciae.*
p. 162. lin. 6. leg. *C.* Octavius.
p. 165. lin. 10. leg. *nobilissimam.*

Tom. II. p. 210. lin. 1. pro ad Div. VI. 6. leg. *ad Q. Fr. III.* 1.
p. 211. lin. 4. leg. Manliano.
p. 290. lin. penult. et ult. leg. *a candidatis — omnes rei.*

Tom. III. p. 200. lin. penult. leg. *in* M. Lenio.
p. 219. lin. 7. leg. *appositurum.*
p. 248. lin. 7. leg. *C. Aviano.*

Tom. IV. p. 69. lin. 11. leg. *ad Att. VIII.* 4.
p. 144. lin. 9. *M' Lepidus.*
p. 281. post lin. 10. inferenda est inscriptio CICERO ATTICO.
p. 382. lin. 2. post *visus est* del. colon.
p. 406. lin. 12. leg. T. FADIO GALLO.
p. 447. l. 5. leg. M. T. C.

Tom. V. p. 29. lin. 11. Hilarus.
p. 39. lin. 8. ad Div. VI. 12.
p. 296. lin. 8. *vicissimque monet.*

Tom. VI. p. 72. lin. 11. epistolas.
p. 128. lin. 10. scribendos.
p. 131. lin. 5. *Gn. Planco.*
p. 166. lin. 2. *circa Id. Quint.*
p. 184. lin. 14. *Mirifica.*
p. 311. l. 8. post V*M* deleatur comma.

IN NOTIS.

Tom. I. pag. 13. col. 2. lin. 8. leg. *commorabatur.*
p. 138. col. 2. lin. 1. leg. *apud Atticum.*
p. 181. col. 1. lin. 8. pro *arca* leg. *area.*
p. 209. col. 1. et 2. pro *ep.* 49. leg. *ep. 50.*
p. 213. col. 2 lin. 15. leg. *in montes.*
p. 267. col. 2. lin. 2. leg. *te vertas.*
p. 269. col. 1. lin. 17. leg. *adiri.*

Tom. II. pag. 32. col. 2. lin. 15. post *voluisset* adde *Manut.*
p. 64. col. 1. lin. 9. pro *onere* leg. *paene.*
p. 64. col. 1. lin. 10. leg. *odissem te.*
p. 64. col. 2. lin. 22. pro conscriberentur leg. conscriptae sint.
p. 121. lin. 16. pro *removeri* leg. *removerit.*
p. 136. col. 2. lin 9. leg. *nimis.*
p. 141. col. 1. lin. 13. leg. *Tu Lucceio.*
p. 268. col. 1. lin. 4. leg. *M' Manilii P. F.*
p. 269. col. 1. lin. 9. leg. *Bessarionis, Cavalcantis.*

Tom. II. pag. 299. col. 1. lin. 7. leg. M. F. M. N.
p. 367. col. 2. lin. 10. leg. adiecerant.

Tom. III. pag. 92. col. 2. leg. *designat.*
p. 107. col. 2. lin. 16. leg. *condonaturum.*
p. 213. col. 1. lin. ult. pro *Manut* leg. *Corrad.*
p. 216. col. 2. lin. 6. leg. *T. Munatio.*
p. 306. col. 2. lin. 7. leg. *paterentur.*
p. 359. col. 1. lin. 4. leg. *Luscieno.*

Tom. IV. pag. 132. col. 1. lin. 5. *multos dies.*
p. 139. col. 2. lin. 21. *insanos.*
p. 225. col. 1. lin. 28. equum s. veredum impigrum.
p. 301. col. 2. lin. 10. ut *Pompeiani legatos — mitterent.*
p. 304. col. 1. lin. 6. *coactus est.*
p. 358. col. 1. lin. 35. *adulterinum.*
p. 406. col. 1. lin. 4. leg. T. Fadio.
p. 407. col. lin. 8. leg. Cicero ea sic.

Tom. V. pag. 39. col. 2. lin. 2. *scriptam.*
p. 66. col. 1. lin. 8. *filium.*
p. 97. col. 1. lin. ult. Strabo Lenius.
p. 109. col. 1. lin. 6. leg. *Marcum filium.*
p. 110. col. 2. lin. 8. A. U. C. 676.
p. 130. col. 2. lin. 6. *aderunt.*
p. 204. col. 1. lin. 16. *C. Albanius.*
p. 216. col. 1. lin. 1. *testamento patris.*

Tom. VI. p. 52. col. 2. lin. 21 et 24. Patulcio,
p. 54. col. 1. lin. penult. leg. *Gronovio placebat.*
p. 172. col. 1. lin. antepenult. *illa domus.*
p. 174. col. 2. lin. 24. *cur Ernesti.*
p. 184. col. 2. lin. 18. *qui voculas.*
p. 302. col. 1. lin. 4. et 5. Laevi et Nervae.

CATALOGUS LIBRORUM,

QUI

SUMTIBUS

LIBRARIAE HEMMERDEANAE

HALAE SAXON.

EDITI COEMTIVE SUNT

ET

QUORUM COPIA SUPPETIT.

Anacreontis Carmina. Textum recensuit et Animadvers. criticis illustr. E. A. Möbius, 12maj. 1810, charta impress. 14 gr., charta script. 20 gr., cum tab. aer. incis. ΑΚΡΑΤΟΣ και ΕΡΩΣ.

Antimachi Colophonii Reliquiae, nunc primum conquirere et explicare instituit C. A. G. Schellenberg, accessit epistola F. A. Wolfii, 8maj. 1786 — 6 gr.

Baumgarten, A. G., primae lineae breviarum antiquit. christ. in us. schol. ductae. Scholia multa add. I. S. Semler, 8. 1766 — 9 gr.

Boeckh, Aug., Commentatio in Platonis qui vulgo fertur Minoem eiusdemque libros priores de legibus, 8maj. 1806. charta impress. 21 gr. charta script. — 1 thl.

Burnet, Thom. de fide et officiis christianor. liber posthumus, denuo recensuit et auxit Guil. Abr. Teller, 8maj. 1786. charta script. — 1 thl.

Ciceronis, M. Tull. Orationes XIV selectae, mit hist. Einleit. und den wichtigsten Anmerkungen berühmt. Ausleger, von M. B. Fr. Schmieder, 8. 1801 — 21 gr.

Demosthenis Oratio adversus Leptinem cum scholiis veteribus et commentar. perpetuo, accedit Aelii Aristidis declamatio eiusdem causae, in Germ. nunc primum edita, cura F. A. Wolfii, 8maj. 1789 — 1 thl. 12 gr.

Diodori, Siculi, Bibliothecae histor. libri qui supersunt ac deperditor. fragm. edidit H. C. A. Eichstaedt. Vol. I. 8maj. 1800. chart. impress. 2 thlr. 16 gr. charta script. — 3 thl. 8 gr.

— — Vol. II. 8maj. 1800. chart. impress. 3 thl. charta script. 4 thl.

Fabula de matrona Ephesina ex Petronio, 8. 1785 — 2 gr.

Herodoti Halic. historiar. libri qui enarrat. pugnar. inter Graecos et Persas complect. cum summar. animadvers. superior. interpret. excerptis atque suis et indicibus novis edid. Dav. Schulz, 8maj. 1809. charta impress. 4 thl. charta vel. — 7 thl.

— eiusdem liber in usum lectionum, 8maj. 1809 — 1 thl. 12 gr.

Hymni Homerici cum reliquis carminibus minorib. Homero tribui solitis et Batrachomyomach. et Theod. Prodromi Galeomyom.